Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Museum anatomicum Academiae Lugduno-Batavae

https://hdl.handle.net/1874/285048

Anatomici et Physiologici

Folio n°. 61.

MUSEUM

ANATOMICUM.

VOLUMEN TERTIUM.

MVSEVM
ANATOMICVM
ACADEMIAE
LVGDVNO-BATAVAE.

VOLVMEN TERTIUM

DESCRIPTVM

A

GERARDO SANDIFORT.

LVGDVNI BATAVORVM

APVD S. ET J. LVCHTMANS

ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.

MDCCCXXVII.

ACADEMIA RHENO TRAJECTINA

ARTIUM DOCTRINARUMQUE PATRI

PATRIAE PATRI

BENEFACTORI BENE

GULIELMO I

BELGARUM REGI AUGUSTISSIMO

PATRIAE PATRI

ARTIUM DOCTRINARUMQUE FAUTORI

MUSEI ANATOMICI

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE

DESCRIPTIONEM

PIA ET GRATA MENTE

CONSECRAT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Ab eo inde tempore, quo Carissimus Pater descriptionem Musei Anatomici Academiae Lugduno-Batavae, duobus prioribus hujus operis voluminibus complexus publici juris fecit, insigni profecto accessione praeparationum, quae oeconomiam humanam, tum sanam, tum morbosam, postremo animalium structuram illustrarent, crevit Museum nostrum. Multa sane vel perierant penitus, vel multis modis mutilata fuerant, in primis ex collectione Doevereni, quum ante hos viginti annos pars hujus Urbis fatali pulveris pyrii explosione vastaretur: verum compensavit partim jacturam collectio Rocquettii, Med. Doct. Anatomiae et Chirurgiae Lectoris Harlemensis, quae post Viri obitum emtionis lege nostro illata est Museo.

Sed longe plurima debemus Augustissimo Regi: qui non tantum Decreto Academiarum descriptioni, sed earumdem splendori et prudentissime et liberalissime consuluit. Qua auctoritate, ut taceam de reliquis, haec etiam supellex aucta, et praesenti disciplinae conditioni accommodata est, aedificia etiam Academica ita vel emendata, vel recens exstructa, ut Theatrum Anatomicum demonstrandis dissecandisque cadaveribus plenius inserviret, in primisque ut Museum Anatomicum apte, nitide ac decore ordinaretur.

Accessiones vere insignes nactum est Museum nostrum, emtis cum Brugmansianis, tum Bonnianis copiis. Nam Brugmansius, quo incomparabili docto-

re orbata luget etiamnum haec Academia, thesaurum reliquerat praeparationum, quibus Anatomia comparata et Pathologia multis partibus illustrarentur, quem nunc Regiae liberalitate acceptum refert Museum nostrum: tum e pretiosissima A. Bonnii, Anatomiae et Chirurgiae quondam Professoris Amstelaedamensis, supellectili, omnia nobis cesserunt, quae ad complendum ornandumque Museum pertinere existimarentur.

Tam splendide locupletatum cum esset Museum, idem de integro disponendum et ordinandum erat; quippe quod e diversis collectionibus, Ravii, Albini, Doevereni, Ledeboerii, Rocquettii, Brugmansii, Bonnii, constans, suum etiam et proprium ordinem et veluti faciem habitumque referre oportebat. Itaque quae separata hucusque, ea confundere institui, et perfici hoc, ut omnia uno neque interrupto ordine decurrant, singulis tamen praeparatis addito numero et nomine ejus collectionis, ex qua quidque profectum esset.

Neque hic subsistendum esse et ipse intelligebam, et viderunt Ill. Academiae Curatores: qui, quo latius hujus Musei praestantia innotesceret, et ad plures pertineret utilitas, hoc impetrarunt a Rege, ut mihi Catalogi conscribendi edendique munus committeretur, non tantum copiarum Brugmansianarum, eorumque quae ex Bonnii supellectili nostro Museo erant illata, sed reliquorum etiam haud ita pridem acquisitorum; utque sic continuaretur descriptio Musei Anatomici, a carissimo Patre meo ante hos quatuor et triginta annos in lucem emissa. Cujus operis fructum et eventum nunc, hoc tertio volumine comprehensum, eruditis offero.

Rem fuisse satis arduam, plenamque laboris, non est quod diffitear: Brugmansius enim nullum reliquerat catalogum, neque singulis speciminibus descriptio addita erat: plerisque brevi tantum adscriptum, quae corporis partes exhiberentur, morbosisque hic illic addita historia morbi. Quo factum est, ut longe maximam partem penitus explorare debuerim, et cum Virorum doctorum scriptis conferre, ne in definitione ac descriptione errarem. Simul fuit brevitas sectanda, vitandaeque orationis ambages, ne descriptio speciminum 4081, quibus sola Brugmansii collectio constabat, in immensum excurreret. Itaque quae multis speciminibus additae erant historiae morborum, aliae aliis sermonibus conscriptae

à Chirurgis militaribus, qui aegrotantes curassent, in brevius contraxi, eaque tantum excerpsi, quibus ipsorum speciminum illustratio indigere videretur, omissa earum rerum mentione, quae quotidie in morbis chronicis observantur. Ordinem universe servavi eum, quem ipse BRUGMANSIUS instituerat; in singulis autem locis eum secutus sum, quem in Physiologicis lectionibus tradere soleo, et quo totum Museum nostrum ordinatum est. In craniorum enumeratione diversarum nationum, ut ipse fecerat BRUGMANSIUS, geographiae seriem ita tenui, ut à polo septentrionali ad meridionalem procederem. In craniis animalium, ducem sequi placuit CUVIERIUM, singulorumque nominibus LINNAEANIS addidi nomina generica secundum C. ILLIGERUM, tum in *Simiarum* genere, exhibui nomina à LINNAEO et GEOFFROY-SAINT-HILAIRE imposita. Postremo non alienum fore judicavi in mammalium craniis addere longitudinem totius cranii, atque longitudinem et latitudinem conceptaculi cerebri; in paucis autem, in quibus hoc conceptaculum non erat apertum, determinavi latitudinem, quantum ex superficie externa cranii fieri poterat, adeo ut in iis, in quibus ossa nimis crassa sunt, veluti Elephantibus et Cetaceis, hoc ipsum omittere debuerim. Integra autem supellex BRUGMANSIANA cum mihi describenda esset, ea item exempla animalium commemorata sunt, quae cum Historia Naturali sunt conjuncta, ideoque in illo Museo nunc asservantur.

Pauca de hac collectione dixi, sed ea tamen è quibus de praestantia quodammodo judicare possint periti. Nam inspecto catalogo, omnes, certo scio, admirabuntur eximium BRUGMANSII ingenium, diligentiamque plane singularem, qui, licet maximis plurimisque occupationibus muneribusque distractus, unus totum hunc apparatum collegerit, itaque multis partibus adjuvavit Anatomiam humanam, comparatam, et pathologicam.

Non minoribus laudibus praedicanda est BONNII collectio, in primis in parte Pathologica. Neque tamen tota illata est Museo nostro. Nam è praeparationibus Anatomicis eae tantum servandae erant, quae in reliquis collectionibus, tractu quippe temporis, aut calamitate deletae, vel mutilatae, desiderabantur, tum eae, quae praesentem seriem praeparationum amplificare, et disciplinae explicandae uti-

utiles fore existimarentur: pariterque è praeparationibus pathologicis eae retentae, quae nostram collectionem complere, decursum morbi, effectusque morbo in ipsis partibus relictos indicare possent. Reliqua, cum praeparata Anatomico-physiologica, tum Anatomico-pathologica, maxime ad ossium morbos referenda, cesserunt Museo Academiae Gandavensis. Horum omnium aderat quidem catalogus, sed justo brevior ille, et post BONNII obitum concinnatus: adeo ut denuo omnia mihi describenda essent, in eumque ordinem redigenda, quem in BRUGMANSIANA collectione secutus eram. Addita erat insignis collectio delineationum a dexterrimis artificibus confectarum, quae corporis partes tum in statu naturali, tum morbis degeneratas exhibent: eaque nunc in nostro Theatro Anatomico asservatur.

Haec de singulorum descriptione sufficiant. Sed quum variae multarum partium degenerationes vix plene describi possint, neque tam perspicue, quam fieri postulat humani generis commodum, delineationes speciminum notabilium ad illustrandam morborum naturam quarto volumine, posthac edendo, complectar, et sic ad Medicinae studium promovendum operam dabo.

Restat ut, si in tot speciminum descriptione, aut in singulorum appellatione, hic illic forte erravero, aut si typothetarum errata non satis accurate correxero, provinciamque in nonnullis non satis diligenter administravero, veniam petam, praesertim in opere et longo et difficili. Si studio medico aliquantum hac editione profuero, neque indigna censebitur opera nostra doctissimorum virorum meritis et ingenio, erit quod mihi impense gratuler.

Scripsi Mense Julii,
CIↃIↃCCCXXVII.

SERIES

INDEX CONTENTORUM.

INTRODUCTIO . . . . . pag. 1

SUPELLEX ANATOMICA BRUGMANSIANA 1

PARS PRIOR.

PRAEPARATA EX HOMINIBUS ET ANIMALIBUS IN STATU NATURALI.

SECTIO PRIMA.

Praeparata Anatomica, quae in liquore limpido continentur.

Animalium vertebris instructorum organa diversa.

Organa digestionis, ex hominibus . . . . . pag. 3
mammalibus 4
avibus 6
amphibiis 6
piscibus 7
Organa uropoietica, ex hominibus 8
mammalibus 8
Organa circulationis et respirationis,
ex mammalibus 9
avibus 9
amphibiis 10
piscibus 10
Organa Secretionibus inservientia,
ex mammalibus 11
Organa sensuum externorum,
visus, ex hominibus 11
mammalibus 12
avibus 13
amphibiis 14
piscibus 14
gustus, ex mammalibus 15
avibus 15
amphibiis 16
olfactus, ex mammalibus 16
auditus, ex hominibus 17
mammalibus 17
amphibiis 17
piscibus 17

Organa tactus, ex hominibus . . . . . pag. 18
mammalibus 19
avibus 20
amphibiis 20
Organa sensuum nonnullis animalibus propria 20
Nervi et cerebrum 20
Extypa cerebri ex cera facta,
ex hominibus 21
animalibus 22
Organa motus 22
Organa vocis, ex hominibus 22
mammalibus 22
avibus 23
amphibiis 24
Organa generationi inservientia,
masculina ex hominibus 25
foeminina ex hominibus 25
Conceptus 26
Organa generationi inservientia,
ex mammalibus 28
avibus 29
amphibiis 30
piscibus 31
Reproductio nisu formativo 31

Animalium vertebris destitutorum organa diversa, quae in spiritu idoneo, vel siccata asservantur 32

SECTIO SECUNDA.

Praeparata Anatomica, quae siccata asservantur.

Crania hominum diversae aetatis 34
diversarum nationum ordine geographico a polo septentrionali ad meridionalem enumerata 35
Organa manducationis.

Crania mammalium 40
avium 55
rapacium 55
passerum 55
gallinarum 57
grallarum 58
anserum 59
amphibiorum 60
piscium 63

Dentes.
Structura et evolutio dentium.
Structura dentium in mammalibus.
Dentes quorum corona atque corpus crusta vitrea tegitur . . . . pag. 63
Dentes, in quibus crusta vitrea non totam coronam atque corpus, sed unam tantum superficiem tegit 65
Dentes semi-compositi, in quibus undulata crusta ad certam distantiam a superficie penetrat, et basis simplex est 66
Dentes compositi, in quibus, praeter substantiam osseam atque vitream, tertia, substantiae osseae proxime accedens, materies occurrit 66
Structura dentium piscium.
Dentes simplices 67
compositi 67
Evolutio dentium.
in homine 68
mammalibus 69
Dentitio Equorum 70
Ruminantium 71
Elephantum 71
aliorum mammalium 73
Amphibiorum 74
Piscium 74
Dentes diversorum animalium, actione in se invicem plus minus abrasi.
ex mammalibus 75
amphibiis 76
piscibus 77
Partes, quae in nonnullis animalibus dentium officio funguntur . . . 77
Degenerationes dentium 78

Organa digestionis.

Ventriculi simplices mammalium 79
compositi mammalium 80
avium 80
piscium 81
Intestina mammalium 81
avium 82
piscium 82

Organa circulationis et respirationis.

Organa circulationis, ex hominibus 82
mammalibus 83
avibus 84
amphibiis 84
Organa respirationis, ex mammalibus 84
avibus 84
amphibiis 85
piscibus 85

Organa sensuum.

Organa olfactus ex mammalibus 85
auditus ex hominibus 86

Organa auditus ex mammalibus . . . . . pag. 87
avibus 87
amphibiis 87
Integumenta communia, eorumque partes.
Cutis cum pilis mammalium 88
squamis et plumis avium 89
squamis amphibiorum 89
piscium 90
Ungues mammalium 91
Cornua Rhinocerotum 92
Cameleopardalis Giraffae 93
cava ruminantium 94
Cervorum 96

Organa motus.

Sceleti integri hominum et mammalium 98
avium 100
amphibiorum 101
piscium 102
Sceleti dissoluti animalium 103
Crania dissoluta hominum et animalium 103
Ossa trunci hominum et animalium 103
Ossa artuum hominum et mammalium 105
avium 108
amphibiorum 110
piscium 110

Organa vocis,

ex hominibus et mammalibus 110
avibus 111

Organa generationis,

ex hominibus 111
mammalibus 112
amphibiis et piscibus 112
Ova animalium 112

SECTIO TERTIA.

Crania hominum ac animalium, explicationi systematis Doctissimi GALL *inservientia* 113

Crania hominum ac animalium ad ipsam formam conceptaculi cerebri illustrandam 117

SECTIO QUARTA.

Ossa fossilia 119

SECTIO QUINTA.

Animalia, quae in phialis debito in liquore conservantur.

Mammalia . . . . . pag. 125
Amphibia 127
Pisces 130
Mollusca 134
Cirripeda 135
Annulata 135
Crustacea 136
Arachnidea 136
Myriapoda 137
Insecta
Coleoptera 137
Orthoptera 138
Hemiptera 138
Neuroptera 138
Hymenoptera 138
Lepidoptera 138
Tunicata 139
Vermes 139
Radiata 139
Polypi 140

PARS POSTERIOR.

PARTES EX HOMINIBUS AC ANIMALIBUS IN STATU MORBOSO.

SECTIO PRIMA.

Partes morbosae, quae in liquore limpido continentur.

Organa diversa hominum ac animalium.

Ossa morbosa 141
Degenerationes integumentorum et telae cellulosae 141
organorum deglutitionis et digestionis 142
glandularum 144
organorum respirationis et circulationis 145
membranarum cerebri 145
nervorum 148

Degenerationes renum . . . . . pag. 149
vesicae urinariae 150
genitalium masculinorum 151
foemininorum 152
Monstra hominum 152
quadrupedum. 154
avium 156
vegetabilium 157

SECTIO SECUNDA.

Ossa morbosa.

Morbi ossium a causa externa.

Morbi ossium a simplici compressione. 158
a contusione, aut allisione absque fractura 158
ab immisso corpore heterogeneo, absque fractura totius ossis 161
ex ablatione partis cujusdam.
Ope gladii, vel alius instrumenti scindentis . . 165
Trepanatione 175
Amputatione 175
Necrosi ossis 181
Fracturae simplices 185
compositae 187
Morbi articulationum,
Morbi articulationum ab injuria externa, fracturam aut cariem producente 207
Morbi articulationum ab injuria externa, luxationem producente.
Luxatio humeri 212
femoris 213

Morbi ossium a causa interna.

Claudicatio absque luxatione 218
Caries articulorum 227
Ossa, qua parte invicem conjunguntur, concreta, sive Anchylosis . . 234
Ossa animalium morbis articulationum affecta 241
Morbi Ossium ex causa scrophulosa 243
ex scirrho et cancro 246
a tinea capitis 247
a causa venerea 248
Tumores ossei solidi 262
a morbo rheumatico, atque affinibus morbis 262

Morbi

Morbi ossium a labe scorbutica . . . . . pag. 265
morbo rhachitico, vel affinibus morbis 267
Curvatura spinae 269
Ossa animalium emollitione, vel aliis morbis affecta 275
Crania hydrocephalo affecta ex hominibus 276
animalibus 277

Morbi ossium, atque degenerationes aliarum partium, quae ad priores sectiones referri non potuerunt.

Ex metastasi 278
Caries ex errore loci 280
A causa minus cognita 281
Osteosteatomata, atque ossificationes partium mollium 285

Varia 288

Monstra,

ex hominibus 292
animalibus 293
Trunci arborum inter se concreti 297

Productiones a secretione abnormi.

Concrementa e tela cellulari 297
Calculus nasalis 297
Calculi salivales 297
e glandulis lymphaticis 297
Concrementa ex diversis partibus 298
Sabulum calculosum e glandula pineali 298
Concrementa e ventriculo et intestinis 298
Calculi biliarii ex hominibus 298
animalibus 301
Calculi urinarii ex renibus 302
per urethram excreti 302
Vesicae urinariae,
ex acido urico 302
urate ammoniae 303
acido urico et oxalate calcis 303
et phosphatibus terrestribus mixtis 304
distinctis 304
urate ammoniae cum crusta ex phosphatibus terrestribus distinctis . . 304
et oxalate calcis 305
et phosphate calcis, et oxalate calcis 305
et phosphatibus terrestribus intime mixtis 305
mixtis cum phosphate ammon. magnes. crystallisatae . . 306

INDEX CONTENTORUM.

ex phosphate calcis et ammoniae magnesino . . . . . pag. 306
oxalate calcis 306
cum crusta ex phosphatibus terrestribus 307
Extypa calculorum 307

Pars Supellectilis Anatomicae Bonnianae.
Memoria Viri Cl. A. Bonn 311

PARS PRIOR.

PRAEPARATA EX HOMINIBUS ET ANIMALIBUS IN STATU NATURALI.

SECTIO PRIMA.

Praeparata Anatomica, quae in liquore limpido asservantur.

Ex hominibus 330
animalibus 335

SECTIO SECUNDA.

Praeparata Anatomica, quae siccata asservantur.

Ex hominibus 339
animalibus 340

PARS POSTERIOR.

PARTES EX HOMINIBUS AC ANIMALIBUS IN STATU MORBOSO.

SECTIO PRIMA.

Partes morbosae, quae in liquore limpido continentur.

Organa diversa hominum ac animalium.

Ossa morbosa . . . . . pag. 344
Degenerationes integumentorum 353
canalis intestinalis 355
Volvulus sive intussusceptio 356
Hernia 356
Atresia ani 360
aliorum organorum abdominalium. 361
organorum uropoieticorum 361
glandularum 363
cordis et vasorum 363
laryngis 364
cerebri et medullae spinalis 365
genitalium 366
digitorum Ovium (*het Rotkreupel*) 370

Monstra.

a concretione duorum vel plurium individuorum 370
ex irregulari partium evolutione 372
ab evolutione nimia 372
a divisione partium, quae erant uniendae 373
ab evolutione impedita 373
a concretione partium, quae divisae manere debuerant 376
a mutata fabrica, seu degeneratione morbosa organorum 376

SECTIO SECUNDA.

Ossa morbosa.

Morbi ossium a causa externa.

Morbi ossium a compressione 379
contusione 380
Necrosis ossium 380
Fracturae 380
Morbi articulationum 382

Morbi ossium a causa interna.

Anchylosis 384
Morbi ossium a tinea capitis 386
causa venerea 386
morbo rhachitico, vel affinibus morbis 387
Crania hydrocephalo affecta 389

Morbi ossium, atque degenerationes aliarum partium, quae ad priores sectiones referri non potuerunt . . . . . pag. 391

Varia 393

Monstra.

a concretione duorum individuorum 394
ab evolutione impedita 395

Productiones a secretione abnormi.

Concrementa e diversis partibus 400
Calculi renales 401
vesicae urinariae 401
Extypa calculorum 402

INTRODUCTIO.

Res a Viris Clarissimis gestas, qui de Scientia Medica optime meriti sunt enarrare, jucundissimum profecto, neque omni utilitate destitutum pensum est, licet difficultatibus saepe plenissimum. Ut itaque ab una parte historiam vitae et meritorum Virorum, qui Anatomiam hac in Academia docuerunt, a carissimo Patre concinnatam, atque in Introductione primi voluminis hujus operis divulgatam, compleam, et ut ab altera parte proprio desiderio, ut filium decet, satisfaciam, hic enarrare consultum duxi historiam vitae, et rerum a carissimo Patre gestarum, olim Medicinae, Anatomiae atque Physiologiae Professore hac in Academia, non ut summi Viri merita celebrem; haec enim, nisi me fallunt omnia, erudito orbi satis sunt cognita, atque a numerosissimis discipulis per universum terrarum orbem divulgata; hoc unumquemque artis peritum, minime vero filium decet, sed ut ea, qua filio licet, ratione carissimi Patris vitae decursum, nec non res gestas in publicam utilitatem, atque praesertim in honorem atque commodum hujus Academiae posteritati relinquam.

Porro subjungendam esse credidi historiam vitae Brugmansii V. Cl. olim Praeceptoris, ac dein Collegae conjunctissimi, qui omnium primus Anatomiam comparatam in hac Academia professus est, et cujus eximia collectio, hoc volumine describenda, demonstrat qua ratione de Anatomia meritus fuerit.

Eduardus Sandifort itaque die 14 Novembris anni 1742 Dordraci natus est Patre Gerardo Sandifort, eo tempore Dordraci, et dein Hagae Comitum Verbi Divini Ministro, atque Matre Geertruida Helena Snellen, honestissimi mercatoris filia. In Gymnasio Hagano Latinas Graecasque literas addidicit, atque institutione Rectoris Ouwens inprimis usus est. Sedulitate, modestia, ingenii acumine Praeceptorum favorem facile obtinuit, et caeteros commilitones semper post se re-

reliquit, ita ut singularum classium semper primum reportaverit praemium, nec non primus etiam fuerit, cui in Schola Hagana, ob insignes progressus in literis Graecis peculiare praemium oblatum fuerit. Hisce studiis adeo feliciter peractis ad Academiam nostram Lugduno-Batavam anno 1758 mittebatur, ubi eodem tempore in propaedeutica atque medica studia incubuit, atque VV. CLL. P. Musschenbroek, B. S. Albinum, D. Gaubium, Fr. Winterum, F. B. Albinum et A. van Royen non tantum audivit, sed tanta cum sedulitate in omnibus artis medicae partibus horum Celeberrimorum Virorum lectionibus interfuit, ut singulorum favorem, amicitiamque meruerit, atque obtinuerit. Quamvis in universum studium medicum gnaviter incubuerit, tamen Anatomiam, et Chirurgiam inprimis ejus animum occupabant. Post moram quinque annorum hac in Academia subiit solita examina pro gradu Candidati, et quidem tanta cum laude, ut a Facultate Medica veniam inpetraverit More Majorum pro gradu Doctoratus disputandi, qua tamen facultate usus non est; sed defensa die 19 Decembris 1763 Dissertatione, *de Pelvi, ejusque in partu dilatatione*, a Cl. F. B. Albino, Promotore, Medicinae Doctor creatus est.

Ab hoc tempore Hagae Comitum praxin medicam omni cum successu exercens, anno 1769 Poliater Extraordinarius, atque insequente anno Ordinarius nominabatur. Quamvis praxi medica quotidie valde occupatus esset, tamen reliquum quod ei superat tempus studiis impendit, neque tantum in proprios, sed etiam in publicos usus.

Quando inter aegrotos suae curae commissos quidam erat, qui aneurysmate arteriae aörtae laboraret, et ex hoc, infeliciter disrupto, brevi moriebatur, cadaveris sectionem scrupulose instituit, totumque casum annotationibus ex diversis auctoribus illustratum, Belgico sermone anno 1765 edidit (1). Haec observatio in linguam Latinam translata, atque Academiae Naturae Curiosorum insequente anno ab eo oblata, digna judicata est, quae actis hujus Academicae inseretur (2).

Ut in Belgio inprimis prospiceret iis, quibus occasio deësset Virorum Doctissimorum opera, Medicinae vel Historiae Naturali dicata, atque extra patriam edita, perlegendi, quum vel ipsam, qua conscripta essent, linguam minus bene callerent, vel sumtibus parcerent operum, pluribus voluminibus comprehensorum, eadem mente ac proposito qua Auctores Commentariorum Lipsiensium, de rebus in scientia naturali ac medicina gestis, suscepit opus, sub titulo Bibliothecae, seu Epitomes omnium operum Extraneorum de Medicina et Historia Natu-

(1) *Heel- en Ontleedkundige Verhandeling over eene Slagaderbreuk in de groote Slagader*, door Ed. Sandifort, 's Gravenhage 1765. in 8vo, met pl.

(2) *Nova Acta Acad. Nat. Cur.* Tom. 4. pag. 20.

turali ab anno 1764 in lucem emissorum, nulla tamen addita epicrisi de auctorum sententiis, eique addidit elenchum inventionum, vel rerum notabilium, in utraque hac scientia. Hujus Bibliothecae primum volumen anno 1765 edidit, atque per decem annos quotannis novum volumen superaddere continuavit (3). Dein iteratam inpressionem curavit Dissertationum Academicarum selectissimarum, quae proposita argumenta optime pertractant, et novis observationibus, vel animadversionibus illustrant, ut et Programmatum, variorumque opusculorum, quae propter exiguam molem temporis lapsu ut plurimum pereunt, et summo jure asservari merentur; hujus operis tria volumina in lucem emisit, singulis voluminibus addita tabula contentorum, quae brevem totius operis exhibet conspectum, subnexoque indice (4).

Ut methodus insitionis variolarum, in Anglia tanto cum fructu eo tempore adhibita, atque experimenta ad compescendum morbum variolosum instituta, in nostra patria etiam melius cognoscerentur, ex lingua Anglica in Belgicum sermonem convertit, ediditque Dissertationem TH. DIMSDALE, de insitione variolarum (5); atque dein publici juris fecit Epistolam a G. VAN DOEVEREN V. Cl. ad eum scriptam, continentem relationem felicis successus insitionis variolarum (6); dum aliam Epistolam ad hoc argumentum etiam pertinentem, a Doct. M. W. SCHWENCKE ad eum scriptam communicavit in sua Bibliotheca (7).

Postquam anno 1767 Hagae Comitum observaverat infantem, ex cujus regione epigastrica dependebat pars inferior trunci cum artubus inferioribus alius foetus, qui tertio post partum die obierat, hunc casum, una cum enumeratione deformitatum hujus generis, descripsit in Novis Actis Acad. Nat. Cur. (8). Hic idem fuit puer, qui ex collectione anatomica Cl. G. VAN DOEVEREN in nostro Museo Anatomico asservatur, atque denuo ab eo descriptus, atque delineatus est (9). Insequente anno observavit atque dissecuit cadaver foetus monstrosi, cujus viscera abdominalia omnia cum corde, extra corpus propendebant, quam

(3) *Natuur- en Geneeskundige Bibliotheek*, door ED. SANDIFORT, 's Gravenhage 1765. XI Deelen in 8vo.

(4) ED. SANDIFORT, *Thesaurus Dissertationum, Programmatum aliorumque selectissimorum opusculorum.* Roterodami 1768. 3 vol. in 4to. cum tab. aeneis.

(5) *Verhand. van de tegenwoordige manier van Inentinge der Kinderpokjes*, door TH. DIMSDALE, uit het Engelsch vertaald door ED. SANDIFORT. 's Gravenh. 1768. in 8vo.

(6) Brief van W. VAN DOEVEREN, M. D. et Prof. aan ED. SANDIFORT, behelzende *een Berigt van den gelukkigen uitslag der Inentinge der Kinderpokjes, onlangs te Groningen ondervonden.* 's Gravenhage 1770. in 8vo.

(7) *Natuur- en Geneesk. Bibliotheek*, 6 Deel; 3 Stuk. Haec Epistola etiam separatim edita est anno 1770.

(8) Tom. 4. Observ. 32. pag. 150.

(9) Vid. hujus Operis vol. 1. pag. 302. et vol. 2. Tab. 125 et 126.

quam observationem descripsit atque delineavit in actis Helveticis (10), atque aliorum scriptis probavit hanc observationem inter rariores esse referendam.

Eodem hoc anno ex lingua Suecica in Belgicam transtulit opus a Doct. N. Rosen van Rosenstein de morbis infantum conscriptum, atque primo sub forma diversorum commentariorum de nonnullis morbis infantum, suadente Academia Regia Suecica, artibus atque scientiis dicata, in diversis, quotannis editis, calendariis divulgatum, ut sic in hoc Regno, ubi sufficiens medicorum numerus desiderabatur, ipse populus infantum morbos melius cognosceret, atque curaret: dein vero ab Auctore omnes sic seorsim editae commentationes collectae sunt, atque cura Academiae Regiae memoratae, in unum volumen conjunctae, typis divulgatae sunt, et quidem tanto cum applausu ut brevi a Cel. Murray editio lingua Germanica conscripta prodierit. Ipsum hoc opus ab omni artis medicae perito eo tempore laudatum, in usum nostratium in sermonem Belgicum non tantum transtulit, sed praeterea addidit animadversiones huic operi a Cel. Murray adnexas, ut et tales, quas ipse, lectione operum diversorum Auctorum, utiles censebat ad morborum infantilium cognitionem amplificandam, subjunxitque nonnulla capita post editionem hujus operis ab Auctore denuo in calendariis divulgata (11). Postquam Auctor novam, maxime auctam atque emendatam editionem ipsius operis, atque Cel. Murray tertiam editionem versionis hujus operis curaverat, non inutile etiam credebat Sandifortius novam editionem ipsius versionis in linguam Belgicam curare, eoque magis quum prima editio omnium approbationem reportaverat, et ab aliquo tempore non amplius venalis prostabat. Huic vero editioni, praeter animadversiones atque emendationes plures, addidit vitam Auctoris, atque Dissertationem Doct. Oehme de morbis infantum, qui ad forum chirurgicum pertinent (12).

Dira boum lues, quae eo tempore jam diu in nostra patria ac bene multis Europae regionibus tanta saevitia regnaverat, ut in una Hollandia anno 1769, ab initio mensis Aprilis ad finem Septembris animalia 63281 perierint, plurimorum doctorum Virorum attentionem maxime incitaverat, ut vel ipsum morbum curarent, vel quovis modo praecaverent. Plura remedia eo tempore fuisse divulgata, et tanquam specifica commendata probant diaria illius temporis, quae vero omnia brevi fuerunt neglecta, ut plane inutilia. Sandifortio ut et omnibus me-

(10) *Observatio de foetu monstroso etc. in Act. Helveticis Physico- Mathematico- Anatomico- Botanico-Medicis.* Vol. 7. Basil. 1772. in 4to, cum fig.

(11) *Handleiding tot de kennis en genezing van de ziekten der kinderen,* door N. Rosen van Rosenstein, vertaald, met aanmerkingen en bijvoegselen vermeerderd door Ed. Sandifort, 's Gravenhage 1768. in 8vo.

(12) *Handleiding tot de kennis en genezing van de ziekten der kinderen enz.* 's Gravenh. 1779. 2 deelen, in8vo.

medicis frequens ergo fuit occasio lethiferum hunc morbum observandi, experimenta instituendi, atque cadavera secandi, et haec ansam praebuerunt, qua, quando Patriae Patres consultum judicarent Medicum Veterinarium ex Schola Alfortiana consulere, atque invitare ut curam prophylacticam, tantopere in Gallia laudatam in his regionibus institueret coram Medicis designatis, qua, dico Ed. Sandifort et Wynoldus Munnicks, Medicinae Doctores ex Decreto Delegatorum Praepotentium Universi Belgii Foederati Ordinum, diei 15 Februarii 1770, nominarentur, qui omnia a Medico Veterinario Augis instituenda omni cum attentione observarent, cadavera secarent, atque visa et reperta dein ad supremum Senatum referrent. Hagae Comitum ergo, et in pago Heinenoord stabula ex voto dicti medici veterinarii parabantur, sanissima animalia diversae aetatis, ut et gravidae vaccae emebantur, in quibus Augis sua experimenta institueret. Sed haec brevi probabant, hanc adeo laudatam curam prophylacticam plane esse inutilem, imo ipsius methodum curandi etiam nullius esse effectus, sed sola insitione pauca individua servari posse. Descripsit dein Sandifortius terribilem hunc morbum, suas observationes anatomicas communicavit, et retulit eventum insitionis in tractatu ad Academiam Regiam Suecicam misso (13); qui tanti pretii ab Academiae Moderatoribus fuit habitus, ut peculiari ac honorifico modo debitam Auctori habuerint gratiam.

Iisdem Actis Academiae Suecicae inseruit dein Observationes de virtute Tincturae Ligni Quassiae contra arthritidem (14).

Mortuo B. S. Albino V. Cl. in Academia nostra vacabat munus Physiologiam docendi, atque Ill. Academiae Curatoribus, Urbisque Consulibus placuit hanc provinciam defuncti Fratri demandare, qui hucusque Anatomiam atque Chirurgiam per 25 annos jam docuerat, atque valetudine minus prospera utebatur, eodemque die, 1 Octobris 1770, Sandifortium designare Lectorem Anatomes et Chirurgiae. Licet praxin medicam felicissimo cum successu exerceret, omnique honore frueretur, honorificum munus in Academia Lugduno-Batava medicinae partes tradendi ante omnia praeferebat, atque hanc provinciam, quamvis titulo Lectoris, suscepit. Illustribus vero Academiae Curatoribus, Urbisque Consulibus dein ex decreto 30 Aprilis anni 1771 placuit ei tribuere titulum Professoris Extraordinarii. Antequam vero hanc professionem auspicatus est, in lucem emisit Observationes chirurgicas Olai Acrel, ex lingua Suecica in Belgicam ab eo translatas, qui-

(13) Vid. *Suenska Vetensk. Acad. Handlingar* anni 1769. pag. 325. Editionis vero Lipsiensis pag. 323. Hic tractatus dein in lingua Germanica seorsim est edita titulo Ed. Sandifort's *Beschreibung der Viehseuche in Holland* 1769. Lipsiae 1772. in 8vo.

(14) Ibidem anno 1770. pag. 168. Editionis Lipsiensis pag. 169.

quibus addidit observationes non nullas chirurgicas atque anatomicas ab eodem Auctore in Actis Academiae Suecicae divulgatas (15).

Docendi munus hac in Academia dein suscepit, habito die 22 Maji anni 1771 Oratione inaugurali de Optimo Anatomico, quam Orationem non edidit. Studio Anatomiae atque Chirurgiae se totus tradens, ejus docendi methodus tantopere placuit ut Ill. Academiae Curatores, Urbisque Consules eum jam insequente die 1 Februarii nominarent Professorem Ordinarium Anatomiae et Chirurgiae. Inter Senatores Academiae itaque suum locum occupavit, habito die 25 Maji 1772 Sermone de Circumspecto cadaverum examine. Hanc orationem eodem anno prelo demandavit, atque divulgavit.

Cadaverum insignem numerum quotannis in Theatro Anatomico secans, ut Anatomiam, nec non methodum cadavera secandi discipulis traderet, atque aegrotantium ex hoc illove parum cognito, aut singularibus symptomatibus complicato morbo, extinctorum cadavera scrupulose cultro anatomico examinans, fieri aliter non potuit, quin brevi colligeret bene multas observationes Anatomico-pathologicas; et quum pro certo habebat Doctoris Academici munus non tantum consistere in fideli institutione academica eorum, quae vera sunt, et quotidie ab auctoribus observantur et divulgantur, sed etiam ab eo requiri, ut ea omnia, quae ulteriorem usum habere possent, publici juris faciat, simulque viam monstret quam ingredi debent, qui de eodem argumento, quod alii notaverint scire cupiunt; imo in summum artis emolumentum esse, ut quisque ea, quae tanquam prorsus nova, atque omnino singularia observaverit, ipse evulget. Suas ergo observationes Anatomico-pathologicas anno 1777 divulgare incepit, iisque addidit, quae similibus in casibus ab aliis fuerunt annotata (16); inter has inveniuntur bene multae observationes, quae omnino novae sunt censendae, atque varia, minus perspecta explicabant, dum aliae confirmarunt, quae jam ab aliis auctoribus essent observatae.

Anatomiam, Chirurgiam, nec non elementa Artis Obstetriciae omni cum sedulitate docens Ill. Academiae Curatores, Urbisque Consules cathedram Physiologiam docendi ex obitu Cl. F. B. Albini vacantem, die 12 Junii 1778 etiam ei demandarunt, eumque eodem tempore Professorem Medicinae nominarunt, atque in eum transtulerunt summam curam supellectilis Anatomicae Cl. B. S. Albini.

Obitu Cl. F. B. Albini etiam vacuum relictum erat munus praesidium gerendi

(15) *Heelkundige Waarnemingen* van O. Acrel, uit het Sweedsch vertaald door E. Sandifort, 's Gravenhage 1771. in 8vo.

(16) Ed. Sandifort, *Observationes Anatomico-Pathologicae*, Lugd. Bat. 1771–1781. 4 vol. in 4to, cum fig.

di in Collegio Chirurgico Leidensi, ut et ex obitu Cl. A. VAN ROYEN idem munus in Collegio Pharmaceutico hujus Urbis vacabat. Magistratus vero Leidenses utrumque hoc munus in eum detulerunt.

Quando supremus Foederati Belgii Senatus, post memorabilem pugnam navalem anno 1781 factam, decreverat hac in Urbe nosocomium erigere, ad recipiendos vulneratos, Amplissimi Urbis Leidensis Consules in SANDIFORTIUM conferebant munus, non solum hoc nosocomium constituendi, sed etiam summam curam habendi methodi curandi a Poliatris et Chirurgis urbanis instituendae.

Actuarii Senatus munere prima vice functus est anno 1780, atque biennio praeterlapso Rector Magnificus nominatus est, quod munus insequente anno deposuit, habita Oratione de officio medici perquam difficili, a multis pessime neglecto; quam Orationem edidit 1785. Altera vice acta Senatus curavit anno 1789 et denuo summum Academiae magistratum gessit anno 1802, quem deponens dixit de BERNARDO SIEGFRIEDO ALBINO Anatomicorum quotquot elapso floruerunt seculo facile Principe, Physiologorum vero sui temporis summo; quem sermonem academicum in lucem non emisit.

Quamvis munere Professoris valde esset occupatus, et praeterea bene multi Medici, Chirurgique, tam hac in Urbe, quam in multis aliis adjacentibus quotidie ferme in casibus gravioribus ejus auxilium, consiliumque peterent, adeo ut sic praxin medico-chirurgicam laboriosissimam, atque valde extensam exerceret, tamen praeter jam memorata scripta, pergit plura alia edere.

Perpensis iis, quae de intestino Duodeno a bene multis auctoribus in lucem essent edita, iisque omnibus utilissimum hoc organon non satis esse cognitum statuens, non prorsus inutile judicavit, hanc partem, ob peculiarem suum in corpore situm non facile rite delineandam, novis figuris illustrare. In quinquaginta cadaveribus, et quidem hominum in diversa aetate mortuorum, diversis modis praeparationem hujus intestini instituit, curavitque ut semper partes exactissime delinearentur, ita ut dein ex omnibus illis delineationibus elegerit, atque prelo divulgaverit eas delineationes, quae dictum intestinum omnium optime exhiberent, et quibus hujus notabilis organi situs, vacuo et repleto ventriculo, a priore et a posteriore, ab exteriore et ab interiore, ejusque relatio et nexus cum adjacentibus partibus egregie elucescerent, et cujusmodi delineationes eo usque desiderabantur; quum vero nonnullorum auctorum descriptiones ipsam hujus organi naturam optime illustrarent, ipsis delineationibus addidit tantum brevem descriptionem earum partium, cum expositione verborum aliorum auctorum, quae his tabulis facilius explicarentur (17).

Etiam-

(17) ED. SANDIFORT, *Tabulae intestini duodeni*, Lugd. Bat. 1780. in 4to.

INTRODUCTIO.

Etiamsi B. S. ALBINUS V. Cl. sua Historia musculorum, nec non Tabulis musculos corporis humani in syntaxi, et seorsim delineantibus, nihil optandum de his organis reliquisse videretur, tamen studiosa juventus, aliique Anatomiae cultores jure dolebant, iis, qui studio anatomico se tradere incipiunt Historiam musculorum memoratam opus esse nimis elaboratum, quam quod ab iis intelligi posset, et ante tabulas musculorum editum, ab Auctore dicta nondum potuisse illustrari ipsis tabulis, quemadmodum hoc utile judicaverat, editis tabulis osteologicis, in libro de Sceleto observare. Ut itaque plurium voto non tantum satisfaceret, edidit compendium musculorum omnium corporis humani, cum indicatione tabularum anatomicarum EUSTACHII, atque tabularum musculorum summi ALBINI (18), sed ut auditores facilius in memoriam revocare possent, quae de his organis in demonstrationibus conspexerant, audiverantque, nec non ut ii qui sibi exactam musculorum cognitionem comparare vellent, primo breviorem hanc descriptionem pervolverent, dein ALBINIANAM Historiam musculorum menti inprimerent.

Ut historiam herniae inguinalis congenitae, in aegrotantium solamen et artis emolumentum observationibus illustraret, praetermittere noluit occasionem divulgandi, quae in cadavere infantis, vix tres menses nati, hoc vitio laborantis ipse observaverat, et quidem eo magis quum auctores celeberrimi in descriptione et delineatione partium, huic morbo causam praebentium, inprimis ad statum naturalem attenderant, sicque testium ex abdomine in scrotum descensum ab omni parte explicaverant. Descripsit itaque dictum casum, ortum ejusmodi herniae congenitae explicuit, aliorumque auctorum observationes circa has partes exhibuit, atque in tabulis omnia delineavit, quemadmodum cadaveris sectio eas oculis exposuerat, superaddiditque ex foetu exactam delineationem peritonaei, vasorumque umbilicalium et vesicae urinariae, remotis una cum integumentis communibus etiam abdominalibus musculis, ut nonnulla quae ad ortum peculiarium harum herniarum pertinent, melius quam ex sola descriptione intelligerentur (19).

In usum Auditorum dein curavit non tantum novam editionem Tabularum Ossium Humanorum ab A. VESALIO antea editarum, sed ipsam tabularum explicationem multis animadversionibus auxit (20).

Edito quarto volumine Observationum Anatomico-pathologicarum, dein idem opus mutato titulo continuavit, atque sub titulo Exercitationum Academicarum edi-

(18) ED. SANDIFORT, *Descriptio musculorum Hominis*, Lugd. Bat. 1781. in 4to.

(19) ED. SANDIFORT, *Icones herniae inguinalis congenitae*, Lugd. Bat. 1781. in 4to. Hunc tractatum sermone Belgico etiam edidit titulo: *Verhand. over de aangeboren Liesbreuk*, Leyden 1781. in 8vo. met pl.

(20) A. VESALII, *Tabulae Ossium Humanorum*; denuo edidit earumque explicationem auxit ED. SANDIFORT, Lugd. Bat 1782. in fol.

edidit bene multas observationes anatomicas, sed inprimis communicavit, et delineavit plures casus rariores, qui ossium morbos illustrarent, ut et haec pathologiae pars, eousque minus tractata, perfectior redderetur (21).

Occasione data dissecandi cadaver infantis monstrosi, qui vix per dimidiam a partu horam vixerat, et cujus caput deformitatem exhibebat similem, quam in illis, quos Acephalos dicunt, observare solemus, exactissime omnium partium deformitatem, ac nonnullarum partium defectum descripsit, variisque figuris illustravit. Porro egit de Acephalis veris, de Acephalis minus proprie dictis, nec non exposuit causam probabilem dictae degenerationis cranii (22).

Eodem illo anno novam editionem curavit Institutionum Physiologicarum et Pathologicarum Cl. CALDANII; opus certe egregium, quod extra Italiam pro meritis eo tempore paucis innotuerat (23).

Dein ut discipulis, aliisque qui medicinae fundamenta addiscunt, succurreret, brevem edidit descriptionem Ossium Hominis, cum indicatione omnium memoratarum rerum in tabulis Vesalianis, utpote huic scopo optime accommodatis, atque facile comparandis (24). Hac ratione idem consilium implevit quoad cognitionem ossium, quod antea tanto cum applausu quoad cognitionem musculorum fererat. Huic operi adjunxit Orationem habitam eo tempore, quo prima vice fasces Academicas poneret.

Vix triennio praeterlapso titulo Opusculorum Anatomicorum edidit nonnullos tractatus G. AZZOGUIDI, J. B. PALETTAE et J. BRUGNONI, qui a singulis Auctoribus seorsim editi extra Italiam vix cognoscerentur, atque summo jure magni pretii haberentur (25).

Curavit etiam editionem Belgicam operis, jussi Regis Borussiae a Collegio Supremo Medico Berolini editi, in quo in usum chirurgorum, rure inprimis aegrotantium curam gerentium, pertractantur morbi praecipue interni, eorumque medendi rationes indicantur (26). Hoc opusculum tanto cum applausu in Germa-

(21) ED. SANDIFORT, *Exercitationes Academicae*, Lugd. Bat. 1783. 2 vol. in 4to. cum fig.

(22) ED. SANDIFORT, *Anatome infantis cerebro destituti*, Lugd. Bat. 1784. in 4to. cum fig.

(23) L. M. A. CALDANI, *Institutiones Physiologicae et Pathologicae*. Edidit, praefatus est, indicemque addidit ED. SANDIFORT, Lugd. Bat. 1784. 2 vol. in 8vo.

(24) ED. SANDIFORT, *Descriptio Ossium Hominis*, Lugd. Bat. 1785. in 4to.

(25) G. AZZOGUIDI, *Observ. ad uteri constructionem pertinentes. J. B. PALETTAE, nova gubernaculi testis Hunteriani, et tunicae vaginalis descriptio.* Ejusdem *Exercitatio de claudicatione congenita.* J. BRUGNONI, *Dissert. de testium in foetu positu, de eorundem in scrotum descensu, de tunicarum quibus continentur numero et origine.* Editionem curavit ED. SANDIFORT, Lugd. Bat. 1788. in 8vo.

(26) *Handleiding tot de genezing der inwendige ziekten, ten diensten der Heelmeesteren op het Land.* Uitgegeven door het opperste Collegie der Geneeskunde te Berlijn. Uit het Hoogduitsch vertaald, Leyden 1788. in 8vo.

mania acceptum, tantopere consilio proposito accommodatum judicabat, ut licet variis in locis emendari potuisset, tamen in nostris regionibus etiam insignem utilitatem adferre posset, quare non solum ipsam editionem curavit, sed ei etiam praefationem addidit.

Quando dignissimus ejus discipulus W. X. Jansen durante itinere per Italiam, subinde per literas cum eo communicaverat ea omnia, quae Medicinam atque Historiam naturalem in ea regione spectarent, has literas tanti pretii habuit, ut post reditum Auctoris, eoque consentiente, eas in lucem emiserit (27). In his literis bene multa contineri, quae ab aliis itineratoribus nondum fuerant relata, easque exactissimam praebere historiam status medicinae, et institutionum huc pertinentium testati sunt dein bene multi, et ansam praebuerunt editioni lingua Germanica conscriptae, quam ipse Auctor curavit, ne versione e sermone Belgico forte nonnulla minus accurata redderentur.

Tandem laboriosissimus Vir, suadentibus ac eum invitantibus Ill. Academiae Lugduno-Batavae Curatoribus, Urbisque Consulibus suscepit describere, atque figuris illustrare praeparationes omnes, quae in Museo Anatomico hujus Academiae inveniebantur, vel in propria collectione asservata, illustrationi affectionum, quarum nonnulla specimina in Museo Academiae prostarent, inservire potuerunt. Per plures annos in elaboratione hujus descriptionis, nec non omnium, quae requirebantur, ut ipsa praeparata accuratissime delinearentur, atque aeri inciderentur, occupatum illum fuisse nemo mirabitur, qui ipse tali operi manum unquam admoverit. Anno itaque 1793. prodierunt duo volumina hujus operis, quibus magnus thesaurus anatomicus nostrae Academiae divulgatus est, et quibus mihi nunc licet tertium superaddere volumen.

Postquam sic per seriem annorum, optima fere semper fruens sanitate, omni cum industria Professoris munere functus esset, atque variis memoratis operibus erudito orbi probaverat, qualis hac in Academia esset medicinae status, atque docendi methodus, sensim sensimque ejus vires perierunt, et prima principia morbi melancholici se manifestare videbantur. Anno ergo 1799 Ill. Academiae Curatores, Urbisque Consules non inconsultum judicabant, gravissimum Professoris munus, quo tanto cum applausu jam per 28 annos functus esset, quodammodo sublevare, atque mihi titulo Prosectoris, atque Patris V. Cl. Adjutoris demandabant sectiones cadaverum in usum demonstrationum Anatomicarum instituere, methodum secandi cadavera docere, et curam habere Musei Anatomici. Dein vero quum anno 1801 Professor Extraordinarius Anatomes constitutus fueram pergit V. Cl. adhucdum subinde Anatomicas dare demonstrationes, usque dum

(27) *Brieven over Italien aan* Ed. Sandifort, door W. X. Jansen, Leyden 1790. 2 deelen in 8vo.

dum anno 1805 valetudine minus prospera cogebatur solas lectiones Physiologicas habere.

Rege LUDOVICO NAPOLEONTE in nostra Patria regente, anno 1808 nominabatur inter ceteros Archiatros Chirurgum Regium [*Chirurgien consultant de S. M. le Roi d'Hollande*]. Ex decreto dein Imperatoris NAPOLEONTIS Academia Hollandiae constituta, tanquam parte Universitatis Galliae, ei demandabatur munus Professoris Physiologiae, et Decani Facultatis Medicae; verum ingravescente quotidie morbo, eoque jam valde debilitatus initio anni 1813, consentiente Magno Universitatis Galliae Magistro, etiam cogebatur munus Physiologiam docendi in me conferre.

In Patria nostra socius renunciatus fuit Societatis Zeelandicae, Rotterodamensis, Harlemensis, Haganae, Rheno-Trajectinae, Amstelaedamensis agriculturae dicatae, nec non Societatis Amstelaedamensis ad promovendam chirurgiam in nostra patria. Extranei etiam in honorem habebant eum nominare inter Socios Academiae Caesareae Leopoldinae Carolinae Naturae Curiosorum, Instituti Regii Historici Gottingensis, Societatis latinae Jenensis, Societatis Physico-Mathematico-Anatomico-Botanico-Medico Helvetiae, Academiae Regiae Scientiarum Sueciae, Societatis Lusatiae, Medicae Edinburgensis, Academiae Regiae Chirurgicae Parisiensis, Societatis Regiae Scientiarum Upsaliensis, Medicae Londinensis, Societatis Regiae Parisiensis ad Medicinam spectantis, Societatis Jenensis Mineralogicae, Societatis Medicae Parisiensis et Societatis Physico-Medicae Erlangensis.

Matrimonio anno 1775 sibi junxit Catharinam Johannam Kinkeed, cum qua ad mortem usque felicissime vixit. Sed quamvis hoc matrimonium certe omni sensu felicissimum dici posset, tamen aliquando optimi Parentes graviori afflige-bantur tristitia; ex septem nimirum liberis, duo infantilem aetatem vix supervixerunt, dum duo alii filii, quorum alter erat Medicinae, alter Juris utriusque Doctor in summo vigore aetatis acerbissima morte erepti sunt. Mihi itaque cum Sorore, natu majore, atque Fratre, qui etiam jam obiit, licitum fuit Venerandi Patris labentem valetudinem sustinere, et ad ultimum vitae halitum eum omni quo filium decet amore colere.

Sensim sensimque perierunt vires V. Cl. ipsumque malum hypochondriacum quotidie ingravescebat, usque dum die 12 Februarii 1814 vivere desiit, sicque ipsius Vidua Liberique orbati sunt optimo marito, carissimo patre, qui per seriem quadringenta et trium annorum Academiae Lugduno-Batavae fuit decus et ornamentum, atque ab omni artis perito de scientia medica bene meritus censebatur.

Splendidissimam reliquit bibliothecam, qua continebantur non solum libri medici, sed etiam qui ad Historiam naturalem pertinent, inter quos certe Itineratores fere completam seriem constituebant. Reliquit praeterea collectionem Ana-

tomico-pathologicam, quae quamvis numero praeparationum non adeo magna, tamen selectu speciminum notari meretur.

Sebaldus Justinus Brugmans natus est Franequerae die 24 Martii, anni 1763, Patre Antonio Brugmans, eo tempore Philosophiae, Matheseos, ac Physices Professore in Academia Franequerana, dein in Groningana, atque Matre Johanna Frederica Manger, filia Sebaldi Godofridi Manger, Verbi Divini Ministri Delphensis. In puero ad studia nato a Patre bene multa observabantur, quae et diligentiam et acumen ingenii praesagiebant. Juvenis dein bona quaevis promittens in Gymnasio Groningano latinas graecasque literas addidicit, eodemque tempore duce Cl. Patre in mathematicas atque physicas scientias incubuit, imo in hisce studiis sat cito insignes fecit progressus. Non tantum vero Cl. Pater, studiorum filii adjutor ac moderator, has scientias ut firmissimum fundamentum omnium artium, scientiarumque filio a tenera aetate tradidit, sed in animum induxerat filii educationem ad studium architecturae militaris dirigere. Brevi vero manifestum erat, indagationem rerum naturalium omnium maxime juvenis attentionem figere; omnem enim occasionem avide arripiebat vegetabilia colligendi, plantandi, omni sensu curandi, et in debitum ordinem collocandi, ita ut inscius quasi se botanico studio traderet. Fieri dein aliter non potuit quin hoc studio duceretur ad reliquas historiae naturalis partes, et omnium primo animalia non minori indagatione ei digna videbantur, quum dein etiam minerale regnum perscrutabatur. Pater itaque hunc filii ardorem, innatum quasi, observans, omni modo incitabat, atque proposito suo quod de filio instituendo conceperat, renunciabat. Aetatis anno decimo quinto Academiae Groninganae alumnorum albo adscribebatur, et nunc diu noctuque in studio rerum naturalium versans, ipsamque naturam semper consulens, solum Provinciae Groninganae, in excursionibus botanicis ejus attentionem mereri videbatur; lapides, fossilia, aliaque hic obvia colligebat, examinabat, et in ordinem systematicum redigebat.

Tanto cum fructu in omnia Philosophica studia incubuit, ut anno aetatis decimo octavo in Academia Groningana Artium liberalium Magister, et Philosophiae Doctor a Cl. Patre, Promotore, creatus sit, publice omni cum laude, die 3 Julii 1781, defensa Dissertatione de *Lithologia Groningana*, *juxta ordinem* Wallerii *digesta*, *cum synonimis aliorum*, *inprimis* Linnaei *et* Cronstedii.

Eodem illo anno praemio aureo ornabatur ejus Dissertatio, qua solvere tentaverat quaestionem anno 1779, ab Academia Divoniensi proposita, hujus argumenti: „Quaenam sunt plantae inutiles et venenatae, quae prata inficiunt, ho„rumque diminuunt fertilitatem; quaenam porro sunt remedia aptissima illis sub-

„ substituendi plantas salubres ac utiles, nutrimentum sanum atque abundans pe-„ cori praebituras?" Qua dissertatione, Lugd. Bat. anno 1787 in 8vo. typis vulgata, se probavit doctum atque expertum agricolam; imo haec Dissertatio adeo placuit Academiae sociis, ut in honorem habuerint Virum juvenem inter sodales numerare.

Insequente anno denuo auro condecorabatur; victor scilicet rediit ex certamine literario de Quaestione ab Academia Burdigalensi proposita, in qua constituendum erat „ per certa indicia arborum, ac praecipue Quercuum summi incrementi stadium"; quae Dissertatio typis non mandata est.

Anno 1783 conscripsit Dissertationem lingua Belgica, de *Vapore sulphureo*, tum Groningae, tum in vicinis regionibus observato, ejusque vi in vegetationem (28).

Quamvis studiis Philosophicis studium medicinae jam adjunxisset, atque inprimis Anatomiam corporis humani et animalium multum exercuisset, tamen dein studium medicum, primo in Academia Groningana, ducibus Cll. MUNNIKS, DRIESSEN et FORSTEN VERSCHUIR, et dein anno 1783, postquam numero candidatorum medicinae ibidem fuerat adscriptus, in Academia nostra Lugduno-Batava magis ex professo pertractavit, et Cll. DOEVERENI, HAHNII, OOSTERDYKII et VOLTELENI scholas inprimis frequentavit. Postquam ex decreto Ill. Academiae Curatorum, Urbisque Consulum, die 19 Septembris 1783 veniam impetraverat manuscriptis orientalibus utendi, ea diligenter pervolvit, eo consilio ut in cognitionem Medicinae, Historiae naturalis et Chemiae eorum populorum inquireret. Hoc tempore peritiam suam in mineralogica scientia etiam probavit, quum collectionem rerum naturalium, maxime quae ad regnum fossile pertinent, a Cl. G. VAN DOEVEREN relictam, una cum Cl. D. VAN DE WYNPERSSE in ordinem redegit, et accurate descripsit. Dein in Academia Groningana summos in medicina obtinuit honores, atque a Cl. G. FORSTEN VERSCHUIR, Promotore, Medicinae Doctor creatus est, publice defensa, die 15 Junii 1785, Dissertatione de *Puogenia*, ab omni cultore medicinae ut praeclaro in suo genere opere cognito.

Eodem anno praemium reportavit in Academia Berolinensi, conscripta Dissertatione de *Lolio*, *ejusque varia specie*, *noxa*, *et usu*, qua respondit ad Quaestionem ab Academia propositam. Haec autem Dissertatio lingua Latina conscripta publici juris facta non est, verum inter manuscripta Cl. GLEDITSCH, qui hujus

Dis-

(28) *Natuurkundige Verhandeling over eene zwavelachtige nevel, den 24 Junij 1783. in de Provincie van Stad en Lande, en de naburige landen*, waargenomen door S. J. BRUGMANS, Leyden 1787. in 8vo.

Dissertationis editionem Germanica lingua conscriptam curabat, post mortem Viri Cl. deperdita est.

Praxi medicae se nunc tradituro alius tamen patebat campus; ex decessu Cl. H. VAN SWINDEN Viri Celeberrimi ad Illustre Athenaeum Amstelaedamense Philosophiae cathedra in Academia Franequerana vacabat, quam antea tanta cum laude BRUGMANSIUS Pater occupaverat. Illustres illius Academiae Curatores hanc docendi provinciam nostro BRUGMANSIO demandare non dubitabant; et quamvis intelligeret Noster Viro juveni fore difficillimum Viris, per totam terrarum orbem praeclare cognitis in philosophicis studiis succedere, tamen die 1 Novembris 1785 oblatum munus suscepit, atque die 1 Maji insequentis anni in Ordinem Professorum receptus est. In hac Academia Physicam, Astronomiam, Logicam, atque Metaphysicam docuit, et quamvis hisce studiis valde esset occupatus, historiam naturalem, adamatum suum studium, non neglexit, inprimisque solum Frisicum exploravit. Non diu autem in hac Academia Professoris munus gessit: in Academia nimirum nostra Lugduno-Batava insequente anno Cl. D. VAN ROYEN munere Professoris se, salvo honore, abdicante, vacabat munus Professoris Botanici. Aliter ergo fieri nequit, quin nemo dignior crederetur, quam BRUGMANSIUS, qui tot jam specimina in Botanicis et Historia naturali dederat, et quae non tantum a Batavis, sed ab Extraneis erant probata, imo auro condecorata, cui et Horti Leidensis praefectura, et provincia Botaniam docendi, demandari posset.

Quamvis in Academia Franequerana, ut ipse professus est, ei liceret gaudere omnibus, quae vitam efficiunt jucundam et dulcem, Procerum benevolentia, Collegarum amicitia, Auditorum in lectionibus privatis atque publicis frequentia, ita ut etiam senescere in urbe natali, et in ipsi cara et antiqua musarum sede volupe fuisset, tamen Perillustrium Academiae Lugduno-Batavae Curatorum, Urbisque Consulum invitationem ad Botanices Professoris munus suscipiendum, recusare non potuit; imo eo lubentius suscepit oblatum munus, quum vitam studio a teneris ei adamato, sacrare nunc licebat.

Philosophiae et Astronomiae professionem ordinariam in Frisiorum Academia posuit habita, die 2 Octobris 1786, Oratione valedictoria, *de natura soli Frisici exploranda;* insequente die 28 ejusdem mensis Octobris novum munus in nostra Academia auspicatus est, habita Oratione inaugurali de *Accuratiori plantarum indigenarum notitia maxime commendanda;* utraque haec Oratio prelo expressa, atque divulgata est anno 1787.

Neque spes quam de BRUGMANSIO susceperant Illustres Academiae Curatores illos fefellit; toto pectore enim in studium Botanicum incubuit, omniaque quae ad hoc munus pertinent ad mortem usque perquam egregie explevit.

Mortuo Cl. J. N. S. ALLEMAND cui Physicam et Historiam naturalem docendi pro-

provincia demandata erat, Viro Clarissimo munus Professoris Historiae naturalis etiam demandabatur, atque hanc provinciam suscepit, habita, die 18 Junii 1787, Oratione de *Natura justam inter animalia proportionem conservante*, quae typis non est divulgata. Ab hoc tempore universam historiam naturalem docens, pro certo habebat, vulgarem illam animalium historiam, quae cum signis tantum externis contineatur manca saepe et falsa est, scopo minime sufficere, sed nobiliorem rerum naturalium cognitionem, quae cum externa contemplatione ipsius fabricae investigationem jungat, et oeconomiam animalem una explicet, veram studendi methodum indicare. Exstabat hac in Academia Museum quoddam historiae naturalis, quod praeter collectionem mineralogicam continebat plurima specimina animalium, ex omnibus eorum classibus, et quod eousque lectionibus Cl. ALLEMAND atque LE FRANCQ VAN BERKHEY inservierat, sed nullum continebat praeparatum zootomicum. Ut itaque scopum feriret ei necesse fuit sectiones bene multas animalium instituere, praeparationes zootomicas colligere, atque sic fundamentum posuit eximiae supellectilis Anatomicae, quam post mortem reliquit. Ad hanc Anatomiam comparatam summopere animum attendit, illamque repetita feliciter occasione adeo perfecit, ut quam plurima minus cognita explicaret, et incognita detegeret; quae omnia a discipulis in dissertationibus, vel sub praesidio Viri Clarissimi, vel pro gradu Doctoratus defensis, commemorata reperiuntur, et quibus dissertationibus ingenium et docendi methodum Cl. Praeceptoris per universam Europam divulgarunt. Sic primus fuit qui in nostra Academia Anatomen comparatam docuit, eamque ad historiam naturalem applicuit.

Ex decreto Ill. Academiae Curatorum, Urbisque Consulum, diei 13 Maji 1791 Cl. BRUGMANS ex ordine Philosophico tansiit in ordinem Medicum, ea tamen conditione, ut neque onera hujus ordinis ferret, neque juribus fueretur. Mortuo dein anno 1795 Cl. F. J. VOLTELEN, Ordinis Medici socio, Ill. Academiae Curatores, Urbisque Consules die 19 Septembris illius anni decreverunt in posterum a Cl. BRUGMANS una cum reliquis medicinae Professoribus omnia officia illius ordinis praestanda esse, atque emolumenta etiam ei ut caeteris competere.

Vacante nunc cathedra chemica ex obitu Cl. F. J. VOLTELEN, ne hoc detrimento foret civium academicorum BRUGMANSIUS, consentientibus Ill. Academiae Curatoribus, suscepit anno 1795 lectiones chemicas; et haec ei adeo feliciter cesserunt, ut dein hoc docendi munus ei ab Ill. Academiae Curatoribus, Urbisque Consulibus demandatum sit, quo tempore Orationem habuit, die 1 Novembris 1800, de HERMANNI BOERHAAVII *meritis in Chemiam*, quae in lucem non prodiit.

Amico suo integerrimo Cl. P. NIEUWLAND anno 1794 mortuo, hujus praeclari Viri merita in brevi historia vitae memoravit (29).

Quam-

(29) *Nieuwe Algemeene Konst- en Letterbode*, 1794. N°. 49. pag. 178.

Quamvis munere Academico valde occupatus esset BRUGMANSIUS, nullam praetermittebat occasionem acquisitam doctrinam amplificandi, atque in generis humani salutem adhibendi. Anno 1794 exercitu Hanoveranorum per Patriam nostram e bello, hoc tempore gesto, recedente, Nosocomium militare in viciniis nostrae civitatis constituebatur, et brevi insignis numerus vulneratorum, aut morbis affectorum in illud recipiebatur. Aliter ergo vix fieri potuit, quin etiam ex morbis contagiosis nosocomialibus, atque inprimis ex dysenteria, inter illos milites grassante, quotidie magnus eorum numerus periret. Singulis diebus hoc nosocomium visitans, cadaverum magnum numerum cum suis discipulis secabat, atque medendi rationem perscrutabatur; consilia iniens etiam cum Chirurgis militaribus occasio concedebatur suis consiliis plura mala avertendi.

Cura medica militaris in nostra Patria eo tempore inprimis videbatur neglecta; Chirurgis militaribus nimirum omnia, quae ad curam medicam militum pertinebant, erant demandata, quin cuiquam de rebus a se gestis responderent; honorarium iis concessum erat admodum parvum, medicamenta propriis sumptibus ab iis erant paranda atque exhibenda, dum curationem morborum propria culpa contractorum persolvere debebant milites. Hinc eo tempore nosocomia semper erant repleta, et aegroti saepius miserrimo modo peribant. Hac ex causa Proceres Hollandiae, quibus peritia BRUGMANSII in arte medendi nunc quotidie magis et magis manifesta fiebat, cum Viro Clarissimo consilia inibant de modo omnia, quae huc pertinerent, melius administrandi. Initio autem anni 1795 ab Iis, quibus tunc omnis cura Patriae demandata erat, BRUGMANSII consilia denuo petebantur in gratiam illorum quibus cura Medico-chirurgica castrensis demandata fuerat; dein 20 Aprilis ejusdem anni designabatur cum expertissimis chirurgis W. LEURS et H. JANSSEN, socius collegii, quod curam gereret nosocomiorum militarium, iisque adjungebatur L. A. VAN MEERTEN, qui acta hujus collegii curaret. His viris etiam demandatum erat modum describere juxta quem simplicissima ratione, maxima cum parcimonia atque uniformiter cura medica prophylactica et curativa in exercitu Reipublicae Batavae, tempore pacis et belli posset exerceri.

Quamvis sola cognitio medica huc minime sufficeret, sed bene multa alia penitus essent cognoscenda, difficillimum hoc pensum tamen brevi absolvit BRUGMANSIUS, cui vita militaris, atque omnia, quae ad nosocomia eorum instituenda, et administranda pertinebant, jam bene erant cognita.

Proposuit itaque Chirurgorum militarium numerum augere; eos in classes dividere; omnibus honorarium majus, atque ordines (*rangen*) militares, meritis respondentes concedere; sortem eorum omni modo emendare; medicamentorum horreum erigere, ex quo pro re nata chirurgi medicamenta peterent; atque curam totius hujus disciplinae medicae militaris Collegio trium Virorum demanda-

re,

re, omniaque ex parvo tributo, repetendo a singulis militibus, persolvere, adeo ut a parte aerarii publici nullis expensis faciendis locus daretur; simulque tradidit formulas quibus notabantur officia singulorum ordinum chirurgorum; ipsius collegii medici; nec non pharmaceutae, qui praeësset horreo medicamentorum et sub cujus praesidio omnia composita medicamenta praepararentur.

His omnibus a Reipublicae Batavae Gubernatoribus probatis, die 18 Julii 1795 ab iisdem Viris Collegium Medicum militare [*Bureau van gezondheid over de Hospitalen en de Armée*] constitutum est, atque Viri Expertissimi W. Leurs et H. Janssen socii illius collegii sunt designati, iisque adjunctus est L. A. van Meerten, qui actuarii munere fungeretur, dum suprema cura Cl. Brugmansio demandabatur. Insequente die primo mensis Augusti ejusdem anni omnia non tantum erant parata, sed ordinata. Ab hoc tempore Chirurgorum militarium officium non tantum erat milites, eorumque uxores et liberos, quando morbis cujuscunque generis laborabant, humaniter pertractare; sed etiam singulorum militum aegrotantium historiam morbi, sectionem cadaveris, si ex morbo periissent, et propinatorum remediorum relationem cum collegio medico communicare, ut omni tempore regnantes et intercurrentes morbi, curandique methodus cognoscerentur, atque ex arte dijudicari possent. Chirurgis primae classis praeterea demandatum erat discipulos Anatomiam, et Therapeiam medicam atque chirurgicam docere.

Insequente anno proponebat Brugmansius omnia, quae ad rem domesticam nosocomiorum pertinerent tanta copia semper ad manus habere, ut si necesse foret intra brevissimum tempus non tantum nosocomia diversa possent constitui, sed vulnerati aut aegrotantes debita ratione transvehi, et in nosocomiis a medicis ex arte tractari. Proposito Viri Clarissimi probato, brevi rursus insignis apparatus ad manus erat omnium utensilium, quae in nosocomiis tempore belli requirerentur (30).

Experientia dein sat cito probavit omnem hanc rem penitus a Brugmansio fuisse perspectam, atque totum hoc institutum insequentibus annis ab exteris saepius fuit laudatum atque probatum.

Quamvis Chirurgis primae classis demandatum esset, discipulos sibi adjunctos medicinam docere, tamen tractu temporis Brugmansius, nec immerito, utile judicabat magis ex professo diversos discipulos scientiam medicam in toto ambitu docere, quare in Nosocomio majori Leidensi scholam medicam constituebat, in

(30) Omnia quae ad hoc institutum medicum pertinent, nomine Collegii medici militaris prelo sunt divulgata, titulo: *Berigt wegens de thans plaatshebbende geneeskundige inrigtingen bij de Nationale Troepen der Bataafsche Republiek*, Leyden 1796. in 8vo.

in qua docendi provincia, in diversis medicinae et chirurgiae partibus Chirurgis militaribus demandabatur sub Viri Cl. praesidio, dum simul discipulis concedebatur occasio lectiones Academicas Cll. Professorum frequentandi, et ex hac schola plures expertissimi Viri prodierunt.

Quamvis durante bello, per seriem annorum protracto, nunquam non omnis haec cura medica quam optime satisfecisset, tamen tempore Regis LUDOVICI NAPOLEONTIS utilius credebatur etiam in hac parte leges Francicas imitari, sed BRUGMANSIO probare non difficile erat suum institutum omni ratione aliis esse praeferendum, adeo ut ex decreto Regis, diei 5 Novembris 1806, in hoc munere confirmaretur, titulo tantum mutato. Sequenti anno REX ei tribuebat ornamentum Equitum *Unionis*, eumque nominabat una cum aliis Viris Celeberrimis Archiatrum Regium [*Médécin Consultant*], et biennio praeterlapso Consiliariis extraordinariis Regis adscribebatur. Dein ab Imperatore NAPOLEONTE, quum nostra Patria partem regni Francici constituebat, etiam totum hoc institutum conservabatur, atque in munere Inspectoris Generalis rei medicae militaris confirmabatur. Anno 1811 obtinebat insignia *Legionis Honoris*, et insequente anno ea *Ordinis Imperatorii Reunionis.*

Patria nostra libertatem recuperante, atque PRINCIPE ex genere ARAUSIACO ei reddito per breve quidem temporis spatium ab hoc munere destitutus fuit, sed mox postquam Viri Cl. praeclare ingenium, nec non ejus agendi ratio Augustissimo PRINCIPI esset cognitum, ex decreto 14 Octobris 1814 denuo cura primaria medica exercitus ei demandabatur, titulo *Inspecteur Generaal van den Geneeskundigen Dienst van het Leger te Lande*, cui muneri ex decreto 27 Februarii 1815 cura rei maritimae addebatur, adeo ut nunc brevi omnes, qui militiae terrestri vel maritimae in Patria, vel et in Coloniis Orientalibus et Occidentalibus essent adscripti, eodem modo medice pertractarentur. Nec omnia quae requiruntur ut praecaveatur ne morbi contagiosi ex aliis regionibus in Patriam per navigationem transveherentur, negligebantur, sed ipse huc pertinentia instituta, in viciniis portuum, examinavit, leges emendavit, et Chirurgis militaribus curam demandavit.

Nunquam vero ingenium BRUGMANSII magis emicuit, et praestantia summam curam medicam militarem uni tantum homini demandandi magis manifesta fuit, quam post memorabile certamen WATERLOËNSE, a die 15 ad 18 Junii 1815 habitum; Bruxellas enim insequenti nocte adveniens BRUGMANSIUS hic jam praesentem inveniebat insignem numerum vulneratorum, ex omnibus nationibus, quae bellum susceperant, inter se commixtorum, adeo ut nosocomia atque aedificia publica non tantum ultra modum essent repleta, sed vulnerati a Civibus per totam urbem perhumaniter hospitio essent recepti; imo intra paucos dies 27000 vulnerati hac in urbe numerabantur. Prima ejus cura non solum erat chirurgo-

rum

rum requisito numero prospicere, hi enim ex Cl. Viri mandatis jam undique adveniebant, sed praevidebat fieri aliter non posse, quin isto anni tempore ex tali multitudine vulneratorum, per totam urbem dispersorum, ex tot millibus cadaverum in loco, ubi ante paucos dies tantum praelium habitum fuerat, praesentium brevi morbos contagiosos enascituros fore, qui non solum Cives Bruxellenses invaderent, sed etiam certo certius per magnam Patriae partem grassarentur. Cum Civibus Bruxellensibus ergo communicabat, quid metuendum foret, nisi juxta praescriptam formulam vulneratos tractarent, neque concurrerent ut vulnerati debita ratione possent pertractari a Chirurgis, et quomodo omne contagium posset averti (31). Graviter vulneratos in loco aërato colligebat, ut disciplinae militari obedirent; qui leviora vulnera acceperant, et absque periculo transvehi potuerunt, ad diversa nosocomia, vel propinquiora, vel magis remota, dimittebantur, dum eodem tempore in majoribus urbibus nosocomia, omnibus, quae requirebantur, instructa, parata essent ad vulneratos recipiendos; et dum haec omnia hac ratione in ordinem redigebantur eodem tempore millena cadavera maxime convenienti, atque a BRUGMANSIO praescripto modo sepeliebantur.

Laboriosissimos hosce dies fuisse universae vitae Cl. Viri, quis dubitabit, sed horum laborum praemium quovis alio fuit gloriosius. Favente SUMMO NUMINE nequidem vestigium contagii alicubi observatum est, et feliciter curabantur milites, adeo ut frustra quis pervolveret historias ad felicem adeo exitum notabilis ejusmodi certaminis inveniendum. Quid itaque mirum dein laudatam fuisse ab exteris disciplinam medicam militarem Batavam; Augustissimum nostrum REGEM, die 4 Julii 1815, BRUGMANSIO tribuisse titulum et ordinem Ducis Militaris tertii ordinis (*Generaal Major*), nec non insequente mense Novembris eum adscripsisse Ordini Equestri *Leonis Belgici*; imo ineunte altero anno *Borussiae* REGEM, nec non IMPERATOREM totius *Russiae* ei gratum animum testavisse ob servatos, curatosque suos cives, atque Hunc eum condecorasse insignibus Ordinis Equestris *St. Annae* secundae Classis, Illum vero Ordinis *Aquilae rubrae* tertiae classis; ipsumque tandem REGEM *Galliae*, die 6 Augusti 1818, ei denuo ornamenta Ordinis Equestris *Legionis Honoris* gestanda donavisse.

Nec in rebus civilibus sibi minorem laudem conquisivit. Die 15 Maji 1795 Doctissimus L. BICKER, atque Cl. BRUGMANS a Gubernatoribus Provinciae Hollandiae invitabantur ad concinnandam formulam Regiminis Medico-politici, cui voto satisfecerunt die 5 Junii ejusdem anni. Mense Decembris anni insequentis Epizootia se manifestaverat inter pecora in regione inter flumina *Mosam* et *Vahalem*, nec non in regione *Cuyk*, conveniens cum lue bovilla, quae ante multos an-

(31) *Jaarboeken van het Koningrijk der Nederlanden*, door M. STUART, 1815. Amsterd. 1818. in 8vo. pag. 284.

annos in nostra Patria, ut et in aliis regionibus tanta vehementia grassata fuerat; circa finem ejusdem mensis Brugmansius a supremo Patriae Senatu designabatur in locis indicatis morbum examinare, de ejus indole referre, atque praesidia ad eum debellandum, nec non methodum curandi indicare. Non obstante tempore hyemali, quo in ea parte Patriae accessus ad diversos pagos esset quam difficilis, Brugmansius tamen loca, hac Epizootia infestata visitavit, cadavera plura secuit, atque ad Reipublicae supremum Senatum retulit die 2 Januarii insequente (32). Quum vero officia varia a Viro Cl. praestanda, ei non permitterent diu in hac regione versari, Chirurgis militaribus curam hujus morbi ulterius observandi demandabat, medendique methodum convenientem administrandi, atque subinde de visis et repertis ad Collegium medicum militare referendi.

Quum nullus in Patria nostra existeret Codex pharmaceuticus universalis, qui enim ineunte praeterlapso seculo et ante hoc tempus, in usum nonnullarum majorum civitatum, magistratuum urbanorum provida cura, ad statum disciplinae illius temporis accommodati, editi fuerant, aeque minus ac Pharmacopoea Collegii Regalis Medicorum Londinensis, cujus editionem Leidensem anno 1788 curaverat Brugmansius, scopo proposito satisfaciebant; et in sola Civitate Amstelaedamensi longe praestantior talis Codex, a Cll. Collegii Medici Inspectoribus anno 1792 titulo *Pharmacopoeae Novae Amstelaedamensis* magno studio et rerum intelligentia concinnatus erat, tamen nec hic splendenti chemiae atque pharmaciae conditioni, ut par est, respondebat; summae necessitatis ergo videbatur Amplissimo Viro Th. van Kooten, Praefecto Institutionis publicae, cui rei quoque medicae per totam Patriam emendandae commissa erat cura, suadente Doctissimo J. van Heekeren, Medicinae Doctore, qui Viro Amplissimo a Secretis erat, ut ad Quinqueviros, penes quos suprema erat Reipublicae administrandae potestas, de rei pharmaceuticae apud nos conditione referre, atque emendationem inchoandam urgere per Pharmacopoeam Batavam, Batavis universis praescribendam, quae ad praesentem chemiae rationem accommodata esset. Probato Viri Amplissimi consilio, die 1 Aprilis 1799 provincia conscribendi talem Codicem pharmaceuticum deferebatur in Viros Cll. S. J. Brugmans, P. Driessen, G. Vrolik, nec non Viros Doctissimos J. R. Deiman, et G. G. ten Haaff, qui difficillimum arduumque laborem in usum publicum susceperunt, atque concinnatam pharmacopoeam solemniter die 18 Februarii 1803 ad Collegium Triumvirorum, quod res internas, hujus Reipublicae eo temporae curabat, detulerunt. Suprema auctoritate confirmata haec Pharmacopoea Batava anno 1805 in lucem prodiit (33).

Dein

(32) *Rapport wegens den staat der Veeziekte*, waargenomen in de maand December 1796, in de landen tusschen Maas en Waal, en den lande van Cuyk, Leyden 1797. in 8vo.

(33) Conf. *Pharmacopoea Batava*, Amstel. 1805. in 4to. ubi in praefatione omnia, quae ad historiam editionis pertinent, fuse enarrantur.

Dein ex Decreto 1 Aprilis 1816 BRUGMANSIO, ut et Viris Cll. P. DRIESSEN, G. VROLIK, N. C. DE FREMERY, J. B. VAN MONS, T. D. SAUVEUR, et Viris Doctissimis P. A. WAUTERS, et J. B. VAN DEN ZANDEN, demandatum est novum Codicem Pharmaceuticum, titulo *Pharmacopoeae Belgicae* concinnare; quod opus una cum Viris memoratis ita absolvit, ut paucis ante mortem mensibus, non nisi ultima lima requireretur; hanc vero absolvere praematurus obitus Cl. Viri prohibuit (34).

Anno 1808 ex Decreto Regis LUDOVICI NAPOLEONTIS, diei 17 Septembris Cll. BRUGMANSIUS, P. J. VAN MAANEN, J. A. BENNET et D. HEILBRON designabantur socii Collegii, cui demandatum foret exercitium artis veterinariae, in Patria nostra tam turpiter neglectae emendare, et hunc in finem omnes, qui hujus artis praxin exercere vellent, examinare, atque rationali medendi ratione eos imbuere. Dein ex decreto Principis ARAUSIACI, Universi Foederati Belgii Summi Imperantis, diei 29 Septembris 1814, denuo haec cura iisdem Viris demandabatur, cujus Collegii praesidium egregie ad mortem usque gessit. Non tantum enim ab hoc tempore examen eorum, qui praxin veterinariam exercere volebant eo collegio demandatum erat, sed saepius a Summo Imperante interrogatum est de morbis inter animalia domestica regnantibus; de praesidiis adversus Epizootias, ut et de omnibus, quae requirerentur ad condendam scholam veterinariam. Nec tantum medici veterinarii civiles ab hoc collegio erant examinandi, sed et militares ab anno 1816 ejusdem curae erant demandati. Huic Collegio certe laus negari nequit, totius hujus artis conditionem in nostra Patria mutasse, et medendi rationi, toti quantae empiricae, rationalem medendi methodum substituisse.

Conscripsit anno 1812 dissertationem de viribus motricibus piscium in genere, et speciatim de potentia exspirationis in motum progressivum (35). In hac Dissertatione demonstravit pisces non tantum motum progressivum actione caudae et pinnarum pectoralium producere, sed huc plurimum etiam conferre exspirationem, quum scilicet clauso ore aqua, postquam respirationi piscis inserviit comprimitur, et cogitur exire juxta opercula branchialia, quo motus antrorsum producitur.

In conventu primae classis Instituti Regii Artium ac Scientiarum dein etiam anno 1819 praelectionem habuit de structura diversarum specierum cornuum in mammalibus, quam commentationem sibi proposuerat ampliare, quod vero inopi-

(34) Conf. *Pharmacopoea Belgica*, Hagae Comitum 1823. in 4to. in praefatione.

(35) *Aanmerkingen over de middelen door welke de visschen zich bewegen in het algemeen, en over het vermogen der uitademing tot dat einde in het bijzonder.* Verhand. van de Eerste Klasse van het Holl. Instituut van Wetensch., Letterk. en Schoone Kunsten, Amsterd. 1812. in 4to, 1. Deel, pag. 185.

opina mors Viri Cl. impedivit, ita ut ex postrema ejus voluntate typis mandata non sit.

Anno 1814 reportavit praemium Societatis Scientiarum Harlemensis, conscripta dissertatione ad quaestionem, praecedente anno, propositam solvendam, de *indole et compositione aëris Atmosphaerici eo tempore quo gangraena nosocomialis inter vulneratos grassari solet.* Haec dissertatio tantam habuit laudem perspicuitatis, curae, laboris, veritatis ut Exteri eam in suum sermonem vertere non dubitaverint (36).

Quamvis tot rebus occupatus, inter quas certe cura medica militaris inprimis tempore belli, quotidie fere totam diem requirere videretur, tamen omni tempore ad ultimum vitae terminum munere Professoris summa cum diligentia functus est, atque ei rarissimum erat vacare a lectionibus quotidianis Botanicis, Chemicis, atque Historiae naturalis. Actuarii Senatus munere functus est anno 1794; prima vice Rectoris Magnifici officium gessit anno 1796. Hunc Magistratum, si quis alius digne sustinuit, et posuit habita Oratione *de sapiente et moderato studio novitatis, praesertim in medicina*, quae typis expressa non est. Altera vice Rectoris Magnifici munus suscepit anno 1811, quando brevi difficillima tempora nascebantur, quibus, Patria nostra Imperii Francici provinciam constituente, Academia Lugduno-Batava cum magnae Universitatis Galliae corpore, tanquam pars et membrum conjungebatur. Ex decreto IMPERATORIS novae Academiae Rector BRUGMANSIUS designabatur, atque ipso die 3 Novembris 1812, quo inauguratio Academiae Leidensis magna pompa celebrabatur Orationem habuit, qua quid emolumenti e Francicis legibus in hujus quoque regionis studia, literas, artes redundare posset, pro temporis necessitate, rerumque, qui tunc erat, statu, copiose exposuit. Ingenio autem BRUGMANSII tribuendum in hac rerum conditione, minus quam quis forte jure metuisset, et detrimenti accepisse literarum studia, et incommodi molestiaeque sensisse vel docentes vel discentes; neque, quod sane non est exiguum, ullam cladem Bibliothecae, aliisve possessionibus Academicis esse illatam (37). Tradidit dein in conventu Professorum summum Academiae magistratum successori suo die 16 Decembris 1813.

Imperatore NAPOLEONTE anno 1815 oppresso, victis Gallis, atque copiis omnium ferme Populorum Europae Parisios intrantibus, inter reliquas pacis conditiones statutum etiam fuerat, ut ea, quae diversis Populis tempore belli fuissent erep-

(36) In linguam Gallicam translata est a Doct. J. BOSSUYT. Vid. *Annales de Literature Medicale, étrangère et nationale*, par M. M. KLUYSKENS et KESTELOOT, Gand, 1815. In linguam Germanicam haec Dissertatio translata est a Cl. KIESER, titulo: BRUGMANS *und* DELPECH, *über den Hospital-Brand, aus dem Holländischen und Französischen übersetst*, Jena 1819. In linguam Anglicam conversa invenitur in diario *the Medical und Physical Journal*, bij FOTMERGELL and WANT. Lond.

(37) Conf. *Annales Academiae Lugduno-Batavae*, a die VI Novembris anni 1815 ad diem VIII Februarii anni 1816. Lugd. Bat. 1817. in 4to. in introductione.

erepta, restituerentur. Ex nostra etiam Patria anno 1795 Gazophylacium eximium rerum naturalium, inter possessiones Serenissimi Principis GUILIELMI V, Foederati Belgii Gubernatoris hereditarii, raptum atque Parisios translatum fuisse, cuique notum. REX noster Augustissimus nunc BRUGMANSIO demandabat totum hunc thesaurum rerum naturalium, ab omni cultore hujus Scientiae, atque etiam a Viro Cl. semper magno praetio habitum, Ipsius nomine Parisiis repetere, atque in Patriam reducere. Hanc certe difficillimam provinciam omni cum laude implevit. Non tantum enim reduxit omnia, quae summi praetii essent habenda, sed loco eorum, quae tractu temporis erant corrupta, vel deperdita, talia specimina elegit, quae antea deficiebant, et in ordine systematico totius musei omnino requirebantur; adeo ut magis locupletatum museum Historiae naturalis merito haberi debuerit. Hoc museum dein benevolentia Augustissimi REGIS nostrae Academiae donum datum est, ut studio Historiae naturalis posset inservire. Sed simul etiam laboriosissimum pensum a BRUGMANSIO erat absolvendum. Omnia enim specimina totius hujus thesauri, una cum iis, quae in Museo Academico jam praesentia erant, in ordinem erant redigenda, et sic exponenda ut et a curiosis spectatoribus, et Historiae naturalis cultoribus possent conspici, et usui inservire; et quamvis eo tempore aedificium tali thesauro dignum non inveniretur, brevi tamen aedificium quoddam, sub praesidio Viri Cl., scopo praevio adaptatum erat. Dein proposuit Ill. Academiae Curatoribus aedificium construere, quod ab omni parte sufficeret, sed praeter hujus fundamenta, ei illud conspicere non licuit. Hoc rerum naturalium thesauro mox etiam usus est in lectionibus de universa Historia naturali, nec non in specie in lectionibus Geologicis, quae summi pretii fuerunt habitae, adeo ut ab eo tempore non tantum hae lectiones ab Academiae studiosis numerosissimis, ex omnibus fere ordinibus, frequentarentur, sed Viri plures Clarissimi, Doctissimi aliique eorum praesentia Virum Cl. honorarent.

Interim etiam veniam inpetraverat Horti Botanici Academici aream insigniter amplificandi, ita ut quatriplo major esset priori Horto. Nunc calidaria, tepidaria, caeteraque aedificia, conservandis vegetabilibus exoticis augebantur, vel quae aderant scopo melius adaptabantur. Plantarum numerus incredibili ratione intra brevissimum tempus augebatur, et quamvis juxta LINNAEANUM systema a Cl. PERSOON editum, in valde extenso horto disponerentur, omnia tamen et curiosorum obambulantium oculis placebant, et disciplinae botanicae quam maxime inserviebant.

Haec omnia, tam in ordinandis speciminibus Historiae naturalis, quam in amplificando Horto botanico, ei quam feliciter cesserunt, et probaverunt quanto cum fructu in iteratis itineribus per Galliam, Germaniam, Borussiam omnia tam publica quam privata musea et collectiones rerum naturalium, et Hortos Botanicos

visitaverat, adeo ut ei mox perspectum esset, quid ex iis omnibus esset imitandum, quid vero evitandum.

Talem ac tantum Virum cum doctrinae copia, tum studiorum ardentissimo amore maxime insignem, per universum literarum orbem hominibus eruditis sui admirationem movisse minime mirandum. Igitur non tantum Societatibus artium atque scientiarum cultui dicatis, quae in nostra Patria florent, ut Rotterodamensi, Harlemensi, Vlissinganae, Rheno-Trajectinae, Instituto Regio Hollandiae, Bruxellensi, Leodiensi et Antverpiensi, sed etiam Societati Botanicae Ratisbonensi, Societati cultui universae historiae naturalis dicatae Marburgensi, Veteraviensi, Societati Medicae Edinburgensi, Parisiensi, Societati Physicae Gottingensi, Edinburgensi, Physico-Medicae Erlangensi, Oeconomicae Lipsiensi, Mineralogicae Jenensi; Academiae Cesareae Leopoldino-Carolinae Naturae curiosorum, Medico-practicae Barcinonensi, Scientiarum Borussiae, Monachensi, Divionensi visum fuit perhonorificum iis esse BRUGMANSIUM inter Socios numerare. Imo Societas Hollandica Artibus et Scientiis dicata summo Viro mortuo nummum aureum obtulerunt Auctori, qui elogium tali Viro dignum conscriberet. Ex hoc certamine Victores redierunt Vir Cl. H. C. VAN DER BOON MESCH, et Doct. A. CAPADOCE, quorum ille nummum aureum, hic vero nummum argenteum reportavit (38).

Matrimonium iniit anno 1797 cum nobilissima M. C. VAN DAM, omnibus dotibus imbuta, quae sequiorem sexum maxime ornant; felicissimum hoc fuit matrimonium, ex quo prodierunt duae filiae, tantis parentibus dignissimae.

Prospera semper sanitate fruebatur, et non nisi postremis annis subinde doloribus podagricis, sed lenioribus afficiebatur; die vero 18 Julii 1819 vespertino tempore, postquam in museo Historiae naturalis, et in Horto Academico aliquamdiu laboraverat, ex improviso doloribus cardialgicis, colicisque afficiebatur, qui primo quidem cum levamine debellari videbantur, sed brevi non tantum morbi futuri saevitiem minabantur, verum ita increverunt ut latentem et subdolem ventriculi atque intestinorum inflammationem prodiderint in gangraenam transeuntem, ita ut post noctem inquietissimam die 22 Julii 1819, vespertino tempore diem obierit supremum.

Calamitosa dies, quae viduae, filiabus, ceterisque consanguineis, atque amicis optimum maritum, carissimum patrem, sincerum amicum, Academiae incomparabilem doctorem, Patriae optime de ea meritum civem eripuit; adeo ut irreparabile damnum illatum fuisse, omnes doctrinae et scientiarum cultores merito statuerint.

Prae-

(38) *Werken der Holl. Maatschappij van fraaije Kunsten en Wetenschappen*, Leyden 1825. 7. Deel, 2. Stuk.

Praeter selectissimam Bibliothecam, libros e Scientia Medica et universa Historia Naturali continentem, reliquit splendidissimam supellectilem Anatomicam, benevolentia Augustissimi nostri REGIS nunc theatri Anatomici ornamentum, in memoriam perpetuam Viri Cl. Neque studio, neque sumtibus parcendum ratus, undique in locupletissimum hoc museum congessit, quae ad Anatomiam comparatam vel ornandam, vel novis inventis amplificandam, vel ad animalium historiam enucleandam, vel ad pathologiam explicandam aliquid conferre posse viderentur, hac mente atque proposito, ut comparatione fabricae animalium in genere, indolem atque agendi rationem singulorum organorum corporis animalis, per omnes eorum classes detegeret, atque exponeret.

Hunc ergo in finem non tantum in prima sectione collegit praeparationes bene multas, tam in idoneo liquore asservatas, ut earum natura quam minime mutaretur, quam post debitam depurationem exsiccatas, et quidem organorum diversorum hominum, caeterorumque animalium vertebris instructorum, vel et iis carentium, utriusque sexus, atque diversae aetatis, ut sic intricatissimam fabricam omnium organorum corporis humani, tanquam animalis perfectissimi, eorumque diversimode mutatam formam ac fabricam in caeteris animalium classibus, prout singulorum individuorum oeconomia hoc postularet, illustraret.

Quamvis series praeparationum singulas functiones exponentes huic scopo maxime satisfaciat, nonnullae tamen series praeceteris omnium attentionem merentur; sic V. G. inter organa functionis naturalis vix quidquam desiderandum superest in capite, quod partes manducationi inservientes demonstrat, atque inter organa functionis animalis idem valet quoad organa sensuum externorum, inprimisque multiplices sunt praeparationes quae integumenta communia, eorumque partes accessorias exponunt.

Insignis etiam est collectio craniorum diversarum nationum, quae V. Cl. ordine geographico a polo septentrionali ad australem considerare, atque inter se comparare solebat. Neque ossa fossilia animalium neglexit, sed horum etiam collectionem asservavit; et ut tandem totam oeconomiam animalium debita ratione exponere posset, collegit etiam bene multa animalia integra ex diversis classibus, ad eorum formam externam cum fabrica interna comparandam.

Altera sectione continentur praeparata partium corporis humani vel animalium, quae morbo quodam a statu naturali recesserant, ut demonstraret naturam etiam suas sequi leges in sanatione partium, simili ratione quam in naturali productione, vel evolutione partium. Nemini certe, quam BRUGMANSIO, unquam magis opportuna occasio fuit acquirendi praeparata pathologica, in omni fere diversorum morborum stadio, quum durante bello per seriem annorum protracto,

summa cura medica militum ei demandatum fuit. Collegit ergo non tantum diversorum morborum, inprimis ossium, specimina maxime notabilia, sed etiam talia quae aperte demonstrant progressum naturae in sanando morbo, aut ejusdem conamina primo ad removendum, et dein restituendum id, quod vi morbi alienatum, aut vita est orbatum.

Et sic L. B. descriptionem habes Musei Anatomico-Physiologico-Pathologici ordine systematico dispositi Viri vere summi, quem Franequera peperit, Groninga sinu suo fovit, Leida nostra in aetatis vigore et cultus fastigio per tringinta et tres annos continuos possedit, qui ejus ornamentum fuit, unum omnium splendidissimum in variis Philosophiae naturalis, et Scientiae Medicae partibus; quique ad culmen honoris et laudis adscendit, et de Patria, Rege, Academia, Civibus suis, verbo, de toto orbe optime meruit.

IX

SUPELLEX

ANATOMICA

BRUGMANSIANA.

BIBLIOTHECA

SELECTA

V

SUPELLEX
ANATOMICA
BRUGMANSIANA.

PARS PRIOR.

PRAEPARATA EX HOMINIBUS AC ANIMALIBUS IN STATU NATURALI.

SECTIO PRIMA.

PRAEPARATA ANATOMICA, QUAE IN LIQUORE LIMPIDO CONTINENTUR.

ORGANA DIGESTIONIS,

EX HOMINIBUS.

N°. I. Ventriculus foetus, vel infantis recens nati, inversus adeo ut superficies interna sit externa. Vasa sanguinea penitus materia idonea rubra sunt impleta, unde tota tunica mucosa rubet.

II. Portio intestini jejuni hominis adulti, ubi ex duodeno provenit, a mesenterio abscissa atque longitudinaliter dissecta. Arteriae et venae rubra materia egregie sunt impletae atque villi valde distincti.

III. Similis portio ejusdem intestini.

IV. Similis portio ejusdem intestini, ex ipsius parte media.

V. Portio intestini ejusdem, simili ratione praeparata.

VI. Portio praecedentibus paulo minor ex intestino jejuno. Venae rite sunt materie rubra impletae, atque tunicae mucosae villi egregie conspicui.

VII. Intestini jejuni portio, a mesenterio abscissa, et in opposita parte juxta longitudinem dissecta. Arteriae rubra materie turgent, valvularum numerus longe est minor, quam in praecedentibus.

VIII. Portio intestini jejuni prope ilium, a mesenterio dissecta, atque eo in loco longitudinaliter divisa. Vasa materie pallide rubra impleta sunt, hinc color tunicae internae minus rubet, quam in praecedentibus speciminibus.

IX. Infantis portio intestini jejuni, a mesenterio abscissa, ibique juxta longitudinem divisa. Venae materie rubra sunt impletae.

X. Intestini ilium portio, ubi ex jejuno oritur, a mesenterio resecta ac longitudinaliter dissecta. Vasa debita ratione materie rubra sunt impleta.

XI. Portio intestini ilium, ubi coeco adjacet a mesenterio abscissa et longitudinaliter divisa. Vasa materie rubra turgent et tunicae internae structura optime cernitur.

XII. Intestini jejuni, ubi in ilium transit, portio ex infante. Vasa rubra materie sunt impleta, et intestinum juxta longitudinem est dissectum.

XIII. Portio intestini ilium infantis, tota inversa, adeo ut superficies interna sit externa. Ex impletione vasorum pallide rubet, et paucas valvulas conniventes monstrat.

XIV. Intestini coli portio inversa ex infante. Tunica interna ex impletione vasorum egregie rubet.

XV. Portio intestini coli infantis junioris, a mesocolo abscissa et hac in parte longitudinaliter dissecta. Vasa materie rubra turgent; in externa superficie ligamenta longitudinalia conspiciuntur, et cellulae inter ea productae satis sunt distinctae.

XVI. Tunicae internae sive mucosae intestini ilium portio, post debitam impletionem omnium vasorum materia rubra, a reliquis tunicis separata.

XVII. Portio intestini ilium cum adnexo mesenterio. Altera dimidia pars intestini est ablata, dissecto intestino juxta mesenterium: vasa rubra materie sunt impleta atque totum praeparatum quum pellucidum est, vasorum ramificationem eorumque decursum per mesenterium ad intestinum optime demonstrat.

XVIII. Lien hominis adulti, elotione ita praeparatus ut dissecta longitudinaliter tunica externa, vasorum distributio per ipsam substantiam appareat.

EX MAMMALIBUS.

XIX. Ventriculus Bradypi tridactyli.

XX. Portio mediae partis ventriculi Elephanti. Ab exteriore pro parte ablata est tunica externa, quae tenuis est; muscularis tunica gaudet crassitie insigni, ejusque fibrae strata distincta formant. Inter hanc et mucosam tela cellularis, sive tunica nervea, crassa adest. Ipsa interna tunica etiam satis crassa vix est villosa, sed videtur habere multas cryptas muciparas.

XXI. Intestini tenuis portio ex Elephanto. Membrana interna valde est plicata, villi admodum sunt tenues et vix conspicui; tunica nervea sive cellularis crassa; muscularis tunica satis fortis, et externa tenuis.

XXII. Portio intestini crassi Elephanti. Tunica interna plicas format tenuiores et minus prominentes; reliquae tunicae parum differunt ab iis in tenuibus intestinis.

XXIII. Ventriculus totus inversus Trichechi manati LINN. Manati ILLIG.

XXIV. Intestinum coecum ejusdem animalis, totum etiam inversum, duplici extremo coeco acuminato terminatum.

XXV. Intestinum tenue Felis Leonis foeminae inversum. Nullae apparent valvulae conniventes, sed tota superficies tunicae internae ex villis tenuissimis, diversae longitudinis, lanugine quasi obducitur.

XXVI. *Ejusdem animalis intestinum crassum inversum.* Capacitas ubique est aequalis, villi tunicae internae sunt breviores, magis distincti, atque longe minori numero praesentes, ita ut singuli facile distinguantur.

XXVII. Portio intestini jejuni Didelphis gigantcae LINN. Halmaturi ILLIG. Vasa sanguinea rubra materie penitus sunt impleta.

XXVIII. Viscera omnia ab oesophago ad anum foetus Balaenae Mysticeti.

XXIX. Pars faucium Balaenae rostratae FABR. cum papillis pharyngeis. Membrana interna plicas format transversales satis longas et crassas, quae in numerosissima filamenta undulata, in extremis crispata et inter se nexa transeunt; horum longitudo est diversa atque deorsum procedendo sensim imminuitur.

XXX. Ventriculus primus cum parte inferiore oesophagi Delphini Phocaenae junioris, juxta longitudinem apertus.

XXXI. Ventriculus secundus et tertius longitudinaliter aperti ejusdem animalis, ita ut diversa fabrica et communicatio ventriculorum appareat.

XXXII. Duae portiones intestini tenuis ejusdem animalis, inversae atque spiritu, quo continentur, repletae; directio valvularum juxta longitudinem intestini rite cernitur.

XXXIII. Portio inversa intestini tenuis Delphini nesarnack FABR. in qua similis decursus valvularum observatur.

XXXIV. Intestini tenuis inversi portio ex eodem animali, in qua tantum duae valvulae longitudinales inveniuntur.

XXXV. Intestinum coecum inversum ejusdem animalis, duplici fine coeco terminatum, transitum intestini tenuis in crassum monstrans.

XXXVI. Pars lienis eloti Ovis, adeo ut sola vasa supersint: transitus vasorum majorum in minora egregie cernitur.

XXXVII. Pars lienis eloti ex Ove.

EX AVIBUS.

XXXVIII. Ventriculus cum oesophago Falconis. In oesophago cernuntur plicae bene multae longitudinales, quae margine crenato ad bulbum ventriculi terminantur. Tunica interna bulbi ventriculi naturam magis offert membranarum mucosarum, orificia plurima glandularum conspiciuntur et ventriculi tunica interna paulo durioris videtur structurae.

XXXIX. Lingua cum faucibus atque parte superiore oesophagi, nec non totus saccus gularis Otis tardae. Saccus gularis, ante radicem linguae apertura sat magna hians, constat tenui membrana et ad inferiorem colli partem cocco terminatur fine, ita ut juxta totam longitudinem fere ubique sit ejusdem capacitatis.

XL. Reliqua portio oesophagi cum ventriculo ejusdem animalis. Oesophagus atque ventriculus sectione longitudinali sunt aperti: in bulbo ventriculi pro parte tunica interna est separata, adeo ut glandulae subjacentes egregie conspiciantur; in reliqua parte ostia glandularum ad tunicam internam apparent. Tunica muscularis ventriculi non valde crassa est, interna ad corneam naturam accedit.

XLI. Organa chylopoietica ejusdem animalis. Hepar, duobus lobis aequalis fere magnitudinis compositum, cernitur integrum cum vesicula fellea, cujus forma est oblonga. Ex hepate ductus biliferus unus, insignis longitudinis, tendit ad duodenum, alter vero cum ductu cystico junctus, choledochum format; eidem parti intestini inseruntur hi ductus cum ductu pancreatico, prodeunte ex media parte superficiei convexae hujus glandulae, quae figuram habet semilunarem.

XLII. Ventriculus dissectus cum parva portione oesophagi et duodeni ex Meleagride.

XLIII. Tunica interna coriacea sive cornea ventriculi a reliquis separata, Meleagridis.

XLIV. Lapilli ex ventriculo Meleagridis. — Massa a digestione Strigis superstes et vomitu rejecta.

EX AMPHIBIIS.

XLV. Ventriculus cum oesophago atque portione primi intestini Testudinis Mydae. Totum hoc praeparatum est inversum ac spiritu, quo continetur, rursus distentum; hinc in oesophago conspiciuntur papillae conoideae, valde acuminatae, deorsum inflexae, et diversae longitudinis. Ventriculi tunica interna nullas monstrat plicas, leviter est villosa et ad pylorum desideratur valvula.

XLVI. Tunica interna oesophagi a reliquis separata ex Testudine Myda.

XLVII. Oesophagus cum ventriculo ejusdem, post separationem tunicae internae (N. XLVI.), adeo ut papillarum forma in tunica secunda appareat.

XLVIII. Intestinum primum Testudinis Mydae, inversum ac spiritu, quo continetur, repletum. Tunica interna reticulatam offert superficiem ex plicis undulatis quasi et tenuibus.

XLIX. Simile praeparatum intestini secundi ejusdem animalis; plicae membranae internae sunt longitudinales, distinctae et sensim evanescunt.

L. Intestini tertii ejusdem animalis portio, praecedente capacior atque aequabilem superficiem internam monstrans.

LI. Intestini secundi Testudinis Mydae adultioris portio, cum adhaerente mesenterio, juxta longitudinem dissecta et explicata. Vasa sanguinea omnia penitus materie rubra sunt impleta, unde tunica interna egregie rubet. In mesenterio, valde tenui cernitur decursus atque divisio non tantum arteriarum venarumque majorum, sed etiam capillarium.

LII. Portio intestini secundi Testudinis Mydae a mesenterio dissecta atque explicata. Superior pars intestini est integra, a sequente vero tunica interna est separata et deorsum reflexa: tunica muscularis satis crassa offert fibras transversales.

LIII. Similis portio extremi inferioris intestini tertii ejusdem animalis, a qua etiam pro parte tunica interna est separata.

LIV. Cranium cum nonnullis vertebris cervicalibus Colubri Beri, in quo glandulae, venenum secernentes, praeparatae conspiciuntur.

LV. Oesophagus, ventriculus et portio intestinorum Lacertae Monitoris. Totum praeparatum est inversum atque in ventriculo circa cardiam cernuntur plura orificia folliculorum glandulosorum, ex quibus unum valde magnum. Ad pylorum nulla datur valvula. In ventriculi parte altera, versus pylorum conspiciuntur rugae longitudinales. Interna superficies intestini est aequabilis, leniter villosa.

LVI. Coluber cujus media pars corporis insigniter tumet ex contentis ventriculo alimentis.

LVII. Coluber cujus ventriculus longitudinali sectione est apertus, ut rana integra eo contenta, et cujus caput digestione jam est affectum, conspiceretur.

EX PISCIBUS.

LVIII. Portio intestini Anarrichae Lupi, inversa et spiritu repleta. Rugae sive plicae tunicae internae sunt tenues atque reticulatam formam exhibent.

LIX. Intestini inversi portio major ex Siluro Glane. Tunica interna offert rugas longitudinales separatas, in omnem sensum flexuosas atque fimbriatas.

LX. Portio intestini primi et ultimi, juxta longitudinem dissecta et explicata Tetrodontis molae. In altera portione superficies interna est acquabilis et vix villosa; in altera cernitur species valvulae transversalis infra quam tota superficies villis tenuissimis est obsessa, ex reticulato quasi fundo sive plicis tunicae internae prodeuntibus.

LXI. Intestini primi portio inversa ex Lophio piscatore. Villi omnes sunt lamellae tenuissimae insignis longitudinis, in ramos quasi desinentes.

LXII. Papillae pharyngeae Squali maximi.

LXIII. Pars valvulae spiralis intestini Squali maximi, longitudinis 25 pedum Rhen. Utraque ipsius superficies non proprie villosa, tamen inaequabilis ac quasi porosa est. Tunica interna satis est crassa; muscularis est duplo crassior.

ORGANA UROPOIETICA,

EX HOMINIBUS.

LXIV. Renis hominis adulti pars dimidia. Materies rubra arteriis injecta videtur rediisse per venas, adeo ut tota substantia ex impletis vasis rubeat, ac diversa ipsius fabrica rite in oculos incurrat; rami pelvis cum iis inhaerentibus papillis optime conspiciuntur.

LXV. Renis hominis junioris vasa impleta, adeo ut arteriae rubra, venae viridi materie turgeant; maceratione omnis reliqua substantia est elota, unde divisio et distributio vasorum egregie apparet.

EX MAMMALIBUS.

LXVI. Ren Ursi arcti. Dissecta ac separata membrana renem investiente apparent renis lobi, a vasis dependentes. Omnium figura est angularis, atque alter alteri se accommodat.

LXVII. Ren Didelphis giganteae Linn. Halmaturi Illig. post injectionem vasorum longitudinaliter dissectus, ita tamen ut in concava parte adhuc cohaereant partes. Materies rubra arteriis fuit injecta ac rediit per venas, nec non penetravit in pelvim renis. Corticalis atque papillosae substantiae fabrica optime distinguitur.

LXVIII. Renis ejusdem animalis pars quarta, in qua, post felicissimam injectionem et dissectionem per mediam partem papillae, vasorum decursus cernitur.

LXIX. Renes duo Delphini junioris, ex lobulis separatis constantes, una cum truncis vasorum, ex quibus emulgentia vasa prodeunt.

ORGANA CIRCULATIONIS ET RESPIRATIONIS,

EX MAMMALIBUS.

LXX. Cor foetus Balaenae Mysticeti, cum principiis vasorum. Cor ipsum est latum, sed breve, hinc fere semilunarem formam habet; atria non sunt magna; arteria aorta, antequam arcum format, ramum insignem emittit, ejusque capacitas sat cito imminuitur, tunicas habet robustas. Arteriae pulmonalis tunicae sunt longe tenuiores. Tenuissimae videntur venarum tunicae.

LXXI. Pulmones duo cum aspera arteria et larynge foetus Balaenae Mysticeti. Uterque pulmo in duos lobos est divisus, quorum, in situ horizontali animalis, superior figurae oblongae simul est major, alter inferior, triangularis in apicem tenuem excurrit, adeo ut hi duo cavum sat magnum forment ad recipiendum cor cum pericardio. Annuli asperae arteriae ante divisionem in ramos a posteriore sunt integerrimi, ab anteriore vero imperfecti, membrana fibrosa clauduntur. Inter cartilaginem thyreoideam et cricoideam saccus membranaceus adest, cum laryngis cavitate communicans. Cartilago thyreoidea ampla, ab anteriore valde convexa, distat a cartilagine cricoidea, illudque spatium adimplet saccus ille membranaceus. Ex superiore margine thyreoideae retrorsum deorsumque tendunt duo processus, arcuatim dispositi, qui lateribus cricoideae adnectuntur. Cricoidea cartilago a posteriore ampla, complanata et insignis longitudinis antrorsum processus emittit, qui fissuram inter se relinquunt, cui adhaeret dictus saccus. Cartilagines arytenoideae cum epiglottide in formam coni sunt elongatae.

LXXII. Portio rami asperae arteriae Balaenae rostratae Fabr. Licet ambitus canalis quidem totus sit cartilagineus, tamen annuli non circulos integros componunt, verum eorum extremitates, in nonnullis bifidae, in aliis extenuatae semet recipiunt, dum altera juxta alteram se extendit, et tum supra, tum infra se invicem procedunt.

LXXIII. Cranium Delphini Phocaenae junioris. Maxilla inferior in utroque latere ex articulatione est sublata. Omnia organa deglutitionis ac respirationis sunt conservata, lingua e situ est detracta, atque canalis a faucibus ad spiraculum ducens a parte oris partim dissectus; cernitur hinc situs laryngis atque pharyngis respectu dicti canalis. In anteriore parte cranii ipsum spiraculum, atque infra illud organa olfactus conspiciuntur.

EX AVIBUS.

LXXIV. Cor cum vasorum principiis Vulturis. Ventriculus dexter ita est dissectus ut ipsius valvula, ostio atrii apposita, nec non orificium arteriae pulmonalis appareant.

LXXV. Pars major thoracis cum pulmonibus, atque inferiore parte asperae arteriae Anatis Tadornae. Ubi aspera arteria in duos dividitur ramos ab utroque latere cernitur receptaculum aëreum, his incumbunt duo musculi sterno-tracheales. Patet porro decursus bronchiorum ad pulmones, eorumque insertio. In pulmonum superficie inferiore conspiciuntur bene multa illa foramina, quibus asperae arteriae rami cum vesiculis aëreis thoracis et abdominis communicant.

EX AMPHIBIIS.

LXXVI. Cor cum vasis Colubri, longitudinis 1,884 lin. Belg. (6 pedum Rhen.). Cor est elongatum et valde acuminatum: atria sunt magna. Vasa prope cor ampla, cito extenuantur.

LXXVII. Lingua et aspera arteria ejusdem animalis.

LXXVIII. Asperae arteriae pars inferior cum pulmonis parte superiore ejusdem animalis. Pulmo longitudinaliter est dissectus et explicatus, adeo ut transitus viae aëriferae in hoc organon, nec non hujus fabrica interna, tota cellularis, appareant, crassities pulmonis deorsum sensim imminuitur et tandem in saccum membranaceum transit.

LXXIX. Pars superior asperae arteriae cum larynge et osse hyoideo ex Testudine Myda. Annuli cartilaginei circulos parum complanatos formant.

LXXX. Rana, cujus maxilla superior cum parte conceptaculi cerebri est ablata, relicta maxilla inferiore. In cavitate oris cernitur lingua carnosa, basi bicornuta, cum apertura superiore glottidis et pharyngis.

LXXXI. Rana in utroque latere cranii vesiculas aëreas, ad laryngem pertinentes, monstrans.

EX PISCIBUS.

LXXXII. Cor cum vasis Lophii piscatorii. Auricula cum venis cavis integra est. Ventriculus cordis et arteria branchialis sectione longitudinali sunt divisa. Cernitur ostium venosum et arteriosum ventriculi, nec non interna fabrica arteriae branchialis cum suis valvulis.

LXXXIII. Cranium Esocis Lucii. Cranium ipsum longitudinaliter in medio dissectum, et pars sinistra cum tota maxilla inferiore est ablata. Cernitur situs ac fabrica branchiarum utriusque lateris, et medio loco inter haec organa respiratoria invenitur cor cum vasis, vero suo in situ, arteriam ad branchias emittens.

LXXXIV. Organa respirationis ac circulationis Petromyzonis marini. A superiore ipsum os apertum est ac faucium capacitas cernitur infra caput; apparent ab utroque latere septem branchiae, quae cum totidem aperturis a latere corporis com-

communicant; sacculos quasi repraesentant, ab interiore lamellatam structuram exhibentes, uti apparet in dissecto et explicato tali organo, a latere sinistro. Infra haec organa dependet cor cum sua auricula, arteriam ad dicta organa emittens; per venam cavam cum corde cohaeret hepar, coni inversi formam representans. Conceptaculum cerebri et theca vertebralis sunt aperta, et in hac cernitur dura mater integra.

ORGANA SECRETIONIBUS INSERVIENTIA,

EX MAMMALIBUS.

LXXXV. Pars mammae cum papilla ex Balaena. In extremitate papillae unica cernitur apertura.

LXXXVI. Mamma cum papilla haerente in fissura integumentorum communium ex Delphino. Unica eaque satis magna apertura in extremo papillae apparet.

LXXXVII. Intestinum rectum cum vesica urinaria atque cloaca Ursi Melis Linn. Melis Illig. A latere intestini recti, ubi terminatur ad cloacam, duae observantur glandulae, a ductubus excretoriis dependentes.

LXXXVIII. Saccus Moschi moschiferi cute et pilis durioribus vel rigidioribus obsessus.

LXXXIX. Castoreum nudum e folliculo exemtum.

ORGANA SENSUUM EXTERNORUM.

ORGANA VISUS,

EX HOMINIBUS.

XC. Oculus artificialis exhibens omnes ipsius partes interiores. Palpebrae, supercilia et ambientes integumentorum partes ex cera facta sunt.

XCI. Globus oculi hominis adulti cum quatuor musculis rectis atque duobus obliquis, ex cera factus.

XCII. Globi duo oculorum hominis adulti, a nervis opticis pendentes. In altero oculo dissecta est pars scleroticae, nec non choroideae, retina vero est integra, humorem vitreum amplectens.

In altero oculo dimidia pars scleroticae et choroideae a nervo optico usque ad corneam est sublata; humores sunt separati, et retina, a nervo optico dependens, conspicitur; cernuntur ligamenta ciliaria et uvea cum pupilla.

XCIII. Retina a nervo optico dependens, atque humorem vitreum, cui ad-

haeret lens crystallina, continens. Egregie apparet quo usque retina se extendit. In fundo lagenae invenitur humor vitreus cum lente crystallina.

XCIV. Corpora striata, thalami nervorum opticorum cum cruribus cerebri ad medullam oblongatam, atque nervis opticis ab origine usque ad globos oculorum. Ipsi globi verticali sectione sunt dissecti, ita ut tres tunicae oculorum, in relicta parte posteriore appareant.

EX MAMMALIBUS.

XCV. Partes diversae oculi Bovis tauri.

Globus oculi cum nervo optico, media in parte, dissectus. In anteriore portione cernitur ab exteriore transitus scleroticae, membrana adnata tectae, in corneam; ab interiore idem transitus unius partis in alteram apparet. In altera portione tres membranae in situ conspiciuntur. In anteriore parte alius oculi ab exteriore sclerotica et cornea cum adnata membrana, ab interiore choroidea cum corpore ciliari et uvea apparent. In quarto praeparato corpus ciliare cum uvea, ex primo praeparato desumtum, cernitur.

XCVI. Globus oculi a nervo optico dependens Phocae vitulinae. Ipse globus sectione longitudinali est divisus, et altera pars sublata. In sectione scleroticae apparet diversa ipsius crassities, in media scilicet parte tenuis admodum, versus corneam atque nervi optici insertionem sensim incrassatur. Choroidea tali modo est dissecta et ablata, ut major ipsius pars et corpus ciliare in situ appareant. Retinae parva portio collapsa in media parte a nervo optico dependet. In fundo lagenae invenitur humor vitreus cum lente crystallina.

XCVII. Bini oculi Delphini Phocaenae. Alter oculi globus a nervo optico dependens monstrat, ablata parte triangulari choroideae, crassitiem insignem scleroticae in parte posteriore, quae antrorsum sensim imminuitur, adeo ut in circumferentia corneae crassitiem scleroticae hominis vix superet. Choroidea est integra ubi sclerotica est sublata. Alter globus oculi tali ratione circa corneam est dissectus, ut, parte anteriore deorsum flexa, monstret corpus ciliare cum uvea et pupilla; in posteriore parte tres oculi tunicae conspiciuntur; humores sunt sublati.

XCVIII. Globus oculi cum nervo optico Balaenae, sectione in anteriorem et posteriorem partem divisus. Corneae adhaeret membrana oculi adnata, in ambitu reflexa post separationem a sclerotica. Ab interiore apparet interna superficies choroideae cum corpore ciliari et uvea. In posteriore parte cernuntur insignis crassities scleroticae, membrana choroidea et retina, partim a choroidea separata.

XCIX. Globus oculi cum nervo optico Balaenae Physali. Tertia pars scleroticae est separata et in fundo lagenae detegitur. Sectio transiit perpendiculariter

ter juxta nervum opticum et transversaliter juxta ipsam corneam, hinc diversa crassities in diversis partibus egregie conspicitur. Choroïdeae minor portio est sublata, adeo ut pro parte externa hujus membranae superficies appareat: alia portio est reflexa, ad internam superficiem demonstrandam, abscissa et ablata reliqua portione. Humores sunt remoti, et retina etiam separata, unde, in cavitate oculi, superficies interna choroideae apparet.

C. Globus oculi Balaenae, sectione longitudinali in duas partes divisus. Sectio transiit per nervum opticum, adeo ut decursus hujus nervi per crassissimam partem scleroticae et ipsius transitus in retinam appareant; cernitur porro scleroticae transitus in corneam, a cujus superficie externa adnata membrana est separata. Choroïdea scleroticae internam superficiem tegit, et retina ab hac separata est. Alterius partis cornea est separata, et choroïdea cum uvea, ab exteriore et interiore, tota apparet.

CI. Similis sectio globi oculi Balaenae, in quo tres tunicae conspiciuntur.

CII. Globi oculi Balaenae similis sectio. Utriusque portionis cornea est ablata; in una vero sola cornea, in altera cornea cum parte scleroticae, eam proxime ambiente. Per retinam vasa arteriosa centralia, rubra materie repleta, sese distribuunt.

CIII. Fundus globi oculi Balaenae. Scleroticae maxima pars est dissecta, et ablata, hinc choroïdeae superficies externa conspicitur; ab interiore tota tegitur retina. Arteriae choroïdeae et retinae rubra materie turgent, et distincte apparent.

EX AVIBUS.

CIV. Palpebrae binae Falconis serpentarii Linn. Gypogerani Illig.

CV. Globi oculorum cum tertia palpebra Falconis. Oculus alter sectione in partem anteriorem et posteriorem est divisus; sola sclerotica cum cornea superest, in illa cernitur situs annuli ossei, in ambitu corneae: in altera parte apparet insertio nervi optici in scleroticam. Alter globus oculi est integer, eique adhaeret palpebra tertia, tota expansa, et majorem partem corneae tegens.

CVI. Annulus osseus cum membrana cornea oculi Falconis, ex quatuordecim squamulis constans.

CVII. Duo globi oculorum Falconis. In altero cernitur, ablata parte scleroticae et choroïdeae, situs pectinis, ejusque insertio in humorem vitreum. In altero a priore conspicitur annulus osseus scleroticae; cornea in ambitu est dissecta, ut per pupillam lens crystallina conspiceretur; a posteriore, sclerotica partim dissecta, ac reflexa; et choroïdea pro parte ablata, cernitur situs pectinis respectu humoris vitrei.

CVIII. Globus oculi Strigis. Conspicitur annulus osseus scleroticae; a posterio-

re major portio scleroticae est dissecta et ablata, ac licet pars choroïdeae etiam resecta sit, apparet tamen situs pectinis.

CIX. Duo annuli ossei oculorum Alcedinis, ex quatuordecim squamulis constantes.

CX. Globus oculi Otis tardae. Resecta est tota cornea, in situ relictus invenitur annulus osseus, pone hunc usque ad nervum opticum, portio scleroticae, nec non choroïdeae, est sublata, adeo ut tota forma, atque situs pectinis appareant. Retina tenuis tegit interiorem partem choroïdeae; humores sunt sublati, corpus ciliare in situ adest, uvea est dissecta.

EX AMPHIBIIS.

CXI. Palpebrae utriusque oculi Testudinis Mydae.

CXII. Globus oculi cum adhaerente glandula lacrymali, ejusdem animalis.

CXIII. Glandula lacrymalis separata a vicinis partibus, ex eodem animale.

CXIV. Globus oculi a nervo optico dependens cum adhaerentibus musculis, ejusdem animalis.

CXV. Annulus osseus oculi ejusdem, ex undecim squamulis constans.

CXVI. Eaedem partes.

CXVII. Palpebrae cum glandula lacrymali Lacertae Monitoris.

CXVIII. Globus oculi cum suis musculis, ex eodem animale.

CXIX. Pars anterior scleroticae cum annulo squamoso osseo, ejusdem.

CXX. Oculi duo cum parte cutis faciei Colubri, longitudinis 1,884 lin. Belg. (6 pedum Rhen.). Alter oculus cum cute cohaeret, alter ab ea separatus est, unde constat palpebram adesse, sed imperforatam et substantiae pellucentis, corneae instar, eique, membranae adnatae ope, adnexum esse globum oculi, adeo ut inter corneam et palpebram non perforatam cavum quoddam adsit.

CXXI. Duo oculi Colubri, ab omnibus vicinis partibus separati. Alterius sclerotica est dissecta, ita ut uvea et lens crystallina appareant.

EX PISCIBUS.

CXXII. Oculus cum nervo optico, musculis, nec non pedunculo ipsum sustinente Squali squatinae LINN.

CXXIII. Globus oculi Gadi Aeglifini. Sclerotica in ambitu corneae est resecta et sursum reflexa, hinc conspicitur in externa superficie choroïdeae corpus circulare, ambiens nervum opticum, ex cujus margine reticulum vasculosum procedit. Externa choroïdeae superficies est argentei coloris, et hac in ambitu dissecta appareret Ruyschiana membrana, nigricantis coloris. Per ipsam pupillam prominet lens crystallina, tota globosa.

CXXIV. Simile praeparatum oculi ex eodem animale, ablata vero parte choroïdeae, cernitur retina humorem vitreum includens.

CXXV. Cranium Pleuronectes platessae ita praeparatum, ut situs utriusque oculi appareat. Musculi manducationis etiam in utroque latere sunt praeparati.

ORGANA GŪSTUS,

EX MAMMALIBUS.

CXXVI. Lingua Simiae, tres adsunt papillae fungiformes in linea recta dispositae.

CXXVII. Lingua cum osse hyoïde atque larynge Simiae majoris. Situs ac conformatio papillarum cum papillis hominis proxime conveniunt.

CXXVIII. Lingua cum osse hyoïde, larynge et pharynge Phocae vitulinae, apice bifido terminata.

CXXIX. Lingua cum osse hyoïde et larynge Canis.

CXXX. Lingua Felis Leonis, papillas, quoad formam atque fabricam valde diversas, demonstrans.

CXXXI. Lingua Felis Leonis, in qua aculeorum natura optime apparet.

CXXXII. Aculei linguae Felis Leonis separati.

CXXXIII. Lingua Ursi arcti, maris.

CXXXIV. Lingua cum osse hyoïde et larynge Caprae.

EX AVIBUS.

CXXXV. Lingua cum osse hyoïde et larynge Vulturis Papae Linn. Cathartis Illig.

CXXXVI. Lingua cum osse hyoïde et larynge Falconis coronati.

CXXXVII. Lingua cum osse hyoïde, larynge et pharynge Phoenicopteri rubri. Ipsa lingua admodum crassa, ab anteriore complanata, latam ovalem superficiem offert, a media parte retrorsum quasi sulcata est, ibique in utroque margine seriem aculeorum, retrorsum tendentium, exhibet. Latera membrana glabra, mucosa teguntur.

CXXXVIII. Cranium Pici viridis cum lingua, osse hyoïde et larynge. Maxilla inferior est resecta ad situm linguae et ossis hyoïdis demonstrandum. Duplex linguae pars facile distinguitur; extremitas corneae naturae in apice barbata, sive aculeis instructa est.

CXXXIX. Lingua cum osse hyoïde, larynge et pharynge Anatis Oloris.

CXL. Pars sinistra cranii Anatis Oloris, in qua praeparatus est nervus quinti paris. Hujus itaque nervi divisio, nec non singulorum ejusdem ramorum decursus et distributio per utramque maxillam egregie apparent.

CXLI. Lingua cum osse hyoïde et larynge Ardeae Ciconiae Linn. Ciconiae Illig.

CXLII. Eaedem partes Tantali rubri Linn. Ibis Illig. Pars anterior cornea, triangularis figurae, a reliqua parte linguae facile distinguitur, margine dentato et concavo.

Huc etiam pertinent praeparata descripta N°. XXXIX, et CCXLIII-CCXLIX, CCLIII, CCLIV, CCLVIII.

EX AMPHIBIIS.

CXLIII. Lingua cum osse hyoïde, larynge et aspera arteria Testudinis europaeae. Tota lingua copiosissimis papillis coniformibus et filiformibus est obsessa. Aspera arteria est brevissima, quum ad parvam distantiam a larynge in ramos elongatos, sive bronchos, dividitur.

CXLIV. Lingua Crocodyli junioris.

CXLV. Lingua Amphisbaenae albae, cum larynge et parte asperae arteriae. Lingua in genere ovalis formae, ab anteriore et posteriore duplici mucrone terminatur, media in parte imprimis prominent papillae.

CXLVI. Lacerta Camaeleon cum lingua ex ore dependente. Tota lingua cylindraceae formae, atque rugis transversis obsessa, in apice rotundo mucrone terminatur.

Huc pertinet praeparatum descriptum N°. CCLIX.

ORGANA OLFACTUS,

EX MAMMALIBUS.

CXLVII. Sectio transversalis partis dimidiae proboscidis Elephanti. Sectio perpendicularis transiit per alteram aperturam narium; in sectionibus transversalibus apparent bene multi fasciculi musculosi, nec non nervi crassissimi dissecti.

CXLVIII. Organon olfactus Delphini Phocenae. Ab exteriore cernitur spiraculum, sive apertura externa per quam animal aërem ad pulmones ducit, et aquam ejicit, cum duobus saccis inferioribus, olfactui inservientibus; horum sinister est apertus, et ab interiore rugosam, sive plicatam superficiem exhibet, communicans cum ipso spiraculo, mox infra ejus aperturam externam; saccus dexter est integer. In opposito latere, quod ipsis ossibus cranii incumbebat, apparet superficies inferior utriusque sacci lateralis, cum nasali canali communicantis. Apertura ad spiraculum externum tendens, septo cartilagineo dividitur, utrique aperturae inhaeret valvula, ingressum aquae ad interiora impediens. Supra inveniuntur duo alii sacci aperti, cum prioribus unam cavitatem componentes, et quorum parietes anteriores crassissimi, introrsum convexis superficiebus prominent.

ORGANA AUDITUS,

EX HOMINE.

CXLIX. Pars ossis petrosi hominis junioris, in qua meatus auditorius, in quantum ante membranam tympani se extendit, est sublatus, ut ipsa membrana in situ appareat. A parte conceptaculi cerebri pars superior tympani est ablata, hinc situs ossiculorum in tympano conspicitur.

EX MAMMALIBUS.

CL. Duo ossa petrosa Delphini. In altero, ablata parte externa conchae, membrana interna conchae, membrana tympani, et situs ossiculorum conspici possunt. In altero ipsa cochlea est praeparata et aperta, ita ut gyri, lamina spiralis, nec non fundus foraminis, quod nervus auditorius intrat ab una parte, et ab altera, pars tympani cum stapede in situ appareant.

EX AMPHIBIIS.

CLI. Pars lateralis sinistra cranii Testudinis Mydae. Ab exteriore lamella ossea, musculum temporalem tegens, est ablata. Meatus auditorius membrana tympani clausus est; ab interiore ipsum cerebrum e sede parum est dimotum, ut facilius conspicerentur tres canales semicirculares membranacei, intra conceptaculum cerebri prominentes. Porro decursus et distributio nervi olfactorii per membranam internam narium apparent, et omnes musculi manducationis sunt praeparati et valde distincti.

EX PISCIBUS.

CLII. Pars cranii organon auditus continens, ex Acipensere Sturione. Intra tres canales semicirculares cartilagineos, juxta longitudinem apertos, conspicitur membrana interna; nec non decursus et distributio nervorum, labyrinthum percurrentium, in oculos incurrunt.

CLIII. Cranii pars cum organo auditus Gadi Aeglefini. Totus labyrinthus egregie est praeparatus, adeo ut canales semicirculares membranacei integri, cum sacculo, lapillos continente, appareant.

CLIV. Simile praeparatum ex Esoce Lucio.

CLV. Totus labyrinthus membranaceus cum lapillis contentis, separatus a partibus ambientibus ex Esoce Lucio. Singularum partium figura, nexus invicem, lapillorum forma ac situs, pelluciditate partium egregie conspiciuntur.

CLVI. Duae praeparationes similes ex eadem specie piscis: in altera vero desideratur saccus lapillos continens.

ORGANA TACTUS,

EX HOMINIBUS.

CLVII. Brachium sinistrum infantis nuper nati, cujus arteriae rubra materie impletae sunt; materies rediit per venas, hinc viventis hominis instar rubet tota cutis. Detracta est cuticula cum unguibus ac pilis.

CLVIII. Brachium dextrum infantis nuper nati, simili ratione praeparatum: minus tamen feliciter successit injectio.

CLIX. Brachium sinistrum foetus; solae arteriae sunt impletae.

CLX. Cutis hominis adulti portio, cujus vasa penitus, materie rubra, sunt impleta, et quorum decursus ac distributio, pelluciditate praeparati, egregie conspiciuntur.

CLXI. Cuticula cum unguibus, chirothecae specie detracta de brachio infantis nuper nati. Diversa cuticulae crassities in diversis locis egregie apparet.

CLXII. Cuticula plantae pedis hominis adulti.

CLXIII. Portio cutis aethiopis. A media parte primo separata est cuticula cum reticulo, adeo ut cutis alba appareat; a sequente, eaque majori, portione sola detracta est cuticula, relicto partim reticulo ad cutem, unde haec brunei est coloris. Separata cuticula dependet, et in ambitu cernitur cutis tecta reticulo et cuticula.

CLXIV. Portio cutis aethiopis. A media parte separata est cuticula cum reticulo nigerrimo, in cujus reflexa parte apparent bulbi pilorum.

CLXV. Portio cutis aethiopis. Reticulum magis rufi quam quidem nigri est coloris; a media parte separata est cuticula cum reticulo.

CLXVI. Cuticula sola detracta de parte plantae pedis aethiopis.

CLXVII. Portio cutis aethiopis. Sola detracta est cuticula, adeo ut in plurimis locis cuti adhaereat reticulum.

CLXVIII. Portio cutis aethiopis circumdans anum, cum inferiore parte intestini recti inversi, adeo ut interna superficies externa sit. Ipsam cuticulam cum reticulo ad marginem ani subsistere, ibique crena terminari, dum ipsa cutis in membranam internam intestini continuatur, apparet.

CLXIX. Foetus europaei, sex circiter mensium. Praeparatione chemica nigrescit, ut constet praecipitatione principii carbonii, colorem sic posse mutari.

CLXX. Foetus Bradypi tridactyli simili ratione nigricans.

CLXXI. Pars cutis capillatae aethiopis, in qua capilli crispi apparent.

CLXXII. Capilli albissimi ac tenuissimi pueri duodecim annorum ex Anglia, qui leucaethiopia laborávit. Ipsius frater atque soror eodem morbo laborabant.

CLXXIII. Capilli pueri septem annorum, hac in regione nati, cujus, ut et sororis, natu majoris, non solum capilli albissimi observabantur, sed iris rubebat, visus erat debilis, cutis alba et tenera.

CLXXIV. Cuticula cum unguibus detracta de duobus digitis manus viri robusti.

EX MAMMALIBUS.

CLXXV. Portio cutis sulcatae e regione pectoris Balaenae rostratae FABR.

CLXXVI. Segmentum transversale ex cauda Balaenae rostratae. Fabrica fibroso-tendinosa cutis, et substantia alia fibrosa longe tenuior, inter cutem et cuticulam, egregie cernuntur. Fibrae tendinosae cutis miro modo semet decussant.

CLXXVII. Portio cutis Balaenae. Pars involucri externi est separata et reflexa, ut hujus et corii fabrica in oculos incurreret.

CLXXVIII. Simile praeparatum, naturam diversarum partium melius probans.

CLXXIX. Epidermis cum subjacente strato integumentorum Balaenae, (forte Physeteris macrocephali). Epidermis partibus subjacentibus laxe adhaeret, partimque soluta est, huic subjacet stratum satis crassum, fibrosum, aeque ac si ex numerosissimis pilis constaret, quorum bulbi, coloris varii conspici videntur in superficie epidermidi opposita.

De hoc praeparato, quod e Musaeo GAUBIANO accepit Cl. BRUGMANS, loquitur Cl. BLUMENBAGH, *Handb. der vergl. Anat. S. 198.*

CLXXX. Portio cutis Balaenae, cui adhaeret Lepas Ceti. Tota fabrica integumentorum sive corii, epidermidis et strati fibrosi intermedii, hic optime in oculos incurrit.

CLXXXI. Cuticula linguae Balaenae rostratae.

CLXXXII. Cutis de capite Squali Zygenae, in qua ductus mucosi cutis egregie apparent.

CLXXXIII. Talpa asiatica LINN. Chrysochloris ILLIG. pilos varie coloratos exhibens.

CLXXXIV. Cutis cum pilis Erinacei europaei. Musculi cutanei minores interiori superficiei inserti, sunt praeparati.

CLXXXV. Erinaceus europaeus, cute orbatus, cujus omnes musculi primi strati, imprimis vero cutaneus musculus dorsi, sunt praeparati.

CLXXXVI. Pedes quatuor foetus Equi. Duo superiores demonstrant ungulas cum cute cohaerentes; inferiores ea ratione sunt praeparati, ut in altero ungula partim a cute dissecta, in altero autem ungula tota quanta separata sit, et subjecta cutis, nec non forma ungulae appareant.

EX AMPHIBIIS.

CLXXXVII. Portio cutis Colubri. Juxta dorsi longitudinem cutis est divisa, hinc scuta abdominalia integra, et ab interiore iis adnexi musculi cutanei, rite praeparati, conspiciuntur.

EX AVIBUS.

CLXXXVIII. Pulli duo Fulicae atrae, pilis adhuc tecti.

CLXXXIX. Pullus nuper natus Phasiani Gallo-pavonis.

CXC. Caput Vulturis Papae Linn. Cathartis Illig., pilis tectum.

CXCI. Crus Phasiani Galli Linn. Galli Illig. plumis tectum.

CXCII. Pars alae avis cum plumis novissime prodeuntibus, ad evolutionem plumarum demonstrandam.

ORGANA NONNULLIS ANIMALIBUS PROPRIA.

CXCIII. Raja Torpedo. De utraque superficie corporis cutis est separata, a latere dextro cernitur organon electricum in situ praeparatum, cum nervis ad illud decurrentibus; a latere sinistro illud e sede est sublatum, ut cavum, quo continetur, conspiceretur.

CXCIV. Organon electricum ejusdem, e corpore separatum, ad fabricam demonstrandam.

CXCV. Organon electricum Gymnoti electrici, e corpore separatum.

CXCVI. Portio ejusdem organi, in qua fabrica melius apparet.

NERVI ET CEREBRUM.

CXCVII. Portio nervi ischiadici hominis adulti. In sectione apparet totum constare ex fasciculis.

CXCVIII. Portiones diversae nervorum ex Equo.

CXCIX. Caput cum collo hominis adulti. Sectione horizontali pars superior conceptaculi cerebri est ablata, atque cerebrum cum cerebello e cranio exemtum. Totum latus sinistrum integumentis tegitur. Altera sectione, transeunte per processum mammillarem ad basin ossis multiformis, et per orbitae oculi dextri mediam partem, omnes illae partes osseae intermediae cum latere dextro maxillae inferioris sunt ablatae. Musculi faciei et colli dextri lateris sunt praeparati. Majores ac minores rami arteriarum, materia rubra turgent. Praeparati praeterea sunt omnes rami nervi quinti cerebri, nervi lingualis medii, facialis, et omnes nervi colli. Hoc praeparatum omni cum attentione atque industria factum est.

CC. Caput cum parte columnae vertebrarum Squali Zygaenae junioris. Debita dissectione cernuntur omnes nervi capitis, ad diversas partes se extendentes, et situs oculorum cum suis partibus. Organa respirationis etiam sunt praeparata.

CCI. Portio piae matris, cujus arteriae ad minimas usque penitus rubra materie sunt impletae.

CCII. Similis portio ejusdem membranae, arteriae rubra, venae alba materie turgent.

CCIII. Piae matris pars, cujus vasa omnia rubra materie impleta sunt.

PRAEPARATIONES EX CERA FACTAE.

CCIV. Cerebrum, cerebellum, medulla oblongata et nervorum principia ex infante quatuor mensium.

CCV. Eaedem partes viri adulti.

CCVI. Eaedem partes foeminae adultae.

CCVII. Eaedem partes aethiopis.

CCVIII. Sectio perpendicularis totius cerebri, cerebelli et medullae oblongatae hominis adulti. Septum lucidum est ablatum, quo situs thalami nervi optici, corporis striati, nec non tota cavitas ventriculi sinistri conspiciuntur. Apparent porro singulae partes medullae oblongatae in hac sectione obviae, et ventriculus quartus.

CCIX. Pars sinistra cerebri hominis adulti. Sectio non per mediam partem, sed magis oblique sinistrorsum, a posteriore ad anteriorem partem transiit, ut demonstretur transitus fibrarum medullarium ex corporibus pyramidalibus per prominentiam annularem, crura cerebri, thalamos nervorum opticorum, corpora striata usque ad ipsa hemisphaeria cerebri.

CCX. Pars inferior cerebri cum cerebello atque medulla oblongata. Hemisphaeriorum et corporis callosi partes superiores sunt ablatae. Ventriculi laterales, et tertius optime conspiciuntur. In basi cerebri lobi medii sunt dissecti, in uno latere decursus fibrarum medullarium corporis pyramidalis per prominentiam annularem et crus cerebri ad hemisphaerium dextrum egregie apparet: in opposito latere partes medullae oblongatae intactae relictae sunt; juxta crus cerebri conspicitur decursus nervi optici, et porro evolutio cruris in hemisphaerium sinistrum. Cerebelli lobus dexter etiam est divisus in parte media, hinc cruris cerebelli evolutio, cum insula in ipsius centro, apparet.

EX ANIMALIBUS.

CCXI. Cerebrum, cerebellum, medulla oblongata et principia nervorum Simiae.

CCXII. Cerebrum Simiae. Corpore calloso in linea media dissecto, hemisphae-

ria versus latera sunt explicata, et interiora ventriculorum cerebri optime in oculos incurrunt.

CCXIII. Cerebrum, cerebellum, medulla oblongata et nervorum principia Phocae vitulinae.

CCXIV. Eaedem partes Canis Junioris.

CCXV. Eaedem partes Felis cati.

CCXVI. Eaedem partes Ursi.

CCXVII. Simile praeparatum ex animale ejusdem generis.

CCXVIII. Cerebri partes omnes Ursi junioris.

CCXIX. Eaedem partes Didelphis.

CCXX. Eaedem partes Caprae Hirci.

CCXXI. Eaedem partes Ovis Arietis LINN. Caprae ILLIG.

CCXXII. Eaedem partes Bovis domestici, foem.

CCXXIII. Eaedem partes Equi Caballi.

CCXXIV. Cerebrum cum cerebello Equi Caballi. Corpore calloso juxta longitudinem dissecto, hemisphaeria in latera explicata sunt, et interiora ventriculorum oculis se offerunt.

CCXXV. Cerebrum, cerebellum cum medulla oblongata Delphini Phocaenae.

CCXXVI. Cerebrum cum cerebello, medulla oblongata et nervorum principiis Anatis.

CCXXVII. Cerebri partes omnes Esocis Lucii.

CCXXVIII. Eaedem partes Lacertae.

ORGANA MOTUS,

EX ANIMALIBUS.

CCXXIX. Cartilago xiphoïdea Equi Caballi.

CCXXX. Cartilago processus spinosi Balaenae rostratae, cum periosteo crasso, fibroso processum tegente.

CCXXXI. Portio tendinum caudalium Balaenae rostratae.

ORGANA VOCIS,

EX HOMINE ET MAMMALIBUS.

CCXXXII. Larynx cum parte asperae arteriae et osse hyoïde viri adulti.

CCXXXIII. Larynx cum osse hyoïde Simiae capucinae LINN. Cebi capucini GEOFFR.

CCXXXIV. Larynx cum parte asperae arteriae, osse hyoïde et lingua Simiae Sphin-

Sphingis Linn. Papionis Sphingis Geoffr. Cartilagine cricoïdea dissecta cernuntur interna superficies laryngis, situs atque magnitudo ventriculorum, et rima quaedam ad radicem epiglottidis. In lingua egregie papillarum diversa forma, atque situs conspiciuntur.

CCXXXV. Larynx cum parte asperae arteriae et osse hyoïde Simiae, ut videtur ejusdem speciei, quam praecedens, sed animalis junioris.

CCXXXVI. Lingua, larynx, asperae arteriae portio, os hyoïdes Simiae Sabacae Linn. Cercocebi Sabaei Geoffr. Aspera arteria cum larynge ab anteriore est dissecta, ita ut ventriculi laryngis appareant.

CCXXXVII. Eaedem partes Simiae seniculi Linn. Stentoris seniculi Geoffr. Situs tympani ossei, ex basi hyoïdei ossis formati, ejusque nexus cum vicinis partibus, egregie in oculos incurrit, licet sit animalis junioris.

CCXXXVIII. Larynx cum osse hyoïde et aspera arteria Ursi Arcti. Quamvis cartilago cricoïdea ab anteriore non annulum integrum formet, ipsius tamen partes sunt contiguae.

CCXXXIX. Larynx cum parte asperae arteriae Tapiri americani.

CCXL. Larynx cum superiore parte asperae arteriae Delphini Nesarnach Fabr. Cartilago cricoïdea ab anteriore est integra, concretis inter se ipsius ramis anterioribus.

CCXLI. Larynx Delphini junioris longitudinaliter a posteriore dissectus. Interna laryngis membrana infra epiglottidem est reticulata.

CCXLII. Larynx Delphini paulo adultioris, cum musculis cricoarytenoïdeis posterioribus.

EX AVIBUS.

CCXLIII. Aspera arteria cum lingua Anatis clypeatae, maris; divisioni in bronchos adstat parvum receptaculum aëreum. Lingua ab anteriore totundata, dein subito latescit, retrorsumque angustatur et media in parte est sulcata; in posteriore parte duo adsunt strata papillosa, et ad radicem duo corpora tuberculosa.

CCXLIV. Eaedem partes Anatis clypeatae, foem. Larynx inferior simplicissimae est conformationis.

CCXLV. Aspera arteria, lingua, os hyoïdes Anatis Penelopes, maris. Lateri sinistro asperae arteriae, ante divisionem in ramos, adhaeret receptaculum aëreum a priore convexum.

CCXLVI. Eaedem partes Anatis Circiae, maris. Receptaculum aëreum in fine asperae arteriae non valde magnum, imprimis sinistrorsum expansum est.

CCXLVII. Eaedem partes Anatis Tadornae. Divisioni asperae arteriae duo adstant receptacula, quorum alterum majus altero.

CCXLVIII. Aspera arteria cum lingua et osse hyoïde Anatis clangulae, maris. Aspera arteria infra partem mediam insigni gaudet dilatatione ovali, circa bronchos de novo ampliatur, receptaculum singularis formae constituens, a posteriore membranaceum, ex cujus utraque extremitate oritur bronchus.

CCXLIX. Eaedem partes cum musculis et nervis asperae arteriae appositis Anatis clangulae, maris.

CCL. Aspera arteria Anatis fuscae, maris. Superior asperae arteriae pars infra glottidem ab anteriore receptaculum complanatum, totum osseum, a posteriore ex annullis compositum monstrat, inde sensim angustatur, denuo ad duas tertias partes longitudinis paululum dilatatur, receptaculumque osseum fere lenticulare, a priore leniter convexum, et a posteriore complanatum offert; ubi tandem in ramos dividitur ipsius capacitas rursus est aucta.

CCLI. Aspera arteria Anatis fuscae, foem. ubique ejusdem capacitatis.

CCLII. Aspera arteria Anatis moschatae, maris. Receptaculum aëreum sat magnum, totum osseum, a priore et posteriore valde compressum, originem praebet broncho sinistro.

CCLIII. Lingua, aspera arteria et os hyoïdes Mergi minuti, maris. Capacitas asperae arteriae deorsum aliquantum augeri videtur.

CCLIV. Eaedem partes Mergi minuti, foem. Aspera arteria est simplicissima, ubique ejusdem capacitatis.

CCLV. Aspera arteria Mergi Serratoris, maris. In aspera arteria dilatatio oblonga, annulis composita, adest; receptaculum aëreum ex quo bronchi oriuntur valde magnum, in duas aequales partes dividitur, et pro magna parte membranaceos parietes habet.

CCLVI. Aspera arteria cum lingua et osse hyoïde Mergi Merganseris, maris. Duplex dilatatio, quarum superior major, in aspera arteria adest, utraque annullis distinctis componitur, deorsum magis et magis angustatur, et tandem abit in receptaculum, dextrorsum se maxime extendens, partimque membranaceum, ex quo duo bronchi, valde a se invicem distantes, ortum trahunt.

CCLVII. Eaedem partes ex Columba.

CCLVIII. Asperae arteriae pars superior cum lingua et osse hyoïde Struthionis casuarii, maris. Aspera arteria a priore et posteriore est complanata, glottis valde dilatata; lingua brevissima, ab anteriore rotundata, a posteriore duplici mucrone, extrorsum directo, terminata; basis ossis hyoïdis, mucrone suo cartilagineo anteriore, se ad apicem linguae extendit.

EX AMPHIBIIS.

CCLIX. Larynx cum aspera arteria et lingua Testudinis Mydae. Aspera arteria insignis est longitudinis antequam in ramos dividitur. Annuli cartilaginei

sunt

sunt integri, a priore et posteriore parum complanati. Lingua est glabra omni papilla destituta.

ORGANA GENERATIONI INSERVIENTIA.

ORGANA MASCULINA,

EX HOMINIBUS.

CCLX. Testis hominis adulti: dissecta longitudinaliter tunica albuginea, pulpa est dissoluta.

CCLXI. Vesiculae seminales cum ductubus deferentibus. Altera vesicula cum suo ductu est integra, altera vero cum ductu deferente illius lateris ita est dissecta, ut loculamenta diversa appareant.

CCLXII. Pars vesicae urinariae viri adulti, ubi in urethram transit juxta longitudinem dissecta. In ostio urethrae cernuntur veru montanum, ac ostia vesicularum seminalium; exteriori parti adhaeret glandula prostata.

CCLXIII. Trunci foetus masculini, sex circiter mensium, pars inferior: aperto abdomine, exemtis visceribus cavitate peritonaei contentis, cernitur situs vesicae urinariae, renum, vasorum majorum ac testium, vasis iliacis incumbentium, una cum processu peritonaei ad scrotum tendente, in latere dextro.

ORGANA FOEMININA.

CCLXIV. Genitalia externa, interna, vesica urinaria, ac intestinum rectum foeminae maniacae viginti novem annorum, quae nunquam peperit.

CCLXV. Genitalia externa et interna vetulae, octoginta et duorum annorum.

CCLXVI. Uterus cum ovariis ac tubis Falloppianis foeminae, quae brevi postquam conceperat, violenta morte periit. Uteri facies anterior dissecta est, ut tota ejus cavitas appareat; circa fundum praecipue deprehenditur prima formatio membranae deciduae HUNTERI.

CCLXVII. Uterus cum ovariis ac tubis Falloppianis foeminae gravidae per quatuor et quot excurrit menses; anterior paries a fundo ad ostium uterinum dissectus est; hinc apparent crassities, ac substantia uteri, nec non figura colli, nondum evoluti. Ipsa sectio transiit per placentam cujus substantia vasculosa, et cohaesio cum uteri facie interna cernuntur; dissectis, eadem sectione, membranis ovi, ipse foetus in oculos incurrit.

CCLXVIII. Uterus cum ovariis ac tubis Falloppianis foeminae gravidae, praecedenti paulo magis distentus. Uterus ipse longitudinaliter est dissectus, foetus vero suis membranis integris adhuc est inclusus: situs placentae egregie apparet.

CCLXIX. Uterus puerperae cum ovariis ac tubis Falloppianis.

CCLXX. Uterus puerperae cum partibus adnexis, quae die decimo quinto post partum obiit. In facie anteriore uterus est dissectus juxta longitudinem, ita ut dijudicari valeat crassities, fabrica, nec non interna superficies uteri, praecipue in illa parte, cui placenta adhaesit.

CONCEPTUS.

CCLXXI. Pars dissolutae placentae continens ramum arteriae, rubra materie repletae, ut distributio ramorum appareat.

CCLXXII. Portio placentae; arteriae et venae rubra materie sunt impletae.

CCLXXIII. Pars placentae per arterias impletae: ex communi trunco rami duo majores procedunt, qui absque subdivisione aliquamdiu separati procurrunt antequam in minores ramos dividuntur; maceratione ipsa substantia placentae est dissoluta.

CCLXXIV. Pars placentae per arterias rubra materie impletae, ac dein dissolutae.

CCLXXV. Membrana decidua HUNTERI, crassa ac fibrosa, abortu rejecta, interiori superficiei pars chorii adhaeret.

CCLXXVI. Ovum humanum nullum foetum continens, ab interiore cernuntur membranae amnios, et chorion, nullum vero adest indicium foetus, vel ullum vestigium loci, cui umbilicalis funis fuit insertus. Ab exteriore tegitur maximam partem membrana decidua reflexa HUNTERI, cui adhaeret portio ipsius membranae deciduae, adeo ut constet, qua ratione decidua reflexa ab ea producitur: ubi decidua reflexa deficit atque utero adnexum fuit ovum, cernuntur vascula e chorio provenientia, ac per substantiam deciduae dispersa.

CCLXXVII. Ovum humanum integrum, cui decidua membrana HUNTERI, partim soluta, adhaeret; in superiore parte conspicitur chorion frondosum, reliqua omnis pars decidua reflexa tegitur.

CCLXXVIII. Ovum humanum integrum magnitudinis vix dimidii pollicis Rhenol: ab una parte totum frondosum: foetus satis magnus per membranas conspicitur.

CCLXXIX. Ovum humanum integrum trium vel quatuor hebdomadum.

CCLXXX. Ovum humanum integrum, praecedente paulo majus, ab exteriore totum tomentosum.

CCLXXXI. Ovum humanum trium ad summum hebdomadum; per transparentes membranas minimus observatur foetus.

CCLXXXII. Ovum humanum integrum ab exteriore fere ubique tomento valde dissoluto obsessum.

CCLXXXIII. Ovum humanum integrum, forte septem hebdomadum; foetus a fune umbilicali abruptus, intra membranas circumvolvitur.

CCLXXXIV.

CCLXXXIV. Ovum humanum ejusdem magnitudinis, ubivis fere tomentosum, foetus ab umbilicali fune dependens, per tenues transparentes membranas cernitur.

CCLXXXV. Ovum humanum apertum quinque forte hebdomadum.

CCLXXXVI. Ovum humanum longitudinaliter dissectum sex hebdomadum, cui ab exteriore adhaeret membrana decidua; interna superficies tuberculosa est a sanguine effuso et coagulato inter membranas; foetus a fune crasso ac brevi dependet.

CCLXXXVII. Ovum humanum apertum, praecedente longe majus, sed, ut videtur, fere ejusdem aetatis: foetus tenuiori ac longiori funiculo adhaeret.

CCLXXXVIII. Ovum humanum membrana decidua, insignis crassitiei, tectum, cavitas ipsa prominentibus tuberculis est obsessa, a sanguine effuso et coagulato inter membranas; foetus ejusdem magnitudinis quam praecedens a funiculo dependet.

CCLXXXIX. Pars membranarum ovi humani cum foetu a fune umbilicali dependente, octo, ut videtur, hebdomadum.

CCXC. Ovum humanum apertum cum foetu, paulo majori praecedente.

CCXCI. Pars membranarum ovi humani cum foetu ejusdem fere aetatis.

CCXCII. Foetus humanus a funiculo umbilicali dependens, novem circiter hebdomadum.

CCXCIII. Foetus humanus, in membrana amnio inclusus, ejusdem magnitudinis.

CCXCIV. Similis foetus humanus, magis tamen torosus, membrana amnio cinctus, aetatis novem hebdomadum, dependens a fune umbilicali, in quo singularis convolutio vasorum observatur.

CCXCV. Ovum humanum dissectum cum foetu ejusdem aetatis.

CCXCVI. Membranae ovi ejusdem aetatis.

CCXCVII. Foetus humanus, a fune umbilicali dependens ejusdem aetatis.

CCXCVIII. Foetus humanus, cum fune umbilicali, decem vel undecim hebdomadum.

CCXCIX. Foetus humanus masculinus trium mensium.

CCC. Foetus humanus masculinus trium cum dimidio mensium.

CCCI. Sceletus foetus ejusdem magnitudinis.

CCCII. Ovum cum foetu quatuor fere mensium.

CCCIII. Foetus masculinus ejusdem aetatis.

CCCIV. Foetus foemininus, macilentus admodum, paulo, ut videtur, provectioris aetatis.

CCCV. Foetus foemininus, torosus ac pulcherrimus, qui in quartum mensem transiisse videtur.

CCCVI. Foetus masculinus quadrimestris, torosus admodum.

CCCVII. Similis foetus.

CCCVIII. Similis foetus masculinus.

CCCIX. Foetus similis aethiopis quinque mensium.

CCCX. Foetus aethiopis ejusdem aetatis cum fune umbilicali et placentâ.

CCCXI. Foetus humanus foemininus sex mensium et quod excurrit.

CCCXII. Uterus cum vagina, ovariis, tubis Falloppianis, nec non vesica urinaria Simiae capucinae Linn. Cebi capucini Geoffr.

CCCXIII. Organa genitalia masculina cum vesica urinaria Vespertilionis murini.

CCCXIV. Organa genitalia masculina cum vesica urinaria Canis domestici.

CCCXV. Eadem organa Felis cati.

CCCXVI. Membrum virile animalis ex genere Felis (videtur Felis Leonis vel pardalis), circa coronam ab utroque latere tres aculei retorsum curvati, substantiae corneae, deteguntur.

CCCXVII. Genitalia organa masculina cum vesica urinaria Ursi arcti.

CCCXVIII. Eadem organa Didelphis marsupialis.

CCCXIX. Organa genitalia foeminina cum intestino recto Didelphis marsupialis: vagina a priore aperta monstrat duplicem introïtum ad uterum. Intestino recto adhaerent duae glandulae anales.

CCCXX. Marsupium Didelphis marsupialis integrum, ac orificium pilis obsessum monstrans.

CCCXXI. Marsupium Didelphis marsupialis inversum cum sex foetubus, a papillis dependentibus. In fundo lagenae quatuor similes inveniuntur foetus.

CCCXXII. Organa masculina Talpae europaeae.

CCCXXIII. Eadem organa Muris Ratti.

CCCXXIV. Vagina, uterus, atque ovaria Caprae Hirci.

CCCXXV. Pars inferior abdominis Delphini Phocenae, in qua praeter renes in situ etiam conspiciuntur testes cum vasis deferentibus, glandula prostata, membrum virile atque intestinum rectum.

CCCXXVI. Genitalia externa atque interna foeminina Delphini Phocaenae. Vesica urinaria in situ est relicta; intestinum vero rectum retrorsum est reflexum, ita ut vagina, uterus cum ovariis, atque tubis Falloppianis appareant. Ab utroque latere genitalium externorum rima detegitur, qua reconditur papilla mammae.

CCCXXVII. Foetus Ovis cum membrana amnio ac chorio continente.

CCCXXVIII. Similis foetus.

CCCXXIX. Duo foetus ovilli minores.

CCCXXX. Duo minores foetus ovilli membranis inclusi.

CCCXXXI. Duo foetus Canis cum membranis ovi.

CCCXXXII. Quinque foetus Erinacei europaei, diversae magnitudinis.

EX AVIBUS.

CCCXXXIII. Ossa pelvis Falconis; in situ sunt praeparati testes, renes cum ureteribus, atque intestinum rectum cum cloaca. Ipsa cloaca longitudinaliter est aperta, ita ut in superiore parte appareat insertio intestini recti, atque ab altera parte papilla, quae organon masculinum constituit, conspiciatur.

CCCXXXIV. Pelvis Anatis, continens renes atque testes, a quibus ureteres atque vasa deferentia decurrunt ad cloacam, intra quam horum ductuum extrema et membrum virile cernuntur.

CCCXXXV. Portio infima intestini recti Anatis cum ipso membro virili.

CCCXXXVI. Cloaca cum extremo ovi-ductus Anatis Boschae. Ipsa cloaca sectione longitudinali est aperta; hinc extremum ovi-ductus, et intestini cernitur.

CCCXXXVII. Ovi-ductus inversus, ita ut tunica interna sit externa, ejusdem animalis, insignem numerum plicarum longitudinalium monstrans.

CCCXXXVIII. Ossa coccygem Anseris componentia cum intestino recto, ureteribus atque bursa FABRICII.

CCCXXXIX. Membrum virile Struthionis Cameli, sulcum juxta totam longitudinem dorsi monstrans.

CCCXL. Pelvis cum renibus, ureteribus, testibus, ac intestino recto Meleagridis; paries anterior cloacae longitudinaliter est dissectus, et conspiciuntur ureterum orificia, et membrum virile.

CCCXLI. Pelvis cum organis foemininis atque renibus Meleagridis, ipsum ovarium, ovi-ductus cum hujus insertione ad cloacam, nec non intestini recti situs egregie cernuntur.

CCCXLII. Intestinum rectum cum cloaca, ovario atque ovi-ductu, separatum e corpore Meleagridis.

CCCXLIII. Trunci inferior pars cum omnibus organis foemininis Meleagridis; ipsum ovarium continet plura diversae magnitudinis ova; extremum ovi-ductus totum distensum est ovo perfecte evoluto, dum reliqua ipsius pars circumvolutiones diversas habet, et mediam partem cavitatis abdominis occupat. Ipsa cloaca est aperta; intestinum autem rectum supra cloacam integrum est relictum.

CCCXLIV. Ovarium totum a reliquis partibus separatum, ac ova plura diversae magnitudinis continens ex Meleagride.

CCCXLV. Ovum difforme gallinaccum.

CCCXLVI. Duo ova pedunculo invicem juncta gallinae.

CCCXLVII. Pullus gallinaceus cum membranis ovi, ex incubatione 8 dierum.

CCCXLVIII. Pullus gallinaceus cum membranis ovi, ex incubatione 10 dierum.

CCCXLIX. Pullus gallinaceus cum membranis ovi, ex incubatione 13 dierum

CCCL. Pullus gallinaceus cum membranis ovi, ex incubatione 15 dierum.

CCCLI. Pullus Anatis, thoracis atque abdominis cavum est apertum; situs omnium viscerum, atque vitelli, in abdominis capacitate in oculos incurrit.

EX AMPHIBIIS.

CCCLII. Penis Testudinis europaeae.

CCCLIII. Penis Testudinis terrestris majoris.

CCCLIV. Intestinum rectum cum vesica urinaria, atque organo masculino Testudinis Mydae.

CCCLV. Intestinum rectum cum vesica urinaria, organis semen separantibus, atque membro masculino Testudinis Mydae.

CCCLVI. Ovarium cum intestino recto Testudinis; ova diversae magnitudinis in ipso ovario continentur; in extremo ovi-ductus invenitur ovum perfectum.

CCCLVII. Ovarium et ovi-ductus cum ovis minoribus atque perfectis Testudinis.

CCCLVIII. Rana foeminina; aperto abdomine, praeter viscera abdominalia ipsum ovarium conspicitur, prout hoc sese offert antequam ova plenarie sunt evoluta.

CCCLIX. Lacerta Monitor; aperto abdomine, apparet situs viscerum, ovi-ductus, ac inprimis ovarii, plura ova satis magna continentis.

CCCLX. Lacerta cum genitalibus masculinis prorumpentibus.

CCCLXI. Boae species cum organis masculinis exsertis.

CCCLXII. Organa masculina una cum renibus Colubri.

CCCLXIII. Genitalia masculina Colubri Natricis.

CCCLXIV. Ovi-ductus ova continentes, cum infima intestini recti parte, atque ano Colubri Natricis.

CCCLXV. Genitalia foeminea Colubri Natricis. Cernitur magna portio intestini recti cum ano, atque folliculis ano adstantibus; ab utroque latere apparet insertio ovi-ductus, quibus tria inclusa sunt ova.

CCCLXVI. Ovum Testudinis ita apertum, ut situs foetus appareat.

CCCLXVII. Rana Pipa Linn. Dorsigera Schneid. bene multos foetus in cellulis dorsalibus gerens.

CCCLXVIII. Rana Pipa, praecedente major, bene multos foetus majores in cellulis dorsalibus continens.

CCCLXIX-CCCLXXVI. Ranae paradoxae diversae magnitudinis totam evolutionem exhibentes.

CCCLXXVII-CCCLXXX. Ranae esculentae diversae magnitudinis, totam metamorphosin exhibentes.

CCCLXXXI. Ranae Pipae minores cum cauda.

CCCLXXXII. Ovum Crocodyli; sublata parte involucri foetus conspicitur.

CCCLXXXIII. Ova Lacertae.

CCCLXXXIV. Ova Lacertae cum prodeuntibus foetubus.

CCCLXXXV. Ovum Lacertae foetum continens, cujus caput per fissuram ovi prodit. Eadem lagena duo alii foetus continentur.

CCCLXXXVI. Ova Colubri cum foetubus.

CCCLXXXVII. Serpens junior cum ovi membranis.

CCCLXXXVIII. Ova Boae murinae cum foetubus.

EX PISCIBUS.

CCCLXXXIX. Trigla Hirundo. Totum abdominis cavum est apertum, a superiore in situ conspiciuntur organa circulationis et respirationis, porro ventriculus cum intestinis in media parte abdominis, cujus latera ovariis, ovulis repletis, implentur: alterum ovarium est integrum, alterum vero a membrana externa orbatum.

CCCXC. Pars ovarii Cyclopteri.

CCCXCI. Blennius viviparus. Aperto abdomine, praeter viscera abdominalia, cernuntur ovi-ductus, plures foetus continentes, qui totum fere abdominis cavum implent.

CCCXCII. Blennius viviparus cum foetubus partu editis.

CCCXCIII. Silurus; abdominis superficici adhaerent plura ova, pedunculis vero adnexa; cernuntur plures pedunculi absque ovulis.

CCCXCIV. Syngnathus tetragonus; abdomini adhaeret stratum ovulis obsessum.

CCCXCV. Perca fluviatilis hermaphroditus; a latere dextro, abdominis capacitas est aperta, atque praeter viscera conspiciuntur organa masculina et ovarium, ovulis distentum.

CCCXCVI-CCCXCVII. Squali foetus cum sacco umbilicali.

CCCXCVIII-CCCXCIX. Silurus junior.

CD. Ovum Squali.

CDI. Duo similia ova Squali.

CDII. Ova Petromyzonis marini.

REPRODUCTIO NISU FORMATIVO.

CDIII. Lacerta lacustris cujus cauda fuit abscissa et regenerata.

CDIV. Lacerta Gecko, in qua etiam nova regenerata cauda observatur.

CDV. Lacerta Stincus, duplici cruda instructa.

CDVI. Lacerta Stincus; abscissa cauda, nova, pro maxima parte duplex, fuit regenerata.

ANIMALIUM VERTEBRIS DESTITUTORUM ORGANA DIVERSA, QUAE IN SPIRITU IDONEO, VEL EXSICCATA ASSERVANTUR.

CDVII. Sepia Loligo.

CDVIII. Rostrum cum oesophago Sepiae Loliginis. Idem exsiccatum.

CDIX. Lingua Sepiae Loliginis.

CDX. Oculus Sepiae Loliginis.

CDXI. Branchia ejusdem, mercurio impleta.

CDXII. Renes ejusdem.

CDXIII. Ostrea edulis. Valvulae parumper sunt deductae, ut animal appareat.

CDXIV. Ostrea edulis ita dissecta, ut labia, branchia ac hepar exhibeat.

CDXV. Ostrea edulis, os, pallium ac branchia exhibens.

CDXVI. Ostrea edulis, os, ventriculum ac cor demonstrans.

CDXVII. Ostrea edulis, ventriculum, hepar, ac cor exponens.

CDXVIII. Ostrea edulis, ventriculum, intestina, hepar ac branchia demonstrans.

CDXIX. Mytilus edulis, branchia, os, ventriculum, anum, hepar ac ovarium monstrans.

CLXX. Anodontes, branchia, ventriculum, ac ovarium exhibens.

CDXXI. Anodontes, ventriculum, hepar ac branchia demonstrans.

CDXXII. Anodontes, easdem partes cum corde offerens.

CDXXIII. Cardium, pedem ac pallium exhibens.

CDXXIV. Cardium, ventriculum ac hepar demonstrans.

CDXXV. Cancer Moenas, a parte dorsi apertus, adeo ut conspiciantur omnia ipsius organa in situ naturali.

CDXXVI. Organa cibaria Cancri Moenae; ventriculus a superiore est apertus, atque ostium oesophagi, nec non contenti denticuli in situ conspiciuntnr.

CDXXVII. Aphrodita aculeata, juxta longitudinem aperta, organa digestionis exhibens.

CDXXVIII. Aphrodita aculeata, a parte dorsi dissecta, organa respirationis sunt evoluta.

CDXXIX. Larva insecti, longitudinaliter in dorso dissecta, organa digestionis ac respirationis demonstrans.

CDXXX. Canalis alimentarius cum capite larvae Scarabaei Nasicornis.

CDXXXI. Asterias, in quo diversa organa praeparata conspiciuntur.

CDXXXII. Echini esculenti pars superior ab exteriore os cum dentibus, ab interiore totum apparatum ossiculorum manducationis, sive ita dictam lanternam ARISTOTELIS exhibens.

CDXXXIII. Echini esculenti pars superior, ab interiore monstrans ossicula concreta in ambitu aperturae oris; ossa mobilia massam oris, sive ita dictam lanternam ARISTOTELIS componentia inter se juncta, separata in hac lagena dependent.

CDXXXIV.

CDXXXIV. Ossa singula soluta ex cavitate oris Echini imperialis.

CDXXXV. Organa manducationis Araneae avicularis.

CDXXXVI-CDXXXIX. Organa manducationis Scolopendrae forficatae, inter se nexa, et eadem dissoluta.

CDXL. Organa manducationis Carabi aurati.

CDXLI. Eadem dissoluta.

CDXLII. Organa manducationis Cicindelae campestris.

CDXLIII. Organa manducationis Curculionis palmarum.

CDXLIV. Organa manducationis Panorpae communis.

CDXLV. Organa manducationis Grylli campestris.

CDXLVI. Organa manducationis in situ Libellulae aeneae.

CDXLVII. Organa manducationis dissoluta Libellulae aeneae.

CDXLVIII. Organa manducationis larvae Libellulae aeneae.

CDXLIX. Organa manducationis Apis melliferae.

CDL. Eadem organa dissoluta.

CDLI. Organa manducationis Vespae communis.

CDLII. Organa manducationis Tipulae plumosae.

CDLIII. Organa manducationis Cicadae orni.

CDLIV. Organa manducationis Nepae cinereae.

CDLV. Organa manducationis Notonectae nepae.

CDLVI-CDLVII. Organa manducationis Insectorum Lepidopterorum.

CDLVIII. Organa manducationis Blattae americanae.

CDLIX-CDLX. Organa digestionis Blattae americanae.

CDLXI. Proboscis ejusdem.

CDLXII-CDLXIV. Systema nerveum Scolopendrae forficatae.

CDLXV. Aculeus punctorius cum sacco veneni Apis melliferae.

CDLXVI. Aculeus punctorius cum sacco veneni Vespae communis.

CDLXVII. Organa omnia manducationis cum ventriculo in situ praeparata Cancri gammari; ventriculus ita est apertus, ut dentes conspici possint.

CDLXVIII. Mandibularum Cancri gammari partes diversae in situ, cum anteriore parte corporis.

CDLXIX. Mandibula dentata dextri lateris ejusdem speciei animalis.

CDLXX. Mandibula dentata sinistri lateris ejusdem speciei animalis.

CDLXXI. Ventriculus aëre distentus in cujus externa superficie ossicula basin dentium ventriculi constituentia, et ostia oesophagi et pylori conspiciuntur, ex eadem specie.

CDLXXII. Manus sinistri lateris ejusdem, ex quatuor partibus constans, quarum singulae ita sunt apertae, ut interiora articulationum appareant.

CDLXXIII. Manus Cancri Mantis; articulatio mobilis est, ita ut ipsius fabrica appareat.

CDLXXIV. Duo ossa manum Cancri Mantis componentia, sed dissoluta.

CDLXXV-CDLXXVI. Pes anterior dexter et sinister Cancri gammari.

SECTIO SECUNDA.

PRAEPARATA ANATOMICA, QUAE SICCATA CONSERVANTUR.

CRANIA HOMINUM DIVERSAE AETATIS.

N°. CDLXXVII. Cranium foetus sex vel septem mensium, cum maxilla inferiore.

CDLXXVIII. Simile cranium paulo majus, cum maxilla inferiore.

CDLXXIX. Cranium infantis nuper nati, cum maxilla inferiore.

CDLXXX. Cranium infantis, in quo in maxilla inferiore prodierunt bini dentes incisores medii; in maxilla superiore quatuor dentes incisores inveniuntur; bicuspidati primi ad marginem alveolarem jam descenderunt, sequentes bicuspidati et molares primi in fundo alveolorum adsunt. Fontanella major nondum penitus adhuc est clausa.

CDLXXXI. Cranium infantis, in quo prima dentitio est absoluta; evulsi autem fuerunt incisores dentes medii superiores, et bicuspidati primi in maxilla inferiore, quorum alveoli sunt deleti.

CDLXXXII. Cranium infantis, in quo dentitio prima est absoluta; incisor dens medius dexter ex alveolo jam est protrusus, alter vero adhuc vacillat, dum dentes permanentes in alveolis conspiciuntur. Reliqui dentes lactei omnes adsunt, et molares primi erumpere inceperunt. In maxilla inferiore dentes incisores medii ceciderunt, novique dentes ex alveolis prodire inceperunt; incisores laterales vacillant; reliqui dentes inveniuntur ut in maxilla superiore. Plura ossa Wormiana in sutura lambdoïdea adsunt.

CDLXXXIII. Cranium puellae, in quo quatuor dentes incisores utriusque maxillae jam sunt permutati, coronae vero adhuc marginem crenulatum monstrant; ex his vero in maxilla superiore incisor persistens lateralis sinister, ut et cuspidatus, et bicuspidatus lactei illius lateris deperditi sunt, reliqui vero omnes dentes adsunt; molares primi in alveolis continentur.

CDLXXXIV. Cranium viri robusti mediae aetatis, cum maxilla inferiore atque dentibus; dentes molares primi maxillae inferioris fuerunt evulsi, eorumque alveoli deleti.

CDLXXXV. Cranium foeminae adultae, cum maxilla inferiore et dentibus. Sutura frontalis ad nasum usque procurrit.

CDLXXXVI. Cranium viri provectae admodum aetatis, cum maxilla inferiore; perierunt omnes dentes, excepto bicuspidato primo dextro; alveoli maximam partem

tem, inprimis molarium dentium in maxilla superiore, sunt deleti; in maxilla inferiore, unicus tantum alveolus, dentis cuspidati dextri, superest.

CDLXXXVII. Cranium hominis provectae actatis cum maxilla inferiore; ceciderunt omnes dentes, sed licet alveoli fere omnes sunt deleti, margo alveolaris tamen multum adhuc prominet atque satis acutus est.

CDLXXXVIII. Cranium vetulae, octoginta quatuor annorum, cum maxilla inferiore; perierunt omnes alveoli, unde in maxilla superiore margo alveolaris in eadem linea est cum palato, et latitudo maxillae inferioris adeo imminuta est, ut foramina mentalia in margine superiore inveniantur.

CDLXXXIX. Simile cranium vetulae, in quo tamen utriusque maxillae margo alveolaris magis adhuc est deletus, atque ipsa ossa maxillaria quam maxime sunt extenuata. Condyli maxillae inferioris, inprimis sinister, absorptione valde sunt imminuti.

CDXC. Extypon ex gypso capitis viri centum et quinque annorum.

CRANIA DIVERSARUM NATIONUM.

CDXCI. Cranium foeminae Groenlandicae, cum maxilla inferiore. Utriusque maxillae dentes manducatione valde sunt abrasi. Donum Cl. M. Vahl.

CDXCII. Cranium incolae partis septentrionalis Californiae. Ill. Lamsdorf, qui cum Ill. Krusenstern illas regiones visitavit, illud exfodivit ex sepulcro incolarum illius regionis.

CDXCIII. Cranium Finni, aetatis viginti duorum annorum, cum maxilla inferiore et omnibus dentibus.

CDXCIV. Cranium Russi ex Korskoy prope mare glaciale, cum maxilla inferiore. Dentes molares ultimi nondum prodierunt.

CDXCV. Cranium Siberici Penzavensis, cum maxilla inferiore. Dentes molares ultimi nondum prodierunt.

CDXCVI. Cranium Siberici, cum maxilla inferiore.

CDXCVII. Cranium Tartari Casanensis, cum maxilla inferiore omnibusque dentibus.

CDXCVIII. Cranium Russi Piesonskoyensis, cum maxilla inferiore.

CDXCIX. Cranium Russi, cum maxilla inferiore.

D. Cranium Russi Tobolskoyensis, cum maxilla inferiore omnibusque dentibus.

DI. Cranium Russi Novogorodensis, cum maxilla inferiore omnibusque dentibus.

DII. Cranium Russi Wiatkanensis, cum maxilla inferiore et dentibus.

DIII. Cranium Russi cum maxilla inferiore et omnibus dentibus.

DIV. Cranium Russi Smolenkoiensis, cum maxilla inferiore omnibusque dentibus.

DV. Cranium Russi Moscoviensis, cum maxilla inferiore omnibusque dentibus.

DVI. Cranium Russi Wolodimirensis, cum maxilla inferiore; ultimi dentes molares omnes nondum prodierunt extra alveolos.

DVII. Cranium Russi, cum maxilla inferiore, atque dentibus.

DVIII. Cranium Russi Nearoskoiensis, cum maxilla inferiore.

DIX. Cranium Russi, cum maxilla inferiore.

DX. Cranium Russi Nearoskoiensis, cum maxilla inferiore.

DXI. Cranium Russi Nearoskoiensis, cum maxilla inferiore et dentibus.

DXII. Cranium Russi ex Jebra, aetatis viginti annorum, cum maxilla inferiore atque omnibus dentibus.

DXIII. Cranium Scoti, cum maxilla inferiore et dentibus.

DXIV. Cranium incolae Hiberniae, cum maxilla inferiore.

DXV. Cranium Angli, cum maxilla inferiore.

DXVI. Cranium Angli ex Northamtonia, cum maxilla inferiore.

DXVII. Cranium Angli, cum maxilla inferiore.

DXVIII. Cranium Angli, cum maxilla inferiore; dentes molares ultimi alveolis adhuc continentur.

DXIX. Cranium rustici Frisiaci, cum maxilla inferiore et dentibus.

DXX. Cranium Hanoverani, cum maxilla inferiore et omnibus dentibus.

DXXI Cranium Hanoverani, cum maxilla inferiore et dentibus.

DXXII. Cranium Hanoverani, cum maxilla inferiore et dentibus.

DXXIII. Cranium Hanoverani, cum maxilla inferiore; dentes molares ultimi non prodierunt.

DXXIV. Cranium Hanoverani, cum maxilla inferiore et dentibus omnibus.

DXXV. Cranium Germani ex Saxonia inferiore, cum maxilla inferiore et dentibus.

DXXVI. Cranium Oldenburgensis, cum maxilla inferiore. Evulsi fuerunt fere omnes dentes molares maxillae superioris, atque deleti sunt eorum alveoli.

DXXVII. Cranium Poloni, cum maxilla inferiore omnibusque dentibus.

DXXVIII. Cranium Warsoviensis, juvenis octodecim annorum, cum maxilla inferiore et dentibus, quorum ultimi molares non prodierunt.

DXXIX. Cranium Massiliensis cum maxilla inferiore.

DXXX. Cranium Lusitani, cum maxilla inferiore, et dentibus. Donum Ampl. Hartzingk ex Coctobri transmissum.

DXXXI. Cranium Lusitani, cum maxilla inferiore. Donum Ampl. Hartzingk ex Coetobri transmissum.

DXXXII. Cranium Hispani, cum maxilla inferiore, omnibusque dentibus.

DXXXIII. Cranium Hispani ex Gallicia, cum maxilla inferiore, aetatis viginti quatuor annorum.

DXXXIV. Cranium Hispani ex Sauvonnad in Galicia, cum maxilla inferiore atque dentibus, molares vero ultimi maxillae superioris non prodierunt.

DXXXV. Cranium Hispani ex nova Castilia, cum maxilla inferiore atque omnibus dentibus, exceptis molaribus ultimis, qui non prodierunt.

DXXXVI. Cranium Hispani aetatis viginti octo annorum, ex nova Castilia, cum maxilla inferiore.

DXXXVII. Cranium Hispani, cum maxilla inferiore omnibusque dentibus, exceptis ultimis molaribus, qui nondum prodierunt. Atlas a latere dextro cum osse occipitis anchylosi cohaeret.

DXXXVIII. Cranium Hispani ex Murcia, cum maxilla inferiore, ultimi dentes molares nondum prodierunt. Donum Doct. MERGELL.

DXXXIX. Cranium Hispani, cum maxilla inferiore et dentibus.

DXL. Cranium Hispani, cum maxilla inferiore; ex dentibus pauci antea fuerunt evulsi, et alveoli sunt deleti.

DXLI. Cranium Helveti ex Tiguro, cum maxilla inferiore; ex dentibus maxillae inferioris nonnulli fuerunt evulsi, hinc eorum alveoli sunt deleti.

DXLII. Cranium Helveti, cum maxilla inferiore et dentibus.

DXLIII. Cranium incolae Arettae in Corsica, aetatis viginti et unius annorum, cum maxilla inferiore.

DXLIV. Cranium Itali, cum maxilla inferiore et dentibus.

DXLV. Cranium Turcae ex Belgrado, cum maxilla inferiore; perierunt pauci alveoli, evulsis antea dentibus; in maxilla inferiore dentes molares ultimi non prodierunt.

DXLVI. Cranium Turcae absque maxilla inferiore.

DXLVII. Cranium Turcae. Deficit maxilla inferior.

DXLVIII. Cranium Persiani absque maxilla inferiore et dentibus.

DXLIX. Cranium Chinensis, annorum triginta septem, cum maxilla inferiore et dentibus. Donum Doct. ASMUS.

DL. Cranium Chinensis, annorum viginti septem, cum maxilla inferiore omnibusque dentibus. Donum Doct. ASMUS.

DLI. Cranium viri nationis Gouanche ex insula Teneriffe, cum maxilla inferiore et dentibus. Integumenta exsiccata cranio adhaerent. Donum Clar. A. BROUSSONET.

DLII. Cranium viri ejusdem nationis, absque maxilla inferiore. Donum ejusdem viri.

DLIII. Cranium Aegyptiaci ex Dar-Four, aetatis viginti sex annorum, cum maxilla inferiore et dentibus. Donum Doct. MORNAEC.

DLIV. Extypon ex gypso partis anterioris cranii Mumiae aegyptiacae.

DLV. Conceptaculum cerebri Mumiae aegyptiacae. Laciniae nonnullae bitumine impregnatae adhaerent ossi occipitis.

DLVI. Cranium absque maxilla inferiore Mumiae aegyptiacae. Bitumine tecta sunt ossa.

DLVII. Cranium Judaei, Amstelodami nati, cum maxilla inferiore et dentibus.

DLVIII. Cranium Judaei, cum maxilla inferiore et dentibus; dentes molares ultimi non prodierunt.

DLIX. Cranium Aethiopis Indiae Occidentalis, cum maxilla inferiore omnibusque dentibus.

DLX. Cranium Aethiopis ex gente Orowacca, cum maxilla inferiore et dentibus, ultimi dentes molares non prodierunt. Donum Doct. WOELFING.

DLXI. Cranium foeminae viginti quinque annorum ex India Occidentali, cum maxilla inferiore et dentibus. Donum Doct. WOELFING.

DLXII. Cranium Nigrettae Surinamensis, cum maxilla inferiore et omnibus dentibus. Donum Doct. WOELFING.

DLXIII. Cranium Mulatti Surinamensis, cum maxilla inferiore et dentibus omnibus. Donum Doct. WOELFING.

DLXIV. Cranium Terceronis, cum maxilla inferiore et dentibus. Natus fuit ex Europaeo et Mulatta, hujus pater Europaeus, Mater Aethiopissa fuit.

DLXV. Cranium viri ex America meridionali, cum maxilla inferiore atque dentibus.

DLXVI. Cranium foeminae Africanae, cum maxilla inferiore omnibusque dentibus. Donum Doct. WOELFING.

DLXVII. Cranium foeminae Africanae viginti duorum annorum, cum maxilla inferiore et dentibus omnibus. Donum ejusdem viri doctissimi.

DLXVIII. Cranium Aethiopis Guineënsis, cum maxilla inferiore et dentibus. Donum ejusdem.

DLXIX. Cranium Aethiopis Guineënsis, cum maxilla inferiore omnibusque dentibus. Donum ejusdem.

DLXX. Cranium Aethiopis Guineënsis, cum maxilla inferiore et omnibus dentibus. Donum ejusdem.

DLXXI. Cranium Aethiopis Guineënsis, absque maxilla inferiore. Inhaerent omnes dentes maxillae superiori. Donum ejusdem.

DLXXII. Cranium Aethiopis Guineënsis, cum maxilla inferiore et omnibus dentibus. Donum ejusdem.

DLXXIII. Cranium Aethiopis Guineënsis, cum maxilla inferiore.

DLXXIV. Cranium Aethiopis Guineënsis, cum maxilla inferiore et omnibus dentibus.

DLXXV. Cranium Aethiopis Guineënsis, cum maxilla inferiore et dentibus. Donum Doct. WOELFING.

DLXXVI. Cranium Aethiopis Guineënsis, cum maxilla inferiore et omnibus dentibus. Donum ejusdem.

DLXXVII. Cranium Aethiopis Guineënsis, cum maxilla inferiore; evulsi fuerunt pauci dentes, quorum alveoli perierunt.

DLXXVIII. Cranium Africani, cum maxilla inferiore et dentibus. Donum Doct. WOELFING.

DLXXIX. Cranium Asiatae, cum maxilla inferiore.

DLXXX. Cranium Asiatae, cum maxilla inferiore.

DLXXXI. Cranium Indostani, cum maxilla inferiore et dentibus. Donum Doct. J. PEITSEL.

DLXXXII. Cranium Bengalensis, cum maxilla inferiore. Dentes molares ultimi maxillae inferioris non prodierunt.

DLXXXIII. Cranium viri ejusdem nationis, cum maxilla inferiore. In maxilla inferiore perierunt nonnulli dentes molares.

DLXXXIV. Cranium Cingalensis, cum maxilla inferiore omnibusque dentibus. Donum Doct. VAN HUSSEM.

DLXXXV. Extypon ex cera factum cranii viri ejusdem nationis, cum maxilla inferiore.

DLXXXVI. Cranium incolae insulae Borneo, cum maxilla inferiore et dentibus. Donum Doct. HEPPENER.

DLXXXVII. Cranium incolae Macassar, cum maxilla inferiore et dentibus. Donum Doct. HEPPENER.

DLXXXVIII. Cranium Madurensis, cum maxilla inferiore, omnibusque dentibus. Donum Doct. J. PEITSEL.

DLXXXIX. Cranium Amboinensis, cum maxilla inferiore et dentibus. Donum Doct. HEPPENER.

DXC. Cranium Amboinensis, cum maxilla inferiore et plurimis dentibus.

DXCI. Cranium Amboinensis, cum maxilla inferiore et dentibus. Donum Doct. J. PEITSEL.

DXCII. Cranium Javanensis, cum maxilla inferiore et omnibus dentibus. Donum Doct. J. PEITSEL.

DXCIII. Cranium Javanensis, cum maxilla inferiore et omnibus dentibus.

DXCIV. Cranium foeminae Javanensis, cum maxilla inferiore. Donum Doct. VAN DER STEEGH.

DXCV. Cranium foeminae Javanensis, cum maxilla inferiore. Donum Doct. VAN DER STEEGH.

DXCVI. Cranium incolae insulae Baly, cum maxilla inferiore; dentes molares ultimi non prodierunt. Donum Doct. HEPPENER.

DXCVII. Cranium incolae regni Bimae in insula Sumbawa, cum maxilla inferiore et dentibus omnibus, evulsis tantum paucis, quorum alveoli perierunt. Donum Clar. J. A. BENNET.

DXCVIII. Cranium incolae novae Guineae, sive *Terre des Papous*, cum maxilla inferiore et dentibus. Donum Doct. HEPPENER.

Dentes craniorum N°. DLXXXVII, DLXXXIX, DXC, DXCII, DXCIV, DXCV, DXCVII, DXCVIII, ex manducatione foliorum Piperis Betle, calcis vivae, nucis Arecae etc. nigra crusta sunt tecti.

DXCIX. Cranium Hottentotae, cum maxilla inferiore et dentibus fere omnibus. Donum Doct. DIBBETZ.

DC. Cranium Rustici ex Promontorio Bonae Spei, originis Europaeae, cum maxilla inferiore et dentibus omnibus, unico molari excepto, antea evulso. Hujus rustici proaevi per plures generationes Africam habitaverunt.

DCI. Cranium Otaitensis absque maxilla inferiore. Alveoli dentium molarium sunt partim deleti. Donum Perill. J. BANCKS.

DCII. Cranium incolae New South Wales, absque maxilla inferiore, deleti sunt alveoli incisorum dentium mediorum.

DCIII. Extypon ex gypso capitis Caffri.

DCIV. Extypon ex gypso capitis Africani (Boschjesman).

DCV. Extypon ex gypso capitis Hottentoti.

DCVI. Extypon ex gypso capitis Aethiopis.

DCVII. Mumia Aegyptiaca egregie conservata.

ORGANA MANDUCATIONIS,

CRANIA MAMMALIUM.

DCVIII. Cranium hominis adulti, mediae aetatis sexus virilis, cum maxilla inferiore atque dentibus.

DCIX. Cranium Simiae satyri LINN. Pitheci satyri GEOFFR. cum maxilla inferiore. Adsunt dentes lactei incisores, canini atque duo molares priores; sequentes molares in alveolis observantur, et omnes dentes permanentes, pone lacteos detegi possunt.

Longitudo a vertice cranii ad marginem maxillae superioris = 130 linearum belgicarum, vel 5 pollicum rhenolandicorum. Longitudo a fronte ad occiput, sive conceptaculi cerebri = 104 lin. belg., 4 poll. rhen. Latitudo maxima conceptaculi cerebri = 94 lin. belg., 3 poll. 7 lin. rhen.

DCX. Cranii Simiae satyri adulti extypon ex cera, cum maxilla inferiore atque dentibus.

Longitudo cranii = 235 lin. belg., 9 poll. rhen. Longitudo conceptaculi cerebri = 118 lin. belg., 4 poll. 6 lin. rhen. Latitudo conc. cerebri = 94 lin. belg., 3 poll. 7 lin. rhen.

DCXI. Cranium Simiae Monae Linn. Cercopitheci Monae Geoffr., cum maxilla inferiore atque dentibus.

Longit. cranii = 92 lin. belg., 3 poll. 6 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 52 lin. belg., 2 poll. rhen.

DCXII. Cranii Simiae Monae Linn. ossa faciei, cum omnibus dentibus in utraque maxilla.

DCXIII. Cranium Simiae Dianae junioris Linn. Cercopitheci Dianae Geoffr. cum maxilla inferiore; adsunt dentes incisores, canini, molares primi et secundi, reliqui non prodierunt, sed intra alveolos deteguntur.

Longit. cranii = 78 lin. belg, 3 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 59 lin. belg, 2 poll 3 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 50 lin. belg., 1 poll. 11 lin. rhen.

DCXIV. Cranium Simiae Sabaeae junioris Linn. Cercocebi Sabaei Geoffr. Cercopitheci Illig., cum maxilla inferiore; ultimi dentes molares non prodierunt.

Longit. cranii = 92 lin. belg., 3 poll. 6 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 59 lin. belg., 2 poll. 3 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 52 lin. belg., 2 poll. rhen.

DCXV. Cranium Simiae Cynomolgi Linn. Cercocebi Cynomolgi Geoffr. Cercopitheci Illig., cum maxilla inferiore et dentibus. Molares secundi lactei maxillae inferioris ceciderunt, persistentes ex alveolis prodierunt; canini dentes partim sunt abrasi.

Longit. cranii = 157 lin. belg., 6 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 98 lin. belg., 3 poll. 9 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 74 lin. belg., 2 poll. 10 lin. rhen.

DCXVI. Cranium Simiae Sphingis junioris Linn. Papionis Sphingis Geoffr. Cynocephali Illig. cum maxilla inferiore et dentibus, quorum incisores medii sunt persistentes; vix prodierunt ex alveolis incisores laterales in maxilla superiore; canini adsunt lactei et tres dentes molares in utraque maxilla, ab utroque latere.

Longit cranii = 92 lin. belg., 3 poll. 6 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 65 lin. belg, 2 poll. 6 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 56 lin. belg., 2 poll. 2 lin. rhen.

DCXVII. Cranium Simiae Mormonis Linn. Papionis Mormonis Geoffr. Cynocephali Illig. cum maxilla inferiore atque dentibus.

Longit. cranii = 235 lin. belg., 9 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 85 lin. belg., 3 poll. 3 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 83 lin. belg., 3 poll. 2 lin. rhen.

DCXVIII. Cranium Simiae seniculi Linn. Stentoris seniculi Geoffr. Mycetis Illig. cum maxilla inferiore et dentibus.

Longit. cranii = 131 lin. belg., 5 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 52 lin. belg., 2 poll rhen.

DCXIX. Cranium Simiae Apellae Linn. Cebi Apellae Geoffr. Callithricis Illig. cum maxilla inferiore omnibusque dentibus.

Longit. cranii = 92 lin. belg., 3 poll. 6 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 54 lin. belg., 2 poll. 1 lin. rhen.

DCXX. Cranium ejusdem speciei Simiae, cum maxilla inferiore; dentes incisores medii superiores sunt persistentes, sequentes nondum ex alveolis prodierunt, reliqui sunt dentes lactei.

Longit. cranii = 78 lin. belg., 3 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 59 lin. belg., 2 poll. 3 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 46 lin. belg., 1 poll. 9 lin. rhen.

DCXXI. Cranium ejusdem speciei Simiae, cum maxilla inferiore omnibusque dentibus lacteis.

Longit. cranii = 98 lin. belg., 3 poll. 9 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 48 lin. belg., 1 poll. 10 lin. rhen.

DCXXII. Cranium Simiae Jacchi Linn. Jacchi vulgaris Geoffr. Hapalis Illig., cum maxilla inferiore et dentibus.

Longit. cranii = 43 lin. belg., 1 poll. 8 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 33 lin. belg., 1 poll. 3 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 24 lin. belg., 11 lin. rhen.

DCXXIII. Cranium Simiae Mydae Linn. Midae rufimani Geoffr. Hapalis Illig., cum maxilla inferiore et omnibus dentibus.

Longit. cranii = 52 lin. belg., 2 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 43 lin. belg., 1 poll. 8 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 28 lin. belg., 1 poll. 1 lin. rhen.

DCXXIV. Cranium Simiae rosaliae Linn. Midae rosaliae Geoffr. Hapalis Illig., ejusdem magnitudinis quam praecedens species. Adhaerent tres superiores vertebrae colli.

DCXXV. Cranium Lemuris Cattae Linn., cum maxilla inferiore et dentibus.

Longit. cranii = 78 lin. belg., 3 poll. rhen Longit. conc. cerebri = 67 lin., 2 poll. 7 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 39 lin. belg., 1 poll. 6 lin. rhen.

DCXXVI. Cranium Lemuris tardigradi Linn. Stenopis Illig., cum maxilla inferiore omnibusque dentibus. Pars ossis occipitis deficit.

DCXXVII. Cranium Lemuris gracilis Linn., cum maxilla inferiore omnibusque dentibus.

Longit. cranii = 52 lin. belg. 2 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 28 lin. belg., 1 poll. 1 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 26 lin. belg. 1 poll. rhen.

DCXXVIII. Cranium Vespertilionis Vampyri Linn. Pteropi Illig., cum maxilla inferiore et omnibus dentibus.

Longit. cranii = 72 lin. belg., 2 poll. 9 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 39 lin. belg., 1 poll. 6 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 24 lin. belg., 11 lin. rhen.

DCXXIX. Cranium Vespertilionis Spectri Linn. Phyllostomi Illig., cum maxilla inferiore atque dentibus.

Longit. cranii = 32 lin. belg., 1 poll. 3 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 17 lin. belg., 8 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 11 lin. belg., 5 lin. rhen.

DCXXX. Cranium Vespertilionis murini Linn., cum maxilla inferiore atque omnibus dentibus.

Lon-

Longit. cranii = 19 lin. belg., 9 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 11 lin. belg., 5 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 9 lin. belg., 4 lin. rhen.

DCXXXI. Cranium Vespertilionis Serotini LINN., cum maxilla inferiore omnibusque dentibus.

Longit. cranii = 19 lin. belg., 9 lin. rhen. Longit. et Latit. conc. cerebri = 10 lin. belg., 5 ½ lin. rhen.

DCXXXII. Cranium Lemuris volantis LINN. Galeopitheci ILLIG., cum maxilla inferiore et omnibus dentibus.

Longit. cranii = 72 lin. belg., 2 poll. 9 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 37 lin. belg., 1 poll. 5 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 26 lin. belg., 1 poll. rhen.

DCXXXIII. Cranium Erinacei europaei LINN., cum maxilla inferiore atque omnibus dentibus.

Longit. cranii = 59 lin. belg., 2 poll. 3 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 26 lin. belg., 1 poll. rhen. Latit. conc. cerebri = 19 lin. belg., 9 lin. rhen.

DCXXXIV. Cranium Soricis Aranei LINN., cum maxilla inferiore atque dentibus.

Longit. cranii = 19 lin. belg., 9 lin. rhen. Longit. et Latit. conc. cerebri = 9 lin. belg., 4 lin. rhen.

DCXXXV. Cranium Talpae europaeae LINN., cum maxilla inferiore atque omnibus dentibus.

Longit. cranii = 37 lin. belg., 1 poll. 5 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 18 lin. belg., 8 ½ lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 17 lin. belg., 8 lin. rhen.

DCXXXVI. Cranium Ursi arcti fusci LINN., cum maxilla inferiore omnibusque dentibus..

Longit. cranii = 347 lin. belg., 13 poll. 3 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 131 lin. belg., 5 poll. rhen. Latit. conc. cerebri = 98 lin. belg., 3 poll. 9 lin. rhen.

DCXXXVII. Cranium Ursi, cum maxilla inferiore atque omnibus dentibus; videtur animalis junioris.

Longit. cranii = 288 lin. belg., 11 poll. rhen.

DCXXXVIII. Cranium Ursi Arcti nigri LINN. absque maxilla inferiore.

Longit. cranii = 314 lin. belg., 12 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 131 lin. belg., 5 poll. rhen. Latit. conc. cerebri = 100 lin. belg., 3 poll. 10 lin. rhen.

DCXXXIX. Cranium Ursi maritimi LINN.? absque maxilla inferiore.

Longit. cranii = 366 lin. belg., 14 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 157 lin. belg., 6 poll. rhen. Latit. conc. cerebri = 103 lin. belg., 3 poll. 11 lin. rhen.

DCXL. Cranium Viverrae Nasuae LINN. Nasuae ILLIG., cum maxilla inferiore atque dentibus. Nonnulli dentes persistentes vix ex alveolis prodierunt.

Longit. cranii = 105 lin. belg., 4 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 50 lin. belg., 1 poll. 11 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 41 lin. belg., 1 poll. 7 lin. rhen.

DCXLI. Cranium Viverrae Nasuae LINN. Nasuae ILLIG., cum maxilla inferiore atque dentibus.

DCXLII. Cranium Viverrae Naricae junioris LINN. Nasuae ILLIG., cum maxilla inferiore dentibusque.

DCXLIII. Cranium Viverrae junioris.

Longit. cranii = 49 lin. belg., 1 poll. 10 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 29 lin. belg., 1 poll. 1 ½ lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 26 lin. belg., 1 poll. rhen.

DCXLIV. Cranium Ursi Melis LINN., Melis ILLIG., cum maxilla inferiore, dentibus et osse hyoïde.

Longit. cranii = 131 lin. belg., 5 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 45 lin. belg., 1 poll. 9 lin. rhen.

DCXLV. Cranium Mustelae Putorii maris LINN., cum maxilla inferiore atque dentibus.

Longit. cranii = 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 39 lin. belg., 1 poll. 6 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 28 lin. belg., 1 poll. 1 lin. rhen.

DCXLVI. Cranium Mustelae Putorii foem. LINN., cum maxilla inferiore et dentibus.

Longit. cranii = 59 lin. belg., 2 poll. 3 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 33 lin. belg., 1 poll. 3 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 24 lin. belg., 11 lin. rhen.

DCXLVII. Cranium ejusdem speciei animalis, cum maxilla inferiore atque dentibus.

Longit. cranii = 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 37 lin. belg., 1 poll. 5 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 26 lin. belg., 1 poll. rhen.

DCXLVIII. Cranii ejusdem speciei pars anterior. Dentes canini in maxilla inferiore insignis sunt longitudinis.

DCXLIX. Cranium Mustelae vulgaris LINN., cum maxilla inferiore atque dentibus.

Longit. cranii = 33 lin. belg., 1 poll. 3 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 37 lin. belg., 1 poll. 5 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 26 lin. belg. 1 poll. rhen.

DCL. Cranium Viverrae Zorillae LINN., cum maxilla inferiore et dentibus. Canini dentes persistentes ex alveolis maxillae inferioris prodierunt; in superiore vero maxilla canini lactei adhuc adsunt.

Longit. cranii = 56 lin. belg., 2 poll. 2 lin. rhen.

DCLI. Cranium Mustelae Martes LINN., cum maxilla inferiore et dentibus.

DCLII. Cranium Mustelae Lutrae LINN. Lutrae ILLIG., cum maxilla inferiore atque dentibus.

Longit. cranii = 120 lin. belg., 4 poll. 7 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 73 lin. belg., 2 poll. 7 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 48 lin. belg., 1 poll. 10 lin. rhen.

DCLIII. Maxillaria ossa, cum dentibus ejusdem speciei animalis, sed robustioris.

DCLIV. Cranium Canis familiaris, brevipilis LINN., cum maxilla inferiore et dentibus.

Longit. cranii = 85 lin. belg., 3 poll. 3 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 52 lin. belg., 2 poll. rhen. Latit. conc. cerebri = 32 lin. belg., 1 poll. 3 lin. rhen.

DCLV. Cranium Canis familiaris, Molossi LINN., cum maxilla inferiore et dentibus

Longit. cranii = 183 lin. belg., 7 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 91 lin. belg., 3 poll. 6 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 59 lin. belg., 2 poll. 3 lin. rhen.

DCLVI. Cranium Canis familiaris, anglici LINN., cum maxilla inferiore omnibusque dentibus.

Longit. cranii = 183 lin. belg., 7 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 78 lin. belg., 3 poll. rhen. Latit. conc. cerebri = 59 lin. belg., 2 poll. 3 lin. rhen.

DCLVII. Cranium Canis familiaris LINN., cum maxilla inferiore et dentibus.

Longit. cranii = 117 lin. belg., 4 poll. 6 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 70 lin. belg., 2 poll. 8 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 52 lin. belg., 2 poll. rhen.

DCLVIII. Cranium Canis Vulpis LINN., cum maxilla inferiore atque dentibus.

Longit. cranii = 157 lin. belg., 6 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 78 lin. belg., 3 poll. rhen. Latit. conc. cerebri = 52 lin. belg., 2 poll. rhen.

DCLIX. Cranium Canis Vulpis LINN. cum maxilla inferiore et dentibus.

Longit. cranii = 144 lin. belg., 5 poll. 6 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 48 lin. belg. 1 poll. 10 lin. rhen.

DCLX. Cranium Viverrae Ichneumonis LINN. Herpetis ILLIG., cum maxilla inferiore et dentibus.

DCLXI. Cranium Canis Hyaenae LINN., Hyaenae ILLIG., cum maxilla inferiore et dentibus.

Longit. cranii = 275 lin. belg., 10 poll. 6 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 118 lin. belg., 4 poll. 6 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 76 lin. belg., 2 poll. 11 lin. rhen.

DCLXII. Cranium ejusdem speciei animalis, cum maxilla inferiore et dentibus.

DCLXIII. Cranium Felis Leonis, maris LINN., ex Promontorio Bonae Spei, cum maxilla inferiore omnibusque dentibus.

Longit. cranii = 327 lin. belg., 12 poll. 6 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 118 lin. belg., 4 poll. 6 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 94 lin. belg., 3 poll. 7 lin. rhen.

DCLIV. Cranium Felis Leonis, foem. ex Promontorio Bonae Spei, cum maxilla inferiore et dentibus.

Longit. cranii = 301 lin. belg., 11 poll. 6 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 118 lin. belg., 4 poll. 6 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 94 lin. belg., 3 poll. 7 lin. rhen.

DCLXV. Cranium Felis Leonis asiatici, cum maxilla inferiore et dentibus.

Longit. cranii = 314 lin. belg., 12 poll. rhen. Longit. conc. cerebri =

118 lin. belg., 4 poll. 6 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 89 lin. belg., 3 poll. 5 lin. rhen.

DCLXVI. Cranium Felis Leonis asiatici, cum maxilla inferiore omnibusque dentibus.

Longit. cranii = 314 lin. belg., 12 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 118 lin. belg., 4 poll. 6 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 92 lin. belg., 3 poll. 6 lin. rhen.

DCLXVII. Cranium Felis Pardi LINN., cum maxilla inferiore et dentibus.

Longit. cranii = 235 lin. belg., 9 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 105 lin. belg., 4 poll. rhen. Latit. conc. cerebri = 79 lin. belg., 3 poll. rhen.

DCLXVIII. Cranium Felis Leopardi LINN., cum maxilla inferiore omnibusque dentibus.

Longit. cranii = 209 lin. belg., 8 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 92 lin. belg., 3 poll. 6 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 67 lin. belg. 2 poll. 7 lin. rhen.

DCLXIX. Cranium Felis Lyncis LINN., cum maxilla inferiore omnibusque dentibus.

Longit. cranii = 131 lin. belg., 5 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 96 lin. belg., 3 poll. 8 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 57 lin. belg., 2 poll. 2 lin. rhen.

DCLXX. Cranium Felis Capensis LINN., cum maxilla inferiore atque dentibus.

Longit. cranii = 222 lin. belg., 8 poll. 6 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 92 lin. belg., 3 poll. 6 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 74 lin. belg., 2 poll. 10 lin. rhen.

DCLXXI. Cranium Felis .... ex Promontorio Bonae Spei, cum maxilla inferiore. Est cranium animalis junioris, hinc nonnulli dentes perierunt, et persistentes vix ex alveolis prominent.

Longit. cranii = 157 lin. belg., 6 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 95 lin. belg. 3 poll. 3 lin. rhen Latit. conc. cerebri = 67 lin. belg., 2 poll. 7 lin. rhen.

DCLXXII. Cranium Felis Cati, maris LINN. cum maxilla inferiore et dentibus.

Longit. cranii = 91 lin. belg., 3 poll. 6 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 52 lin. belg., 2 poll. rhen. Latit. conc. cerebri = 41 lin. belg., 1 poll. 7 lin. rhen.

DCLXXIII. Cranium Felis Cati junioris, cum maxilla inferiore omnibusque dentibus.

Longit. cranii = 59 lin. belg., 2 poll. 3 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 41 lin. belg., 1 poll. 7 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 35 lin. belg., 1 poll. 4 lin. rhen.

DCLXXIV. Cranium Phocae vitulinae LINN., cum maxilla inferiore, dentibus, nec non vertebris colli.

Longit. cranii = 157 lin. belg., 6 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 85 lin. belg., 3 poll. 3 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 87 lin. belg., 3 poll. 4 lin. rhen.

DCLXXV. Cranium Phocae Leoninae LINN., cum maxilla inferiore atque dentibus. Conceptaculum cerebri pro parte est laesum.

DCLXXVI. Cranium Trichechi Rosmari LINN., cum maxilla inferiore atque dentibus.

Longit. cranii = 301 lin. belg., 11 poll. 6 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 144 lin. belg., 5 poll. 6 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 150 lin. belg., 5 poll. 9 lin. rhen.

Longit. dentium laniariorum extra alveolos = 393 lin. belg, 15 poll. rhen.

DCLXXVII. Cranium ejusdem speciei animalis, cum maxilla inferiore atque dentibus. Dentes laniarii quidem ejusdem longitudinis sunt, quam in praecedenti specimine, sed crassiores.

Longit. cranii = 393 lin. belg, 15 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 183 lin. belg., 7 poll. rhen, Latit. conc. cerebri = 170 lin. belg., 6 poll. 6 lin. rhen.

DCLXXVIII. Cranium ejusdem speciei animalis, cum maxilla inferiore, longitudinaliter totum divisum.

Longit. cranii = 340 lin. belg., 13 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 144 lin. belg., 5 poll. 6 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 157 lin. belg., 6 poll. rhen.

DCLXXIX. Cranium Didelphis Opossum, maris LINN., cum maxilla inferiore omnibusque dentibus.

Longit. cranii = 70 lin. belg., 2 poll. 8 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 41 lin. belg., 1 poll. 7 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 19 lin. belg., 8½ lin. rhen.

DCLXXX. Cranium Didelphis giganteae LINN., Halmaturi ILLIG., cum maxilla inferiore atque dentibus.

Longit. cranii = 164 lin. belg., 6 poll. 3 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 65 lin. belg, 2 poll 6 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 45 lin. belg., 1 poll. 9 lin. rhen.

DCLXXXI. Cranium Castoris Fiberis LINN., cum maxilla inferiore atque dentibus.

Longit. cranii = 144 lin. belg., 5 poll. 6 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 44 lin. belg., 1 poll. 8 lin. rhen.

DCLXXXII. Extypon ex gypso cranii, cute tecti, Castoris Fiberis.

DCLXXXIII. Cranium Muris Musculi LINN., cum maxilla inferiore et dentibus.

Longit. cranii = 19 lin. belg., 9 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 13 lin. belg., 6 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 11 lin. belg., 5 lin. rhen.

DCLXXXIV. Cranium ejusdem speciei animalis.

DCLXXXV. Cranium Muris Ratti, maris LINN., cum maxilla inferiore omnibusque dentibus.

Longit. cranii = 45 lin. belg., 1 poll. 9 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 22 lin. belg., 10 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 15 lin. belg., 7 lin. rhen.

DCLXXXVI. Cranium Muris Criceti LINN., Criceti ILLIG., cum maxilla inferiore omnibusque dentibus.

Longit. cranii = 45 lin. belg., 1 poll. 9 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 22 lin. belg., 10 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 17 lin. belg., 8 lin. rhen.

DCLXXXVII. Cranium Muris maritimi LINN., Bathyergi ILLIG., cum maxilla inferiore et dentibus.

Longit. cranii = 72 lin. belg., 2 poll. 9 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 28 lin. belg., 1 poll. 1 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 22 lin. belg., 10 lin. rhen.

DCLXXXVIII. Cranium Muris .... cum maxilla inferiore et dentibus.

Longit. cranii = 72 lin. belg., 2 poll. 9 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 45 lin. belg., 1 poll. 9 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 24 lin. belg., 11 lin. rhen.

DCLXXXIX. Cranium Sciuri vulgaris LINN., cum maxilla inferiore et omnibus dentibus.

Longit. cranii = 52 lin. belg., 2 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 30 lin. belg., 1 poll. 2 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 22 lin. belg., 10 lin. rhen.

DCXC. Cranium simile ejusdem speciei.

DCXCI. Cranium Sciuri cinerei LINN., cum maxilla inferiore atque dentibus.

DCXCII. Cranium Sciuri albi LINN., cum maxilla inferiore atque omnibus dentibus.

DCXCIII. Cranium Hystricis cristatae LINN., cum maxilla inferiore et dentibus.

Longit. cranii = 170 lin. belg., 6 poll. 6 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 52 lin. belg., 2 poll. rhen. Latit. conc. cerebri = 59 lin. belg., 2 poll. 3 lin. rhen.

DCXCIV. Cranii Hystricis cristatae LINN., cum maxilla inferiore et dentibus.

Longit. cranii = 144 lin. belg., 5 poll. 6 lin. rhen. Longit. conc. cerebri, ejusque Latit. = 52 lin. belg. 2 poll. rhen.

DCXCV. Cranium Leporis timidi LINN., cum maxilla inferiore et dentibus.

Longit. cranii = 98 lin. belg., 3 poll. 9 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 44 lin. belg., 1 poll. 8 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 32 lin. belg, 1 poll. 3 lin. rhen.

DCXCVI. Cranium Leporis Cuniculi LINN., cum maxilla inferiore omnibusque dentibus.

Longit. cranii = 78 lin. belg., 3 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 39 lin. belg., 1 poll. 6 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 28 lin. belg., 1 poll. 1 lin. rhen.

DCXCVII. Cranium Caviae Capybarae LINN., Hydrochoeri ILLIG., cum maxilla inferiore et dentibus.

Longit. cranii = 249 lin. belg., 9 poll. 6 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 91 lin. belg., 3 poll. 6 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 56 lin. belg., 2 poll. 2 lin. rhen.

DCXCVIII. Cranium ejusdem animalis, cum omnibus dentibus in utraque maxilla.

Lon-

Longit. cranii = 222 lin. belg., 8 poll. 6 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 85 lin. belg., 3 poll. 3 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 61 lin. belg., 2 poll. 4 lin. rhen.

DCXCIX. Cranium Caviae Aguti LINN., Dasyproctae ILLIG., cum maxilla inferiore et dentibus.

Longit. cranii = 59 lin. belg., 2 poll. 3 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 39 lin. belg., 1 poll. 6 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 28 lin. belg., 1 poll. 1 lin. rhen.

DCC. Cranium Caviae Pacae LINN., Coelogenis ILLIG., cum maxilla inferiore atque dentibus, ex quibus tamen, quum est cranium animalis junioris, ultimi dentes molares non prodierunt.

DCCI. Cranium ejusdem speciei, sed junioris adhuc animalis; molares enim dentes neque in superiore, neque in inferiore maxilla ex alveolis prodierunt.

DCCII. Cranium Caviae Porcelli LINN., cum maxilla inferiore atque omnibus dentibus.

Longit. cranii = 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen.

DCCIII. Cranium Bradypi tridactyli LINN., cum maxilla inferiore et omnibus dentibus.

Longit. cranii = 70 lin. belg., 2 poll. 8 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 45 lin. belg., 1 poll. 9 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 35 lin. belg., 1 poll. 4 lin. rhen.

DCCIV. Cranium Dasypi sexcincti LINN., cum maxilla inferiore atque dentibus.

Longit. cranii = 91 lin. belg., 3 poll. 6 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 39 lin. belg., 1 poll. 6 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 37 lin. belg. 1 poll. 5 lin. rhen.

DCCV. Cranium Dasypi novemcincti LINN., cum maxilla inferiore et dentibus.

Longit. cranii = 78 lin. belg., 3 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 39 lin. belg., 1 poll. 6 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 26 lin. belg., 1 poll. rhen.

DCCVI. Cranium Myrmecophagae capensis LINN., Oryceteropi ILLIG., cum maxilla inferiore atque dentibus.

Longit. cranii = 235 lin. belg., 9 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 118 lin. belg., 4 poll. 6 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 61 lin. belg., 2 poll. 4 lin. rhen.

DCCVII. Cranium Myrmecophagae jubatae LINN., absque maxilla inferiore.

Longit. cranii = 340 lin. belg., 13 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 109 lin. belg., 4 poll. 2 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen.

DCCVIII. Cranium Manis pentadactylae LINN., cum maxilla inferiore.

Longit. cranii = 79 lin. belg., 3 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 63 lin. belg., 2 poll. 5 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 37 lin. belg., 1 poll. 5 lin. rhen.

DCCIX. Cranium Elephantis Indici junioris LINN., cum maxilla inferiore; dens laniarius lacteus sinistri lateris vix ex alveolo prodit, atque germina dentium molarium in maxilla superiore et inferiore inveniuntur.

Longit. cranii a vertice ad marginem alveolarem = 262 lin. belg., 10 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 170 lin. belg., 6 poll. 6 lin. rhen.

DCCX. Cranium Elephantis Indici LINN., cum maxilla inferiore atque dentibus molaribus octo. Deficiunt dentes laniarii.

Longit. cranii a vertice ad marginem alveolarem = 576 lin. belg., 22 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 235 lin. belg., 9 poll. rhen.

DCCXI. Cranium ejusdem speciei animalis, cum maxilla inferiore atque dentibus molaribus. Adsunt partes inferiores dentium laniariorum, quorum diametri = 26 lin. belg., 1 poll. rhen. Quatuor adsunt dentes molares, priores ceciderunt, posteriores in alveolis conspiciuntur.

Longit. cranii a vertice ad marginem alveolarem = 693 lin. belg., 26 poll. 6 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 262 lin. belg., 10 poll. rhen.

DCCXII. Cranium ejusdem speciei animalis, cum maxilla inferiore atque dentibus molaribus quatuor, longitudinis = 210 lin. belg., 8 poll. rhen.; priores ceciderunt, ut ex parvis reliquis patet; diametri alveolorum dentium laniariorum = 52 lin. belg., 2 poll. rhen.

Longit. cranii a vertice ad marginem alveolarem = 759 lin. belg., 29 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 262 lin. belg., 10 poll. rhen.

DCCXIII. Cranium Hippopotami amphibii LINN., cum maxilla inferiore et dentibus.

DCCXIV. Cranium ejusdem speciei animalis, cum maxilla inferiore atque dentibus.

Longit. cranii = 576 lin. belg., 22 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 196 lin. belg., 7 poll. 6 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 131 lin. belg., 5 poll. rhen.

DCCXV. Cranium Suis Scrofae vulgaris LINN., cum maxilla inferiore atque dentibus.

Longit. cranii = 340 lin. belg., 13 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 100 lin. belg., 3 poll. 10 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 67 lin. belg. 2 poll. 7 lin. rhen.

DCCXVI. Cranium Suis, Dicatylis torquati CUVIERII, cum maxilla inferiore, omnibusque dentibus.

Longit. cranii = 262 lin. belg., 10 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 98 lin. belg., 3 poll. 9 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 65 lin. belg., 2 poll. 2 lin. rhen.

DCCXVII Cranium ejusdem speciei animalis, cum maxilla inferiore et dentibus.

Longit. cranii = 288 lin. belg., 11 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 96 lin. belg., 3 poll. 8 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen.

DCCXVIII. Cranium Suis larvati CUVIERII, cum maxilla inferiore omnibusque dentibus.

Longit. cranii = 353 lin. belg., 13 poll. 6 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 98 lin. belg., 3 poll. 9 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 70 lin. belg., 2 poll. 8 lin, rhen.

DCCXIX. Cranium Suis aethiopici LINN., Phascochoeris CUVIERII, cum maxilla omnibusque dentibus; inhaerent duo dentes incisores maxillae superiori, et sex incisores maxillae inferiori.

Lon-

Longit. cranii = 419 lin. belg., 16 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 78 lin. belg., 3 poll. rhen. Latit. conc. cerebri = 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen.

DCCXX. Cranium Suis aethiopici LINN., cum maxilla inferiore omnibusque dentibus molaribus; ceciderunt dentes incisores ex utraque maxilla, alveoli vero adhuc sunt conspicui.

Longit. cranii = 380 lin. belg., 14 poll. 6 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 83 lin. belg., 3 poll. 2 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 83 lin. belg., 3 poll. 2 lin. rhen.

DCCXXI. Cranium Suis aethiopici LINN., cum maxilla inferiore, dentibus molaribus, atque laniariis; ceciderunt non tantum omnes incisores dentes, sed perierunt etiam eorum alveoli.

Longit. cranii = 340 lin. belg., 13 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 78 lin. belg, 3 poll. rhen. Latit. conc. cerebri = 70 lin. belg., 2 poll. 8 lin. rhen.

DCCXXII. Cranium Suis Babyrussae LINN., cum maxilla inferiore et dentibus.

Longit. cranii = 262 lin. belg., 10 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 105 lin. belg., 4 poll. rhen. Latit. conc. cerebri = 61 lin. belg., 2 poll. 4 lin. rhen.

DCCXXIII. Cranium Rhinocerotis unicornis junioris LINN., Rhin. Indici CUV., cum maxilla inferiore et dentibus.

Longit. cranii = 275 lin. belg., 10 poll. 6 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 150 lin. belg., 5 poll. 9 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 131 lin. belg., 5 poll. rhen.

DCCXXIV. Cranium Rhinocerotis bicornis LINN., Rhinoc. Africani CUV., cum maxilla inferiore dentibusque; ultimi molares utriusque maxillae ex alveolis nondum prodieruut.

Longit. = 405 lin. belg., 15 poll. 6 lin. rhen.

DCCXXV. Cranium Rhinocerotis bicornis LINN., cum maxilla inferiore omnibusque dentibus.

Longit. cranii = 550 lin. belg., 21 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 131 lin. belg., 5 poll. rhen. Latit. conc. cerebri = 140 lin. belg., 5 poll. 4 lin. rhen.

DCCXXVI. Cranium Hyracis capensis LINN., cum maxilla inferiore et dentibus.

Longit. cranii = 92 lin. belg., 3 poll. 6 lin. rhen.

DCCXXVII. Cranium Tapiri americani LINN., cum maxilla inferiore et omnibus dentibus.

Longit. cranii = 418 lin. belg., 16 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 124 lin. belg., 4 poll. 9 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 96 lin. belg., 3 poll. 8 lin. rhen.

DCCXXVIII. Cranium ejusdem speciei animalis, cum maxilla inferiore omnibusque dentibus.

Longit. cranii = 340 lin. belg., 13 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 111 lin. belg., 4 poll. 3 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 92 lin. belg., 3 poll. 6 lin. rhen.

DCCXXIX. Cranium Tapiri americani LINN., cum maxilla inferiore et dentibus.

Longit. cranii = 340 lin. belg., 13 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 105 lin. belg., 4 poll. rhen. Latit. conc. cerebri = 87 lin. belg., 3 poll. 4 lin. rhen.

DCCXXX. Cranium ejusdem speciei animalis, sed junioris, cum maxilla inferiore omnibusque dentibus.

Longit. cranii = 235 lin. belg., 9 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 105 lin. belg., 4 poll. rhen. Latit. conc. cerebri = 79 lin. belg., 3 poll. rhen.

DCCXXXI. Cranium Equi Caballi, maris LINN., cum maxilla inferiore atque dentibus omnibus.

Longit. cranii = 576 lin. belg., 22 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 157 lin. belg., 6 poll. rhen. Latit. conc. cerebri = 92 lin. belg., 3 poll. 6 lin. rhen.

DCCXXXII. Cranium Equi Caballi, arabici, foeminae LINN., cum maxilla inferiore, omnibusque dentibus.

Longit. cranii = 550 lin. belg., 21 poll. rhen. Longit. conc. cerebri = 164 lin. belg., 6 poll. 3 lin. rhen. Latit. conc. cerebri = 94 lin. belg. 3 poll. 7 lin. rhen.

DCCXXXIII. Cranium Equi Caballi, foeminae LINN., cum maxilla inferiore atque dentibus.

MMCCCXXXII. - - - - foem. cum. foetubus.
MMCCCXXXIII. Georychus talpinus ILLIG.
MMCCCXXXIV. Mus decumanus LINN.
MMCCCXXXV. - - Rattus LINN. var. alba.
MMCCCXXXVI. - - Musculus LINN.
MMCCCXXXVII. - - - - var. alba.
MMCCCXXXVIII. - - silvaticus LINN.
MMCCCXXXIX. Dipus sagitta LINN.
MMCCCXL. Sciurus bicolor SPARM.
MMCCCXLI. - - vulgaris LINN.
MMCCCXLII. - - aestuans LINN.
MMCCCXLIII. Pteromys volans CUV.
MMCCCXLIV. Hydrochoerus Capybara ILLIG.
MMCCCXLV. - - - - - foetus.
MMCCCXLVI. Cavia Cobaya LINN.
MMCCCXLVII. Dasyprocta Aguti ILLIG.
MMCCCXLVIII. - - - - foetus.
MMCCCXLIX. - - Acuchi ILLIG.
MMCCCL. Coelogenys subniger FRED. CUV.
MMCCCLI. - - Paca ILLIG.
MMCCCLII. Bradypus tridactylus, foetus, LINN.
MMCCCLIII. Dasypus novemcinctus LINN.
MMCCCLIV. - - - - - foetus.

MMCCCLV. Dasypus unicinctus, foetus, LINN.
MMCCCLVI. Myrmecophaga didactyla LINN.
MMCCCLVII. - - - - - junior.
MMCCCLVIII. - - - - - foetus.
MMCCCLIX. - - - tetradactyla LINN.
MMCCCLX. - - - jubata LINN.
MMCCCLXI. Manis javanica DESM.
MMCCCLXII. Sus, Foetus.
MMCCCLXIII. Tapirus americanus, foetus, LINN.
MMCCCLXIV. - - - - foetus junior.
MMCCCLXV. Moschus pygmaeus LINN.
MMCCCLXVI. Cervus, foetus.
MMCCCLXVII. - - Axis, foetus, LINN.
MMCCCLXVIII. Antilope junior.
MMCCCLXIX. Bos Taurus, foetus, LINN.
MMCCCLXX. Balaena mysticetus, foetus, LINN.
MMCCCLXXI. Delphinus, foetus, LINN.

AMPHIBIA.

MMCCCLXXII. Sphargis mercurialis MERR.
MMCCCLXXIII. Testudo tabulata LINN.
MMCCCLXXIV. - - graeca LINN.
MMCCCLXXV. - - areolata THUNB.
MMCCCLXXVI. Ernys punctularia SCHWEIG.
MMCCCLXXVII. Crocodylus gangeticus CUV.
MMCCCLXXVIII. - - - - junior.
MMCCCLXXIX. - - vulgaris CUV.
MMCCCLXXX. - - rhombifer CUV.
MMCCCLXXXI. - - sclerops CUV.
MMCCCLXXXII. - - - - CUV.
MMCCCLXXXIII. - - - - jun. CUV.
MMCCCLXXXIV. - - lucius CUV.
MMCCCLXXXV. - - biporcatus CUV.
MMCCCLXXXVI. - - - - CUV.
MMCCCLXXXVII. - - - - junior
MMCCCLXXXVIII. - - palpebrosus.
MMCCCLXXXIX. Gecko guttatus DAUD.
MMCCCXC. - - - - DAUD.
MMCCCXCI. - - vittatus DAUD.

MMCCCXCII. Gecko rapicauda DAUD.
MMCCCXCIII. Basiliscus amboinensis DAUD.
MMCCCXCIV. Draco viridis DAUD.
MMCCCXCV. Iguana delicatissima LAUR.
MMCCCXCVI. Agama orbicularis DAUD.
MMCCCXCVII. - - gigantea KUHL.
MMCCCXCVIII. - - superciliosa DAUD.
MMCCCXCIX. - - calotes DAUD.
MMCD. - - atra DAUD.
MMCDI. Polychrus marmoratus CUV.
MMCDII. - - - - CUV.
MMCDIII. Zonurus cordylus MERR.
MMCDIV. Chamaeleon senegalensis CUV.
MMCDV. Tupinambis bivittatus KUHL.
MMCDVI. Lacerta ocellata DAUD.
MMCDVII. - - viridis DAUD.
MMCDVIII. - - agilis DAUD.
MMCDIX. - - crocea WOLF.
MMCDX. - - muralis MERR.
MMCDXI. - - striata DAUD.
MMCDXII. Tejus monitor MERR.
MMCDXIII. - - - - junior.
MMCDXIV. - - marinus LICHT.
MMCDXV. - - ameiva MERR.
MMCDXVI. - - - - junior.
MMCDXVII. Scincus officinalis SCHNEID.
MMCDXVIII. - - carinatus SCHNEID.
MMCDXIX. - - multifasciatus KUHL.
MMCDXX. Anguis fragilis LINN.
MMCDXXI. Acontias meleagris CUV.
MMCDXXII. Tortrix maculata OPPEL.
MMCDXXIII. - - scytale OPPEL.
MMCDXXIV. Boa canina LINN.
MMCDXXV. - Constrictor LINN.
MMCDXXVI. - Cenchris LINN.
MMCDXXVII. - murina LINN.
MMCDXXVIII. - carinata LINN.
MMCDXXIX. - Hortulana LINN.
MMCDXXX. - - - junior.
MMCDXXXI. Coluber Natrix LINN.

MMCDXXXII. Coluber caninus MERR.
MMCDXXXIII. - - crassicaudus LINN.
MMCDXXXIV. - - vittatus LINN.
MMCDXXXV. - - melanzostus GRAVENH.
MMCDXXXVI. - - fuscus LINN.
MMCDXXXVII. - - nebulatus LINN.
MMCDXXXVIII. - - Ahaetulla LINN.
MMCDXXXIX. - - rhombeatus LINN.
MMCDXL. - - viridissimus LINN.
MMCDXLI. - - arctiventris MERR.
MMCDXLII. - - stolatus LINN.
MMCDXLIII. - - - -
MMCDXLIV. - - laevis DAUD.
MMCDXLV. - - viperinus DAUD.
MMCDXLVI. - - lineatus LINN.
MMCDXLVII. - - - -
MMCDXLVIII. - - Cobella LINN.
MMCDXLIX. - - annulatus LINN.
MMCDL. Dipsas cinchoa CUV.
MMCDLI. - - dendrophila REINW.
MMCDLII. Dryinus nasutus MERR.
MMCDLIII. - - prasinus REINW.
MMCDLIV. Bungarus annularis DAUD.
MMCDLV. - - - -
MMCDLVI. Homalopsis monilis KUHL.
MMCDLVII. Elaps surinamensis CUV.
MMCDLVIII. - - Hygeae MERR.
MMCDLIX. - - lemniscatus CUV.
MMCDLX. Pelamis fasciata DAUD.
MMCDLXI. Hydrus major SHAW.
MMCDLXII. Vipera berus DAUD.
MMCDLXIII. - - elegans DAUD.
MMCDLXIV. - - arietans MERR.
MMCDLXV. Trigonocephalus atrox OPPEL.
MMCDLXVI. - - - rhodostoma REINW.
MMCDLXVII. Crotalus horridus LINN.
MMCDLXVIII. - - durissus LINN.
MMCDLXIX. Naja sputatrix REINW.
MMCDLXX. - - tripudians MERR.

MMCDLXXI. Amphisbaena alba LINN.
MMCDLXXII. - - - - -
MMCDLXXIII. - - - fuliginosa LINN.
MMCDLXXIV. - - - - -
MMCDLXXV. Caecilia tentaculata LINN.
MMCDLXXVI. Molge palustris MERR.
MMCDLXXVII. - - alpestris MERR.
MMCDLXXVIII. Hyla palmata DAUD.
MMCDLXXIX. - - venulosa DAUD.
MMCDLXXX. - - arborea DAUD.
MMCDLXXXI. - - verrucosa DAUD.
MMCDLXXXII. - - leucophyllata DAUD.
MMCDLXXXIII. - - punctata DAUD.
MMCDLXXXIV. Rana paradoxa LINN.
MMCDLXXXV. - - ocellata LINN.
MMCDLXXXVI. - - temporaria LINN.
MMCDLXXXVII. - - saparuae REINW.
MMCDLXXXVIII. Bombinator igneus MERR.
MMCDLXXXIX. Bufo scaber DAUD.
MMCDXC. - - margaritifer DAUD.
MMCDXCI. - - agua DAUD.
MMCDXCII. Pipa tido, mas, MERR.
MMCDXCIII. - - - foem.

PISCES.

MMCDXCIV. Petromyzon marinus LINN.
MMCDXCV. - - fluviatilis LINN.
MMCDXCVI. Scyllium fasciatum CUV.
MMCDXCVII. - - catulus CUV.
MMCDXCVIII. Carcharias ustus DUMER.
MMCDXCIX. Spinax acanthias CUV.
MMD. Zygaena tudes VALENC.
MMDI. Squatina laevis CUV.
MMDII. Torpedo marmorata RISSO.
MMDIII. Raja fullonica LINN.
MMDIV. - - clavata LINN.
MMDV. Trygon pastinaca CUV.
MMDVI. Acipenser Sturio LINN.

MMDVII. Diodon Hystrix LINN.
MMDVIII. Tretrodon argenteus LACEP.
MMDIX. - - lineatus LINN.
MMDX. - - testudineus LINN.
MMDXI. - - oblongus LINN.
MMDXII. Ostraceon cornutus LINN.
MMDXIII. Balistes tomentosus LINN.
MMDXIV. - - geographicus PER.
MMDXV. - - aculeatus LINN.
MMDXVI. Sygnatus biaculeatus BLOCH.
MMDXVII. - - acus LINN.
MMDXVIII. - - Ophidion LINN.
MMDXIX. Hippocampus guttatus CUV.
MMDXX. Pegasus Draco LINN.
MMDXXI. Coregonus thymallus CUV.
MMDXXII. - - oxyrhynchus CUV.
MMDXXIII. Salmo Umbla LINN.
MMDXXIV. Curimatis fasciatus CUV.
MMDXXV. Saurus mediterraneus CUV.
MMDXXVI. Clupea Alosa LINN.
MMDXXVII. - - Sprattus LINN.
MMDXXVIII. Engraulis atherinoïdes CUV.
MMDXXIX. Belone vulgaris CUV.
MMDXXX. Exocetus volitans LINN.
MMDXXXI. - - exiliens LINN.
MMDXXXII. Hemiramphus marginatus LACEP.
MMDXXXIII. Cyprinus auratus LINN.
MMDXXXIV. Barbus vulgaris CUV.
MMDXXXV. Leuciscus rutilus CUV.
MMDXXXVI. Cobitis fossilis LINN.
MMDXXXVII. - - - -
MMDXXXVIII. - - barbatula LINN.
MMDXXXIX. - - - -
MMDXL. Anableps tetrophtalmus CUV.
MMDXLI. - - - - -
MMDXLII. Siluris Glanis LINN.
MMDXLIII. Pimelodus galeatus LACEP.
MMDXLIV. - - fasciatus LACEP.
MMDXLV. Cathaphractus callichtys LACEP.

MMDXLVI. Hypostomus guacari LACEP.
MMDXLVII. Loricaria cirrhosa BLOCH.
MMDXLVIII. - - cataphracta LINN.
MMDXLIX. Platystacus laevis BLOCH.
MMDL. - - cotylephorus BLOCH.
MMDLI. Gadus Lota LINN.
MMDLII. Pleuronectes Limanda LINN.
MMDLIII. Solea vulgaris CUV.
MMDLIV. - - Zebra CUV.
MMDLV. Cyclopterus Lumpus LINN.
MMDLVI. - - Liparis LINN.
MMDLVII. Echeneis Remora LINN.
MMDLVIII. Ophicephalus striatus BLOCH.
MMDLIX. Muraena Anguilla LINN.
MMDLX. - - Conger LINN.
MMDLXI. Muraenophis Helena BLOCH.
MMDLXII. Ophisurus Serpens LACEP.
MMDLXIII. Gymnotus electricus LINN.
MMDLXIV. Carapus brachiurus CUV.
MMDLXV. - - Carapo CUV.
MMDLXVI. - - rostratus CUV.
MMDLXVII. Ammodytes Tobianus LINN.
MMDLXVIII. Trichiurus lepturus LINN.
MMDLXIX. Blennius viviparus LINN.
MMDLXX. - - - -
MMDLXXI. - - Pholis LINN.
MMDLXXII. Periophtalmus Schlosseri SCHNEID.
MMDLXXIII. Labrus carneus BLOCH.
MMDLXXIV. - - macrolepidotus BLOCH.
MMDLXXV. Julis gallus CUV.
MMDLXXVI. Chromis saxatilis CUV.
MMDLXXVII. - - punctata CUV.
MMDLXXVIII. Scarus viridis LINN.
MMDLXXIX. Boops vulgaris CUV.
MMDLXXX. - - melanurus CUV.
MMDLXXXI. Sargus annularis CUV.
MMDLXXXII. Smaris moena CUV.
MMDLXXXIII. Diacope Rangoo CUV,
MMDLXXXIV. - - bengalensis CUV,

MMDLXXXV. Serranus merra Cuv.
MMDLXXXVI. - - ocellatus Cuv.
MMDLXXXVII. Grammistes orientalis Schneid.
MMDLXXXVIII. Holocentrus sogo Bloch.
MMDLXXXIX. - - hastatus Cuv.
MMDXC. Scorpaena Porcus Linn.
MMDXCI. - - Scrofa Linn.
MMDXCII. - - dactyloptera Laroch.
MMDXCIII. Synanceja horrida Schneid.
MMDXCIV. Pterois volitans Cuv.
MMDXCV. - - antennata Cuv.
MMDXCVI. Taenianotus torvus Cuv.
MMDXCVII. Terapon servus Cuv.
MMDXCVIII. - - puta Cuv.
MMDXCIX. Umbrina cirrhosa Cuv.
MMDC Cottus Scorpius Linn.
MMDCI. Triga Gurnardus Linn.
MMDCII. Dactylopterus volitans Lacep.
MMDCIII. Peristidion cataphractum Lacep.
MMDCIV. Antennarius laevigatus Cuv.
MMDCV. Malthe vespertilio Cuv.
MMDCVI. Scomber Thynnus Linn.
MMDCVII. - - Trachurus Linn.
MMDCVIII. Caranx Kleinii Cuv.
MMDCIX. Zeus Vomer Linn.
MMDCX. Gallus virescens Lacep.
MMDCXI. Rhynchobdella aculeata Schneid.
MMDCXII. Gasterosteus Spinachia Linn.
MMDCXIII. Acanthurus nigricans Cuv.
MMDCXIV. - - - -
MMDCXV. Chaetodon vagabundus Linn.
MMDCXVI. - - capistratus Linn.
MMDCXVII. - - chrysozonius van Hass.
MMDCXVIII. - - striatus Linn.
MMDCXIX. - - octofasciatus Linn.
MMDCXX. - - rostratus Linn.
MMDCXXI. Heniochus cornutus Cuv.
MMDCXXII. - - vespertilio Cuv.
MMDCXXIII. Holocanthus geometricus Lacep.

MMDCXXIV. Holocanthus annularis LACEP.
MMDCXXV. - - arcuatus LACEP.
MMDCXXVI. - - tricolor LACEP.
MMDCXXVII. - - mesoleucus LACEP.
MMDCXXVIII. Amphiprion polymnus LACEP.
MMDCXXIX. Fistularia tabacaria LINN.
MMDCXXX. - - chinensis LINN.
MMDCXXXI. Centriscus scutatus LINN.

MOLLUSCA:

MMDCXXXII. Sepia officinalis LAM.
MMDCXXXIII et XXXIV. Loligo vulgaris LAM.
MMDCXXXV. Loligo sagittata LAM.
MMDCXXXVI. - - subulata LAM.
MMDCXXXVII-XXXIX. Loligo sepiola LAM.
MMDCXL. Octopus vulgaris LAM.
MMDCXLI. - - moschatus LAM.
MMDCXLII. - - cirrhosus LAM.
MMDCXLIII. Argonauta tuberculata LAM.
MMDCXLIV. Clio borealis LAM.
MMDCXLV. Doris verrucosa LAM.
MMDCXLVI et XLVII. Doris limbata LAM.
MMDCXLVIII. Doris tuberculata LAM.
MMDCXLIX. - - marginata LAM.
MMDCL. - - laevis LAM.
MMDCLI. Tethys fimbria LAM.
MMDCLII. Phyllidia trilineata LAM.
MMDCLIII-LV. Aplysia punctata LAM.
MMDCLVI et LVII. - - depilans LAM.
MMDCLVIII-LX. - - fasciata LAM.
MMDCLXI. Pleurobranchus balearicus CUV.
MMDCLXII. Dolabella Rumphii LAM.
MMDCLXIII et LXIV. Bullea aperta LAM.
MMDCLXV. Bullea ampulla LAM.
MMDCLXVI. Limax rufus LAM.
MMDCLXVII. Onchidium typhae BUCHAN.
MMDCLXVIII. Testacella haliotidea LAM.
MMDCLXIX-LXXIII. Buccinum undatum LAM.

MMDCLXXIV. Haliotis tuberculata LINN.
MMDCLXXV. - - - - animal solutum.
MMDCLXXVI. Chiton squamosus LAM.
MMDCLXXVII. - - spinosus LAM.
MMDCLXXVIII. - - marginatus LAM.
MMDCLXXIX. - - fascicularis LAM.
MMDCLXXX. Pecten imbricatus LAM.
MMDCLXXXI. - - varius LAM.
MMDCLXXXII. Spondylus goederopus LAM.
MMDCLXXXIII. Pinna flabellum LAM.
MMDCLXXXIV et LXXXV. Pinna ingens LAM.
MMDCLXXXVI et LXXXVII. Tridacne gigas LAM.
MMDCLXXXVIII. Cardium costatum LAM.
MMDCLXXXIX. - - muricatum LAM.
MMDCXC. Venus gallina LAM.
MMDCXCI. Solen siliqua LAM.
MMDCXCII. Pholas dactylus LAM.
MMDCXCIII. - - candida LAM.
MMDCXCIV. Teredo navalis LAM.
MMDCXCV et XCVI. Teredo navalis in frusto ligneo.

CIRRIPEDA.

MMDCXCVII-MMDCC. Anatifera laevis LAM.
MMDCCI et II. Anatifera striata LAM.
MMDCCIII. Balanus ovularis LAM.
MMDCCIV et V. - - cylindraceus LAM.
MMDCCVI et VII. - - sulcatus LAM.

ANNULATA.

MMDCCVIII. Halithea aculeata LAM.
MMDCCIX. Aphrodita aculeata LINN.
MMDCCX. Thalassema echiura LAM.
MMDCCXI. Pontobdella muricata LAM.
MMDCCXII. - - spinulosa LAM.
MMDCCXIII. Hirudo sanguisorba LAM.
MMDCCXIV. - - muricata LAM.

CRUSTACEA.

MMDCCXV. Portunus cedo-nulli FABR.
MMDCCXVI. Cancer floridus LAM.
MMDCCXVII-XX. Ocypode ceratophthalmus LAM.
MMDCCXXI. Grapsus tenuicrustatus LAM.
MMDCCXXII. Goneplax vocator LEACH.
MMDCCXXIII. - - vocans LEACH.
MMDCCXXIV. Pinnotheres minutus LATR.
MMDCCXXV. Leucosia Pisum FABR.
MMDCCXXVI. Inachus rostratus FABR.
MMDCCXXVII. - - longipes FABR.
MMDCCXXVIII. Macropodia seticornis LEACH.
MMDCCXXIX. Calappa granulata FABR.
MMDCCXXX. Dromia dormitator FABR.
MMDCCXXXI. Parthenope macrochelos FABR.
MMDCCXXXII. Albunea symnista FABR.
MMDCCXXXIII. Porcellana platycheles LATR.
MMDCCXXXIV. Birgus latro LEACH.
MMDCCXXXV. Pagurus Arrosor FABR.
MMDCCXXXVI. - - Bernhardus FABR.
MMDCCXXXVII. - - Clibonarius FABR.
MMDCCXXXVIII. - - Clypeatus FABR.
MMDCCXXXIX. - - Diogenes FABR.
MMDCCXL. Scyllarus arctus FABR.
MMDCCXLI. - - ursus major FABR.
MMDCCXLII. Astacus norwegicus FABR.
MMDCCXLIII. Palinurus homarus FABR.
MMDCCXLIV. Palaemon jamaïcensis FABR.
MMDCCXLV. - - carcinus LEACH.
MMDCCXLVI. Squilla digitalis FABR.
MMDCCXLVII et XLVIII. Squilla maculata LAM.
MMDCCXLIX. Limulus Polyphemus FABR.

ARACHNIDEA.

MMDCCL-LVI. Mygale avicularia WALECK.
MMDCCLVII et LVIII. Mygale avicularia jun.

MMDCCLIX-LXII. Scorpio afer FABR.
MMDCCLXIII. Scorpio americanus.
MMDCCLXIV. - - testaceus DE GEER.
MMDCCLXV. - - europaeus LATR.
MMDCCLXVI. - - Herbstii N. SP.

MYRIAPODA.

MMDCCLXVII. Scolopendra alternans LEACH.

INSECTA COLEOPTERA.

MMDCCLXVIII. Carabus violaceus FABR.
MMDCCLXIX. - - clathratus.
MMDCCLXX. Calosoma indagator.
MMDCCLXXI. Dyticus marginalis.
MMDCCLXXII. Buprestis gigantea.
MMDCCLXXIII. Elater fuscipes..
MMDCCLXXIV. Scarabaeus Aegeon.
MMDCCLXXV. - - Anceus.
MMDCCLXXVI. - - Alaeus.
MMDCCLXXVII. - - Gideon.
MMDCCLXXVIII. - - Chorinaeus.
MMDCCLXXIX. - - Hercules.
MMDCCLXXX. Melolontha viridis.
MMDCCLXXXI. - - Fullo.
MMDCCLXXXII. Lucanus interruptus.
MMDCCLXXXIII. Cetonia nitida.
MMDCCLXXXIV et LXXXV. Calandra Palmarum.
MMDCCLXXXVI et LXXXVII. - - Schach.
MMDCCLXXXVIII et LXXXIX. - - ferruginea.
MMDCCXC et XCI. Rhina barbirostris.
MMDCCXCII. Brentus Anchorago.
MMDCCXCIII. - - dispar.
MMDCCXCIV. Acrocinus longimanus.
MMDCCXCV. Prionus cervicornis.

INSECTA ORTHOPTERA.

MMDCCXCVI-XCVIII. Gryllus tartaricus FABR.
MMDCCXCIX. Acheta domestica.
MMDCCC. - - campestris.
MMDCCCI et II. Locusta ephippiger.
MMDCCCIII. - - verrucosa.
MMDCCCIV. - - femorata.
MMDCCCV et VI. Locusta perspicillata.
MMDCCCVII. Locusta serricauda.
MMDCCCVIII. Gryllo Talpa vulgaris.

INSECTA HEMIPTERA.

MMDCCCIX. Coraeus hastator FABR.
MMDCCCX. Cicada fasciata.
MMDCCCXI. Nepa grandis.
MMDCCCXII. Fulgora laternaria.

INSECTA NEUROPTERA.

MMDCCCXIII. Libellula ferruginea FABR.

INSECTA HYMENOPTERA.

MMDCCCXIV. Scolia procer FABR.
MMDCCCXV. Pompilus nobilis.
MMDCCCXVI. Sphex rufipennis.
MMDCCCXVII. Bembex lunata.
MMDCCCXVIII. Eumenes conica.
MMDCCCXIX. Polistes coerulea.

INSECTA LEPIDOPTERA.

MMDCCCXX-XXVI. Larvae Papilionum.
MMDCCCXXVII-XXXVIII. Larvae Bombycum.
MMDCCCXXXIX-XLIV. Larvae Sphingium.
MMDCCCXLV et XLVI. Papilio Amphrisius.
MMDCCCXLVII et XLVIII. Bombyx Amphimone.
MMDCCCXLIX et L. Bombyx cytherea.

TUNICATA.

MMDCCCLI. Salpa zonaria Pall.
MMDCCCLII. Ascidia papillosa Lam.
MMDCCCLIII. - - mamillata.
MMDCCCLIV. - - aurantium.
MMDCCCLV. - - conchilega.
MMDCCCLVI. - - parallelogramma.

VERMES.

MMDCCCLVII. Filaria medinensis Rudolph.
MMDCCCLVIII. Ascaris lumbricoïdes.
MMDCCCLIX. - - Leptoptera.
MMDCCCLX. Fasciola hepatica.
MMDCCCLXI-LXXVIII. Taenia solium.
MMDCCCLXXIX et LXXX. Taenia calycina.
MMDCCCLXXXI. Cystericus tenuicollis.
MMDCCCLXXXII. - - cellulosae.
MMDCCCLXXXIII. Coenurus cerebralis.

RADIATA.

MMDCCCLXXXIV. Asterias pectinata Lam.
MMDCCCLXXXV-LXXXVII. Asterias rubens.
MMDCCCLXXXVIII. Asterias nigra.
MMDCCCLXXXIX. Echinus Melo.
MMDCCCXC. - - ventricosus.
MMDCCCXCI. - - obtusangulus.
MMDCCCXCII. Spatangus ventricosus.
MMDCCCXCIII. Priapulus caudatus.
MMDCCCXCIV. Fistularia tubulosa.
MMDCCCXCV. Holothuria tremula.
MMDCCCXCVI-XCVIII. Holothuria frondosa.
MMDCCCXCXIX et MMCM. Holothuria phantapus.
MMCMI. Actinia rubra.
MMCMII. - - viduata.
MMCMIII. - - pedunculata.

MMCMIV. Aurelia aurita LAM.
MMCMV. Cyanea cyclonota.
MMCMVI. Obelia sphaerulina
MMCMVII. Aequorea stauroglypha.

POLYPI.

MMCMVIII. Tubipora musica LAM.
MMCMIX. Sertularia abietina.
MMCMX. - - plumosa.
MMCMXI. Gorgonia flabellum.
MMCMXII. Madrepora corymbosa.
MMCMXIII. Meandrina labyrinthica.
MMCMXIV. - - crispa.
MMCMXV. Astrea crispata.
MMCMXVI. Parites conglomerata.
MMCMXVII-XIX. Pennatula phosphorea.
MMCMXX et XXI. - - spinosa.
MMCMXXII et XXIII. - - granulosa.
MMCMXXIV et XXV. - - argentea.
MMCMXXVI. Virgularia juncea.
MMCMXXVII. Lobularia digitata.

PARS POSTERIOR.

PARTES EX HOMINIBUS AC ANIMALIBUS IN STATU MORBOSO.

SECTIO PRIMA.

PARTES MORBOSAE, QUAE IN LIQUORE LIMPIDO CONTINENTUR.

N°. I. Costae duae diffractae Equi; egregie hic apparet, quomodo callus mollis in extremis diffractis se primo manifestat, postquam ipsa extrema sunt emollita, atque margines acutiores rotundati.

II. Tibiae et Fibulae hominis adulti pars inferior; superficies interna tibiae carie erosa est.

III. Pars manus sinistrae cum duobus digitis ultimis hominis adulti, qui carie ossium carpi laboravit. In dorso manus ipsa ulceratio partium mollium ex carie producta cernitur.

IV. Patella sinistri lateris hominis adulti, ab interiore in enormem massam fungosam degenerata.

V. Ossis Femoris ejusdem viri pars inferior exsiccata, cujus tota superficies prope articulationem genu carie quam maxime est erosa, imprimis vero a latere interiore; superficies vero articularis satis sana est, quamvis caries ad intimam ossis partem penetraverit.

VI. Tibiae atque Fibulae extremum, una cum musculis atque vasis, ceracea materie impletis, militis qui vigesimo quinto die post amputationem cruris obiit; in extremo amputato egregie cernitur callus ex ipsis ossibus dissectis prodiens, atque aequabilem satis superficiem formans; tendines musculorum ejusdem sunt longitudinis quam ossa, atque in fine in massam aequabilem confluxerunt. Vasa ceracea materie distenta sunt usque ad ultimam divisionem ramorum et dein in ligamentosa filamenta concreverunt.

VII. Integumenta communia cruris amputati, cicatricem offerentia, prout haec se offerebat die vigesimo quinto post amputationem; vasa materie idonea penitus impleta sunt, hinc rubet tenuissima cutis, cicatricem formans.

VIII. Portio cutis cum tumore steatomatoso; cute dissecta ipsa materies adiposa, tumorem replens, cernitur.

IX. Materies adiposa e tumore steatomatoso separata; parva portio cutis degeneratae, ut videtur, huic massae adhaeret.

X. Lingua cum aspera arteria, faucibus atque pharynge, verrucas venereas in isthmo faucium exhibens.

J. G*** miles viginti septem annos natus, die 27 Septembris 1800 recipiebatur in Nosocomium militare, laborans difficili respiratione atque deglutitione cum fabricula lenta; valde erat emaciatus, atque pallidi coloris; per plures annos angina ulcerosa ex lue venerea fuerat affectus, hinc fauces valde erant destructae et diversae partes inter se concretae. Uvula erat incrassata, coloris obscure rubri, atque una cum velo palatino retrorsum sursumque cum pariete posteriore pharyngis concreta; hinc non nisi parva fissura supererat, tendens ad narium cavitates; arcus, qui isthmum faucium componunt, toti erant deleti; radix linguae a posteriore et in lateribus cum parietibus concreta, parvam aperturam, tendentem ad laryngem et pharyngem, relinquebat; epiglottis non nisi difficillime inveniebatur. Deglutitio vix erat possibilis quamvis alimentorum atque potulentorum copiam minimam una vice ore assumebat; saepius enim assumta nares, aut laryngem intrabant, atque tussim et anxietates provocabant. Vox adeo erat rauca, ut loquella vix intelligi possit; respiratio e longinquo et imprimis durante somno, audiebatur. Ipsa vero ulceratio faucium fere tota erat sanata, neque symptomata venerea se amplius manifestabant. Quamvis remedia plura ipsis faucibus atque interne administrarentur, nec non incisionibus a latere linguae cohaesiones praeternaturales dissolverentur, et cannuli narium capacitati intruderentur, ut aperturae posteriores dilatarentur, omnia tamen nullam medelam afferebant; post aliquot enim tempus peripneumonia afficiebatur, febris hectica augebatur, accedebant sudores colliquativi, similiaque symptomata, usque dum die 13 Martii 1801 mors miserrimam vitam terminabat.

Sectione cadaveris detegebatur ulceratio glandulae thyreoïdeae, cum aspera arteria communicans. Via aërifera erat erosa, et partim repleta substantia quasi lardacca. Pulmones vehementer erant inflammati, cum pleura concreti, et ipsorum substantia hepatis substantiae simillima, parva portione excepta, quae sana videbatur. Concretio ipsius palati mollis cum pharyngis pariete posteriore in ipso praeparato cernitur una cum tota degenerata, atque verrucosis tuberculis obsessa facie isthmi faucium.

XI. Ventriculus hominis adulti, juxta curvaturam majorem dissectus, cujus tunicae omnes, inprimis vero mucosa, a sacco coeco usque ad pylorum sunt incrassatae, atque scirrhosam duritiem acquisiverunt, cum tuberculata atque ulcerosa superficie interna. Inprimis vero circa pylorum tunicarum crassities enormis est, ita ut vix apertura supersit.

N. C***

N. C*** miles, in Helvetia natus, viginti octo annorum, die 28 Sept. 1800, in Nosocomio Militari, quod Leidae erat, admittebatur, conquerens, se ab aliquo tempore, licet appetitus satis bonus esset, affectum esse sensatione gravativa, non vero dolente, in regione epigastrica, cum emaciatione corporis atque vomitu inprimis post assumptionem paulo majoris quantitatis esculentorum. Aeger valde erat emaciatus atque debilis; genae rubrae inprimis post assumptum cibum; pulsus parvus et debilis, appetitus nunc bonus, nunc depravatus; sensatio gravativa, post pastum aucta, aliquando dolorifica cum vomitu, alternis plerumque diebus, assumptorum cum copioso muco coloris coerulescentis cinerei. Abdomen neque tensum, neque durum erat; sed in regione epigastrica praeternaturalis durities observabatur, alvum quotidie deponebat; urinae excretio erat sana; respiratio atque somnus naturales, neque siti laborabat, sed, durante toto tempore quo in Nosocomio versabatur, saliva copiose ex ore effluebat. Omnia haec symptomata sensim augebantur licet diversa remedia, ex arte praescripta, administrarentur; accedebant subinde diarrhaeae; dolores in regione epigastrica augebantur; deglutitio impediebatur; vomitus enascebatur tandem etiam post assumptionem minimae copiae liquidorum, usque dum tandem die 24 Decembris 1800 moriebatur. Sectione cadaveris constabat, solum ventriculum fuisse affectum. Ex relatione Chirurgi Militaris primae classis Behr, constat, hunc morbum esse frequentem inter rusticos in Helvetia, atque causam quaeri in usu vini austeri, in Helvetia praeparati.

XII. Ventriculus hominis adulti juxta curvaturam majorem dissectus: in curvatura minori tunica interna cernitur degenerata, circa pylorum tuberculosa cum levi exulceratione, atque ipsum orificium valde est imminutum.

P. A*** miles triginta quinque annorum, Hagae Comitum natus, die 27 Jan. 1801 in Nosocomium militare recipiebatur, laborans a sex vel septem mensibus atrophia cum vomitu chronico: erat debilis atque emaciatus; pulsus quidem debilis, non tamen febrilis, sed potius tardus; respiratio sana; lingua rubra atque glabra; appetitus satis bonus; sitis nulla: assumpta post horas duas, tres vel aliquando quatuor mixta cum materie acri vomitu reddebat; alvum non deponebat, nisi applicato clysmate; excretio urinae erat saepe difficilis; abdomen contractum et in regione epigastrica tumorem durum offerens. Causam nullam manifestam indicabat, et assumptionem copiosam spirituosorum recusabat. Post medicamentorum diversorum usum, vomitus sensim imminuebatur, alvum deponebat facilius, dolores in regione epigastrica cessabant, sed vires magis et magis imminuebantur, et conquerebatur de materie acri in ventriculo. Mense Aprilis morbo catarrhali afficiebatur, quo vires extinguebantur, ita ut die 27 illius mensis 1802 exspiraret.

Cadaver valde erat emaciatum; pedes parum oedematosi; abdomine aperto inveniebatur omentum gastro-colicon contractum atque induratum, fere cartilagineum. Intestina tenuia aëre distenta. Colon valde contractum, tenuibus intestinis angus-

tius; tunicae incrassatae atque induratae. Ventriculus degeneratus, ut in praeparato cernitur. Pulmones tuberculis obsessi erant.

XIII. Portio dextra ventriculi hominis adulti, qui scirrho pylori laboravit. Circa pylorum tunicae valde sunt crassitie auctae, inprimis vero interna; tota superficies interna est tuberculosa atque ulcerosa.

XIV. Ventriculus hominis adulti cum intestino duodeno atque pancreate; pars hujus glandulae, quae intestino proxima est, tumore scirrhoso inaequali, in lobos quasi divisa, insigne volumen acquisivit.

XV. Portio intestini tenuis pseudo-membranis obsessa ex enteride chronica.

XVI. Genitalia externa atque interna cum vesica urinaria atque intestino recto puellae recenter natae, quae ano imperforato laboravit. Intestinum rectum juxta longitudinem dissectum est, quo constat ad anum coeco fine terminari: ipsum intestinum parum est dilatatum.

XVII. Intestinum rectum inversum infantis, qui atresia ani laboravit, atque quinto die post perforationem mortuus est. Intestinum ad anum usque extensum ibi coeco fine terminatur.

XVIII. Intestinum rectum, exsiccatum, infantis quarto die post partum mortui, in saccum coecum terminatum; figura totius sacci coeci est oblonga, a superiore valde dilatata versus extrema contracta. Anus ab exteriore nihil praeternaturale offerebat atque cannula acus triquetrae ad altitudinem 13 lin. belg., 6 lin. rhen., absque difficultate intropellebatur, sed eo in loco in saccum clausum terminabatur. Tertio die operatio instituebatur, sed absque ullo effectu. Tympanites insequebatur operationem et omnia symptomata atresiae ani perseverabant.

Sectione cadaveris constabat, ipsum instrumentum non pervenisse intra intestinum rectum, sed in cavitate abdominis; saccus, prout se adhuc offert, postquam aëre distentus est, erat meconio tenuiori repletus, inter ipsius extremum clausum atque anum supererat spatium 52 lin. belg., 2 poll. rhen. tela cellulari repletum; vasa omnia intestini sanguine valde turgebant.

XIX. Hepar Gallinae induratum, tuberculosum dissectum atque ab interiore concrementis biliosis fere totum repletum.

XX. Vesicula fellea icterici, juxta longitudinem partim dissecta; tunicae sunt valde incrassatae, atque interna superficies rugosa; inprimis crassities tunicae internae et cellularis est insignis, atque haec nonnullis in locis in substantiam compactam, duram, tuberculosam degenerata videtur.

XXI. Calculi biliarii, parvi, tuberculosi, qui vesicula dicta continebantur.

XXII. Mesenterium hominis adulti, cujus glandulae omnes mirum in modum sunt volumine auctae atque induratae.

XXIII. Glandula lymphatica indurata et magnitudine aucta.

XXIV. Mamma foeminae septuaginta et quatuor annorum, scirrhosa, sed tamen parva, felici sectione extirpata, tecta integumentis communibus integris.

XXV. Mamma scirrhosa, cum integumentis communibus ulceratis; maceratione post mortem substantia est soluta.

XXVI. Aspera arteria cum glandula thyreoïdea, magnitudine insigniter aucta, atque valde tuberculosa. Parte laterali sinistra dissecta, constat substantiam hujus glandulae totam esse degeneratam, fibrosam, atque valde induratam. Arteria thyreoïdea dextra ab ejus ortu ex carotide usque ad divisionem in ramos, ipsam glandulam intrantes, valde dilatata cernitur.

XXVII. Delphini Phocaenae asperae arteriae pars inferior, ubi in ramos dividitur cum ramulis bene multis ex pulmonum substantia separatis, continens insignem numerum Strongylorum inflexorum Rudol. qui partim ex dissecta aspera arteria vel ejus ramis prominent, partim eadem lagena continentur.

XXVIII. Strongyli inflexi Rudol., ex eadem aspera arteria.

XXIX. Portio pulmonis hominis adulti, cujus substantia indurata atque compacta videtur.

XXX. Cor et pulmones animalis, tuberculis suppuratis in omni parte obsessi.

XXXI. Cor hominis adulti ex inflammatione, in tota superficie externa, pseudo-membranis obsessum, atque hinc rugosum.

XXXII. Cor hominis adulti, cujus uterque ventriculus est dissectus atque massam polyposam continet, se explicantem intra atria et inter omnes columnas carneas.

XXXIII. Cor hominis adulti, cujus valvulae mitrales, tuberculis osseis obsessae in situ conspiciuntur, dissecto atrio posteriore a superiore, et ventriculo illius lateris ab inferiore.

XXXIV. Arteria hominis adulti tota quanta fere ossificata.

XXXV. Arcus arteriae aörtae cum principiis vasorum viri septuaginta et trium annorum. Ipse arcus aneurysmatice dilatatus ab interiore steatomatibus obsessus est.

XXXVI. Arteria et nervus tibialis ex crure amputato et jam per plures annos sanato. Arteria sensim extenuata tandem coeco fine desinit. Nervus ab inferiore solita majorem latitudinem acquisivit.

XXXVII. Portio durae matris extus fabricam crassiorem atque magis compactam quam in statu naturali offerens; intus pseudo-membranis copiosissimis obsessa, quarum ope cum reliquis cerebri membranis nec non cum ipso cerebro cohaerebat, et inter quas excrescentiae fungosae apparent.

XXXVIII. Pars superior conceptaculi cerebri ejusdem hominis. In tota parte laterali dextra superficies interna quodammodo rugosa, sed inprimis copiosissimis foraminibus cribro similis reddita est: ab exteriore ossa superficiem sanam monstrant.

G. H.*** aetatis viginti sex annorum, temperamenti phlegmatici semper tristis, habitus corporis mediocris magnitudinis et non valde robusti, ex sanissimis parentibus natus, post puerilem aetatem, quando solitis morbis infantum laboraverat, numquam morbo quodam affectus, querebatur fine mensis Octobris 1801 de hemicrania intermittente, occupante fere semper solum atque totum hemispherium dextrum cerebri a processu falciformi ad basin: quotidie paroxysmus in initio invadebat ab hora quarta, quinta, sexta post meridiem usque ad decimam, atque perdurabat nonnunquam ad horam secundam et tertiam, vel quintam matutinam pro ratione vehementiae paroxysmi, cum perspiratione parum adaucta, numquam vero cum sudore; tempore paroxysmi facies tumebat, inprimis ad dextrum oculum atque musculum temporalem, cum augmento doloris a compressione externa digitorum ope; durante vehementiore paroxysmo aderat nausea atque vomitus cum sudore frigido in facie. Extra paroxysmum appetitus atque gustus erant naturales; lingua nitida et humida; digestio nulla ratione laesa; sed alvus erat tarda, atque saepius lenia laxantia postulabat; urina pallida, flava, debita copia excernebatur, et vix umquam sedimentum deponebat. Respiratio erat sana; pulsus numquam febrim indicabat, sed potius extra paroxysmum erat tardus, et, durante paroxysmo, subdurus.

In hac rerum conditione versabatur aeger durante anno 1801 et parte majori insequentis anni: sensim sensimque paroxysmi imminuebantur, aliquando ab iis omnino erat liber, et spes sanationis affulgebat.

Mense Aprilis 1803 postquam, durante hyeme, paroxysmi se subinde denuo manifestaverant, morbus cum memoratis omnibus symptomatibus rursus cum vehementia ingruebat, sed paroxysmi minus erant regulares et pulsus sexaginta intra minutum primum ad summum numerabantur.

Mense Majo ad finem vergente querebatur de stupore, imminuto calore et defectu virium in brachio et crure sinistri lateris, cum appetitu imminuto, et prostratione virium vitalium, quae omnia dein rursus imminuebantur, quando ab hemicrania etiam per aliquot dies liber erat, haec dein redibat, temporibus minus fixis. Mense Junii aliquando dies noctesque involuntaria observabatur alvi evacuatio, rarius vero urinae; pulsus erat tardior, cutis sicca, sed mollis. Sequenti mense involuntaria alvi excretio adhuc aliquando observabatur, et saepius per tres quatuorve dies ab hemicrania liber erat: quotidie huc usque obambulabat et rarius de die lecto incumbebat, licet memorata symptomata in brachio et crure permanerent.

Die 22 Julii satis bene se habebat, vespertino tempore postquam per horam obambulaverat et alimenta assumserat, querebatur de leviore paroxysmo, quando hora decima in soporem incidit, cum sudore frigido in facie et extremitatibus, pulsu parvo et tardo, atque post semihoram exspirabat.

Licet

Licet saepius interrogaretur numquam causa hujus morbi fuerat cognita, sed brevi ante mortem in memoriam revocavit, in obsidione Herbipolis, se mense Decembris 1800 a rustico ictum accepisse ad os verticis dextrum, quem levis momenti existimaverat, quum nihil mali inde perspexerat.

Sectione cadaveris nihil praeter naturam in habitu externo corporis, neque in thoracis aut abdominis capacitatibus detegebatur: cranio aperto, dura mater a latere dextro minus firmiter ossibus adhaerebat, ossis frontis pars dextra, et totum verticis os hujus lateris, superficiem internam asperam ac porosam offerebant; externa durae matris facies hoc in latere a processu falciformi deorsum aspectum habebat lardaceum, cum maculis rubicundis et verrucosis quasi tuberculis, ab interiore pseudo-membranis cohaerebat cum arachnoïdea membrana, pia matre et substantia cerebri, adeo ut absque laesione cerebri solvi non potuerit, et inter pseudo-membranas parvae fungosae excrescentiae deprehendebantur. Utraque substantia cerebri hoc in latere erat justo mollior, et lacti coagulato quodammodo similis: ventriculo laterali cerebri continebantur tres vel quatuor unciae humoris turbidi, lactescentis; reliquae omnes cerebri partes, thalamo nervi optici excepto, vix rite distinguebantur. Hemisphaerium sinistrum, membranis nondum mutatis investitum, substantiam offerebat paulo duriorem, sed tamen molliorem quam in statu sano; hujus lateris ventriculo continebatur semiuncia humoris. Cerebellum, Pons Varolii, medulla oblongata nihil praeter naturam offerebant.

XXXIX. Cranii hominis adulti latus dextrum, ab interiore dura matre tectum cum tumore magnitudinis ovi anserini, prodeunte ex dura matre, tegente processum lateralem ossis multiformis, ac prominente intra conceptaculum cerebri.

H. L.*** natus in pago Wolfshagen in Hessia, quinquaginta et novem annorum mense Aprili 1800 in Nosocomium Militare recipiebatur; licet prospera satis valetudine gauderet, tamen ab aliquo tempore querebatur de tremore artuum sensim sensimque aucto, atque visu turbato ex maculis, ante oculos prodeuntibus. Appetitus, somnus, auditus atque facultates animae illaesae observabantur. Post aliquot tempus tremor artuum augebatur, gressus erat vacillans, atque pedes attollere difficile erat; accedebat dolor capitis, in initio levis, sensim ingravescens, atque subinde rediens; ultimo tempore paroxysmi erant frequentiores, cum sopore, ex quo difficulter expergebatur. Circa finem mensis Augusti 1801 apoplexia correptus die 2 Septembris moriebatur. Cranio perpendiculariter dissecto, cerebrum nihil praeter naturam offerebat, sed hoc e conceptaculo exemto tumor se manifestabat, substantiae, ut videbatur, carnosae, cum dura matre cohaerens, atque ope vasorum piae matris cerebro adnexus, ab inferiore cum nervo tertio atque ramo secundo quinti paris concretus, aperto abdomine, omnia viscera in statu naturali inveniebantur; hepar vero circa marginem lobi sinistri substantiae erat solito durioris, atque maculis caeruleis obsessum; bilis vesicula contenta etiam magis erat inspissata.

XL. Portio nervorum opticorum ubi decussatio obtinet cum infundibulo cerebri atque glandula pituitaria, indurata, hominis, qui mania laboravit. Ipsum infundibulum solito crassius atque durius est.

XLI. Tumor nervi ulnaris, juxta longitudinem apertus, ita ut constet, tunicam imprimis a superiore parte esse auctam, et pulpam sub forma lobulorum maximam partem tumoris replere.

P. S.*** miles, novemdecim annos natus, in puerili aetate ulceribus scrophulosis affectus sed dein corporis habitus sani, die 10 Febr. 1804 laborans febre intermittente, in Nosocomium Militare admittebatur: a febre sanatus, afficiebatur scabie, quae sensim sensimque sanabatur, quum a morbo febrili valde debilis erat. Dein laborabat affectionibus catarrhalibus cum intumescentia glandularum in diversis corporis partibus, ita ut mense Julio perfecte sanatus esset. A sex retro annis tumorem gerebat in parte inferiore atque interiore brachii sinistri, qui in viciniis arteriae brachialis initio magnitudinis pisi, nunc ad magnitudinem ovi gallinacei minoris excreverat; ab ipso initio attactu dolebat; erat elasticus et fluctuationis sensum offerebat; in latus utrumque, non vero sursum aut deorsum movebatur; cutis color erat naturalis neque tumori accretus. Dolor autem sub attactu satis vehemens observabatur. Die 8 Julio 1804 chirurgus militaris primae classis J. C. Reich extirpationem tumoris instituebat. Cute in plicam elevata atque dissecta, vulnus integumentorum extendebatur ad longitudinem 131 lin. belg., 5 poll. rhen., et mox tumor se manifestabat, qui scrupulose separabatur a vicinis partibus; licet variae arteriolae discinderentur, haemorrhagia notabilis non producebatur. Cohaerebat vero tumor a superiore et inferiore parte cum nervo ulnari, qui ipsum tumorem perforare videbatur, et ea propter, supra et infra tumorem discindebatur, qua ad minimum portio nervi longitudinis 105 lin. belg., 4 poll. rhen. auferebatur. Vulnere depurato, emplastris adhaesivis labia conjungebantur, ut suppuratio praecaveretur vel imminueretur, atque fasciis debite involvebatur plaga. Mox a dissectione nervi omnis sensus atque motus manus periebat, sed post aliquot horas in solo digito auriculari et latere digiti annularis, quod respicit auricularem sensus et motus solummodo deficiebant. Licet dolorifica admodum fuerit haec operatio, tamen febris consensualis alicujus momenti eam vix insequebatur, et symptomata nervosa omnino non observabantur. Secunda ab operatione die debita inflammatio in ambitu vulneris producebatur, sed applicata aqua vegeto-minerali Goulardi post biduum omnis inflammatio fere erat fugata, et mediocris suppuratio insequebatur. Post paucos dies vulnus erat sanatum et motus in digito annulari observabatur, 14 die motus in utroque digito percipiebatur, atque 22 die post operationem cicatrice obductum erat vulnus, sed sensus nullus in digito auriculari supererat. Tunica tumoris satis erat crassa; pro dimidia parte ipse tumor erat repletus humore seroso, pro altera parte substantia medullari; ipse nervus qui tumorem intrare

et

et rursus ex eo exire videbatur, in media parte desiderabatur. Licet tunica videatur incrassata, non tamen est degenerata, sed e contra pulpa nervi est aucta, et tota, quod ad substantiam attinet, mutata.

XLII. Nervi optici viri, qui caecitate alterius oculi laboravit, dissecti ubi thalamis nervorum opticorum adhaerent, et a priore ad parvam distantiam a loco decussationis. Ante decussationem uterque nervus solitam cylindricam habet figuram, sed alter crassior altero videtur, partes autem posteriores valde sunt complanatae.

XLIII. Nervus, qui, postquam dissectus fuerat, rursus cum inferiore parte concretus est; pars superior crassior est inferiore, et inprimis intumuit ubi fuit laesus.

XLIV. Tumor cartilagineae duritiei, oblongae atque tuberculosae figurae, e lingua feliciter separatus.

XLV. Ren hominis adulti sinistri lateris, cujus pelvis insigniter dilatata, ureter vero contractus est.

XLVI. Ren hominis adulti magnitudine auctus, ab exteriore tuberculosus, ab interiore ex cellulis cum pelvi communicantibus constans, superstite in ambitu cellularum substantia propria renis.

XLVII. Ren hominis adulti magnitudine insigniter auctus, simili ratione degeneratus; de pelvis capacitate ab exteriore nihil apparet, et ureteris capacitas est naturalis.

XLVIII. Ren sinistri lateris concretus in parte superiore cum liene, e cadavere militis, J. H.*** triginta et duos annos nati, qui die 5 Septembris anni 1796 in Nosocomium Militare recipiebatur laborans ab aliquo tempore doloribus rheumaticis vagantibus per diversas corporis partes. Remediis antirheumaticis propinatis, die 3 Octobris querebatur de dolore in inguine sinistro, cui, licet ab exteriore nihil praeter naturam detegeretur, cataplasma imponebatur: die 6 Octobris cataplasmate sublato, detegebatur vesicula partim jam disrupta, atque exitum praebens materiei purulentae pessimi odoris: vesicula dissecta, fistula sursum tendens inveniebatur, ita ut, dilatato nunc vulnere denuo insignis quantitas materiei putridissimae efflueret: interna et externa varia remedia administrabantur, sed omnia erant frustra, et die 25 Octobris moriebatur. Durante toto morbi decursu appetitus fuerat bonus, sedes alvinae in initio regulares, dein magis colliquativae naturae; de nullo dolore conquerebatur nisi compresso abdomine aut regione lumbari.

Gangraena qua ultimo vitae tempore ulcus externum affectum fuerat, occupabat regionem inguinalem sinistram ad superiorem usque partem ossis ilei. In thoracis capacitate nihil notatu dignum observabatur praeter concretionem pulmonis dextri cum pleura, et tuberculum parvum in pulmone sinistro. Viscera abdomi-

nalia, peritonaeo contenta, erant sana, sed lien praeter naturam firmissime concreverat cum rene sinistro; abscessu, ab inguine ad lumbos se extendente, aperto, in parte superiore ipsius detegebatur ren, ab omni pinguedine orbatus, purulentae materiei pessimi odoris quasi innatens: pus viam sibi paraverat per foramen sacro-ischiadicum inter musculos Gluteos, quorum major partim erat destructus; ab anteriore autem penetraverat pus inter musculos cruris, atque destructis nonnullis musculis, ipsa ossa affecta videbantur; dum gangraena et musculi vicini et ipse saccus affecti facillime disrumpebantur. Rene dissecto intra capacitatem pelvis dilatatam inveniebantur quatuor calculi angulosi, et insignis copia puris corrupti; ureter vero erat in statu naturali.

XLIX. Renes cum ureteribus atque vesica urinaria hominis, qui calculo vesicae laboravit. In renibus vix quidquam notatu dignum observatur, nisi quod pelves solito paulo sint capaciores; ureteres etiam sunt dilatati, vesica urinaria contracta, ejus tunicae incrassatae, interna pseudo-membrana obsessa, atque ab inferiore crusta calculosa tecta.

L. Vesica urinaria hominis adulti, qui calculo laboravit; quamvis ex concursu symptomatum, durante vita, manifestum videretur, calculum esse praesentem et post mortem duo calculi satis magni vesica continebantur, eorum tamen praesentiam numquam instrumentorum ope detegere potuerunt etiam peritissimi in arte viri. Tunicae vesicae non valde sunt incrassatae: interna autem monstrat superficiem quasi callosam, tuberculosam; glandula prostrata parum magnitudine est aucta.

LI. Renes cum ureteribus atque vesica urinaria viri, qui Dysuria mucoso-purulenta laboravit. Renes longitudinaliter sunt dissecti, eorum substantia est ut in statu naturali, pelves atque ureteres valde dilatati sunt. Vesica urinaria est contracta, ejus tunica interna degenerata, atque valde villosa.

LII. Vesica vetulae, quae eodem morbo affecta fuit; tota vesica est inversa, ut tunica interna sit externa; haec vero minus villosa est, quam in praecedenti specimine, sed in genere aequabilior, atque magis glabra.

LIII. Vesica urinaria viri adulti, valde contracta et morbose incrassata.

LIV. Tota pars inferior trunci infantis, aliquot dies post partum mortui, qui hernia vesicae congenita laboravit. Lumbis appositi sunt renes, cum glandulis atrabilariis atque omnibus vasis; integumenta communia cum tumore vesicae urinariae atque genitalibus anteriori parti pelvis adhaerent, hinc apparet decursus ureterum juxta lumbos, eorumque insertio ad vesicam urinariam. Umbilici cicatrix pone marginem superiorem tumoris cernitur. Testes circa annulos inveniuntur.

LV. Extypon ex gypso partis anterioris corporis ejusdem infantis; nullus cicatrix umbilici hic apparet, quum tegitur tumore vesicae urinariae; inter hanc ac

mem-

membrum virile spatium quoddam superest; ipsum hoc membrum non videtur fissum, licet praeputium fissum coronam sive glandem nudam relinquat; scrotum est contractum, atque ab utroque latere hernia inguinalis adest.

LVI. Extypon ex gypso partis inferioris abdominis Viri adulti M. Ussem, qui eodem vitio laboravit.

LVII. Extypon ex gypso partium genitalium ejusdem viri remoto a tumore membro virili, quo constat, illud totum fuisse fissum.

LVIII. Portio intestini herniam congenitam formans, sacco hernioso cum teste contenta.

LIX. Testis dextri lateris hominis adulti ex sarcocele magnitudine valde auctus atque induratus, cum fungosa exulceratione in superficie externa.

A. N. K.*** viginti quinque annos natus, equestris militiae, habitus corporis gracilis atque sensibilis, contusione a lapsu ex arbore testem dextrum laeserat, quin tamen ipsius magnitudo sensibiliter dein fuerit aucta; post tres vero annos continua equitatione brevi increscebat ad magnitudinem ovi gallinacei, quando eodem tempore morbo febrili afficiebatur. Postquam tempore belli in Germania aliquamdiu chirurgorum gallicorum curam sollicitaverat, die 1 Aprilis 1801 in Nosocomium Militare, quod Leidae erat, recipiebatur; testis magnitudo aequabat pugnum minorem, erat durus, tuberculatus, sed ad attactum non dolens; funiculus spermaticus erat brevior altero, et prope testem degeneratus. Mense Majo in parte anteriore exulceratio se manifestabat; degeneratio funiculi augebatur atque cutis scroti magis et magis cum teste conjungebatur. Absque ullo effectu debita remedia administrabantur, ulceratio atque degeneratio cutis quotidie augebantur, accedebat febris hectica, adeo ut operatio castrationis instituereturdie 10 Junii; quamvis per plures dies in periculosa conditione post institutam operationem versaretur ex accedentibus symptomatibus nervosis, tamen feliciter sanatus die 16 Novembris Nosocomium reliquit.

LX. Degeneratus testis ex sarcocele a causa venerea.

Substantia admodum dura atque compacta est; vasa Epididymidis dilatata, atque eorum parietes incrassatae sunt.

LXI. Testis hominis adulti, magnitudine valde auctus et ab exteriore, a cohaesione cum integumentis communibus, villosus.

LXII. Testis hominis adulti, insigniter adauctus ex causa venerea atque longitudinaliter dissectus.

LXIII. Praeputium monstrosum ex incrassatione substantiae cutis.

LXIV. Glans penis verrucis venereis obsessa.

LXV. Pars anterior penis amputatione feliciter ablata.

Glans penis infra aperturam urethrae magnitudine insigniter aucta, superficiem ulcerosam monstrat; praeputii portio quae superest, valde est tumefacta, tegit glandis partem superiorem quae glabra superest.

LXVI. Uterus cum vesica urinaria et vagina, a posteriore juxta longitudinem aperta, foeminae adultae. Fungus uteri insignis intra dilatatam vaginam prominet; ipsius vaginae superficies interna non videtur morbose affecta.

LXVII. Uterus foeminae adultae cum ei adhaerente tumore pedunculato, magnitudinis capitis virilis.

LXVIII. Uterus foeminae triginta et quatuor annorum, quae, postquam partu felici quartum infantem in lucem emiserat, adversa fruebatur sanitate a causa incognita; licet foetus feliciter fuisset natus, placenta tamen, vi quadam adhibita, educi debuit atque hinc fluxus uterinus provocatus fuerat; menstruatio ab eo tempore non rediit, venter intumescebat sensim atque post explorationem ope digiti primo haec foemina gravida credebatur, dein vero constabat uterum, vitio scirrhosae indolis esse affectum. Postquam durante ultimo vitae anno miserrimam vitam degerat, et morte a cruciatibus erat liberata, sectione cadaveris manifestum fiebat, uterum esse induratum, magnitudine auctum atque ovarium sinistrum hydrope maxime distentum, ut in praeparato cernitur.

LXIX. Ovarium ex hydrope insigniter distentum, aere expansum, atque dein exsiccatum. Ipsius longitudo = 314 lin. belg., 12 poll. rhen.; latitudo maxima = 230 lin. belg., 8 poll. $9\frac{1}{2}$ lin. rhen., figuram caeterum habet ovalem.

LXX. Corpus rotundatum, durum, compactum, media in parte dissectum, quod molam vocant.

LXXI. Massa hydatiginosa ex degenerata placenta humana.

LXXII. Hydatides similes.

LXXIII. Hydatis insignis magnitudinis.

MONSTRA HUMANA.

LXXIV. Caput infantis, qui labio leporino complicato laboraverat. Media in parte prominet pars ossium maxillarum vomeri insidens, tecta parva portione labii superioris naso adhaerentis; ab utroque latere labium ipsum est fissum usque ad alam nasi.

LXXV. Caput infantis Aethiopis, laborantis labio leporino. Labium superius infra alam nasi sinistram est fissum, deficiente simul palato duro ab illo latere. Capilli valde sunt crispi, reticulum Malphianum coloratum.

LXXVI. Puella recens nata, acephalo spurio laborans. Deficit tota pars superior conceptaculi cerebri supra orbitas retrorsum usque ad foramen magnum ossis occipitis; auriculae valde sunt extrorsum inflexae; integumenta communia in ambitu limbum rotundum, ac pilis obsessum formant; media pars tuberculosa tenui membrana tegitur.

LXXVII. Foetus maturus acephalos cum spina bifida in collo. Caput pectori valde est appressum, deficiente quasi toto collo; auriculae a superiore recurvatae in-

inter caput et humeros valde comprimuntur; integumenta communia circa marginem deficientium ossium limbum minus prominentem, quam in praecedenti specimine, sed simili ratione capillis tectum, formant; basis conceptaculi cerebri membrana tegitur, quae per canalem vertebralem descendit; fissi sunt arcus vertebrarum cervicis et superiorum dorsi, atque nihil de medulla spinali in hac parte superest.

LXXVIII. Puella recenter nata, simili defectu partis superioris conceptaculi cerebri atque spina bifida usque ad infimam lumborum partem laborans. Totum autem corpus retrorsum valde est incurvatum, hinc, mente a pectore remoto, vertex capitis dorso incumbit. Ex basi conceptaculi cerebri, membrana tecta, adsurgunt duae vesiculae, quarum altera major est. Spina dorsi mirum in modum est contorta; fissi sunt arcus vertebrarum usque ad pelvim et tenui membrana teguntur; integumenta marginem satis aequabilem, neque prominentem in ambitu deficientium partium formant, et in capite et in latere sinistro dorsi capillos nigricantes, satis longos continent.

LXXIX. Puella monstrosa duplex, simplici capite. Corpora ab umbilico sursum sunt concreta, ita ut costae dextrae unius foetus sterni ope cohaereant cum costis sinistris alterius; licet caput ex duobus capitibus compositum videatur, una tantum adest facies, et duae auriculae; facies respicit alterum latus et occiput oppositum, ita ut, si quisque foetus a tergo conspiciatur, caput in latus flexum videatur. Unicus adest funiculus umbilicalis.

LXXX. Puella monstrosa duplex; duo hi foetus inter se sunt conjuncti parte superiore abdominis, supra umbilicum atque toto thorace; ita ut rursus costae dextrae unius foetus sterni ope cohaereant cum costis sinistris alterius foetus; unicus adest funiculus umbilicalis et caeterum uterque foetus est perfectus.

LXXXI. Foetus trium mensium cum duplici capite. Capita lateraliter sunt conjuncta, ita ut orbitae et palpebrae duae confluxerint, sed oculi tamen distincti sint; utriusque labium superius fissum est a latere interiore; tota columna vertebrarum videtur simplex.

LXXXII. Foetus quatuor et quod excurrit mensium, cujus brachium dextrum brevius est sinistro et singulari modo incurvatum.

LXXXIII. Ren duplex hominis adulti; concreverunt duo renes partibus inferioribus; uterque habet pelvim atque ureterem distinctum.

LXXXIV. Vesica urinaria hominis adulti, exsiccata, cum duplici uretere a latere dextro; ureteres inter se confluunt prope vesicam et simplici apertura vesicae inseruntur.

LXXXV. Portio intestini ilii exsiccata cum insigni diverticulo tuberculato, extremo caeco terminato.

MONSTRA ANIMALIUM QUADRUPEDUM.

LXXXVI. Foctus Felis Cati, cujus caput monstrosum est ex defectu ossium faciei; in media parte frontis parvum cernitur tuberculum, infra quod omnis pars reliqua capitis deficit; nullae apparent orbitae aut oculi, sed fissura transversa ab inferiore adest, cujus labia excurrunt in auriculas.

LXXXVII. Foetus Suis simili modo monstrosum. In superiore parte vestigium nasi et labii superioris adest; facies caeterum tota est complanata; magis deorsum cernuntur fissurae transversae duae, quibus a latere adstant auriculae, cum labiis fissurarum confluentes; maxilla inferior per integumenta prominens valde rotundata videtur.

LXXXVIII. Caput monstrosum foetus Ovis. A superiore cernitur species proboscidis retrorsum flexae, ad cujus basin aperturae narium clausae adesse videntur, a latere inveniuntur palpebrae extrorsum descendentes, per quarum fissuras globi oculorum conspiciuntur. Deorsum magis fissura transversa adest, ab utroque latere confluens cum auricula; ex defectu ossium maxillarium totum cranium est globosum et ab anteriore complanatum.

LXXXIX. Foetus Suis cum capite monstroso. Ex anteriore parte conceptaculi cerebri proboscis descendit, cujus extremum aperturas narium monstrat: a latere cernuntur orbitae, oculos continentes, sed quorum palpebrae sunt clausae; ossa maxillaria superiora deficiunt; hinc infra orbitas superficies glabra convexa retrorsum tendit, et in superiore parte colli cernitur fissura transversa, ab utroque latere cum auricula confluens; maxilla inferior si adsit, valde erit parva et complanata.

XC. Foetus Felis Cati; duae orbitae inter se confluxerunt; globi oculorum tamen sunt distincti, et palpebrae ultra modum apertae: a superiore proboscidis species in apice perforata adest; maxilla inferior longior superiore maxilla extra labium superius prominet.

XCI. Foetus maturus Suis cum capite monstroso. Ex fronte descendit proboscis, retrorsum atque in latus dextrum incurvata, et in extremitate transversa fissura aperta. Infra eam cernuntur orbitae inter se junctae, ita ut unicam cavitatem, duos oculos continentem, constituant; labium superius valde est elongatum.

XCII. Foetus maturus Suis simili ratione in capite monstrosus, ea tantum cum differentia, ut globi oculorum hic inter se conjuncti sint, atque pupilla transversaliter aucta distinctionem adhuc pro parte exhibeat.

XCIII. Foetus Felis Cati cum capite monstroso. In anteriore parte cranii cernitur, per fissuram rotundatam palpebrarum, unicus globus oculi, infra quem

quem integumenta proboscidis speciem constituunt, cui inhaerent fibrissae, cavitas oris tota deficit; in profundo cernitur fissura ampla transversa, cui utraque auricula a latere apposita est, et quae cum labiis confluxerunt. Maxillae inferioris portio parva complanata superesse videtur.

XCIV. Foetus Canis, cujus labia oris usque ad auriculas sunt fissa; palatum durum juxta longitudinem deficit, et labium superius duplici fissura gaudet, prominente in parte media tuberculo sive extremitate vomeris.

XCV. Cranium depuratum absque maxilla inferiore, sed cum adnexa lingua foetus Ovis, cujus palatum durum juxta totam longitudinem est fissum, ita ut cavitas narium ab inferiore tota aperta sit; ab anteriore ossa intermaxillaria inter se tamen sunt nexa.

XCVI. Caput foetus Suis cum ingenti hernia cerebri, ex frontis osse prodeunte; palpebrarum vestigia quaedam supersunt. Totus tumor tegitur integumentis communibus extenuatis.

XCVII. Foetus Felis Cati hydrocephalo laborans; conceptaculum cerebri videtur inprimis a latere dextro auctum, hinc tumor ad labium superius usque se extendit compresso toto oculo; a latere sinistro partes faciei magis sunt distinctae.

XCVIII. Foetus maturus Suis, cujus caput mirum in modum est monstrosum; orbitae enim insignis magnitudinis tantopere antrorsum et sursum se extendunt, ut nasus cum labiis vix extra eas protuberet et forma totius cranii sit globosa.

XCIX. Foetus Felis Cati cum capite duplici; lateraliter capita sunt conjuncta, ita ut medio loco unica adsit palpebra satis lata, et oculorum globi inter se sint conjuncti; licet utriusque capitis cavitas oris sit distincta, labia superiora tamen confluxerunt, sed inferiora sunt separata.

C. Foetus Felis Cati cum duplicato etiam cranio. In media parte faciei oculi tantopere confluxerunt, ut leve vestigium palpebrarum conjunctarum supersit; rostra a se invicem parum distant; utriusque oris labium superius est fissum, transeunte fissura in cavitatem internam narium.

CI. Foetus Felis Cati cum capite duplici. In utroque cranio unus tantum cernitur oculus; alterum caput situm habet naturalem respectu corporis, alterum autem est inversum, ita ut fissura labiorum oris sit perpendicularis.

CII. Foetus Apri, capite bifido. Capitis dextri orbitae inter se confluxerunt et oculum difformem continent; alterius capitis oculus dexter deficit, sed ejus locum tenet proboscis elongata; utriusque capitis nasus formam habet proboscideam, et distantia satis magna inter utrumque os repletur prominentia perpendiculari, proculdubio ex ramis lateralibus maxillarum inferiorum.

CIII. Foetus Suis capite simplici et corpore bifido. Cohaerent corpora collo, thorace atque abdomine usque ad umbilicum, qui simplex est. Caput est simplex, sed deficit tota pars superior conceptaculi cum ipso cerebro.

CIV. Foetus Ovis duplex. Corpora thorace atque collo cohaerent; caput totum est difforme ex defectu ossium maxillarium superiorum; orbitae confluxerunt et inter superiorem et inferiorem partem tantopere compressae sunt, ut fissurae species tantum supersit. Maxilla inferior prominens ab anteriore sursum est incurvata; lingua e cavitate oris dependet. Quatuor adsunt auriculae, quarum duae circa occiput.

CV. Foetus Felis Cati cum corpore duplici. Ab umbilico sursum corpora sunt concreta. Caput est simplex, labium inferius vero duplex, licet maxilla inferior simplex sit.

CVI. Foetus Felis Cati cum octo artubus; abdomini nimirum adhaerent duo alii artus posteriores; artui anteriori dextro proxime adhaeret artus anterior, et pes dexter est duplicatus.

CVII. Foetus Canis, cujus artus anteriores deficiunt, et horum loco parvae prominentiae, integumentis communibus tectae, cernuntur. Labium superius est fissum cum intermedia parte separata intermaxillarium ossium, duos dentes incisores continente.

CVIII. Lacerta, cujus artus anterior sinister deficit, et ejus loco parvum tuberculum adest.

MONSTRA AVIUM.

CIX. Phasianus Gallus tribus pedibus instructus. Cum pelvi valde difformi cohaeret tertium crus, cujus tibia valde est incurvata, pes quatuor digitis anterioribus, nullo posteriore instructus est.

CX. Sceletus pulli Phasiani cum capite duplicato, atque spina bifida. Crania ita sunt conjuncta ut unicum adsit os occipitis, et rostra valde a se invicem distent. Duae orbitae internae inter se sunt junctae, atque unicam amplam cavitatem formant. Canalis vertebrarum inde a secunda colli vertebra a superiore ad mediam fere partem dorsi hiat, atque spinam ita dictam bifidam constituit.

CXI. Pullus similis cum abdomine valde amplo atque quatuor artubus posterioribus; anteriores naturaliter sunt positi, posteriores vero contrarium habent situm.

CXII. Pullus similis cum quatuor artubus posterioribus, simili ratione dispositis, sed abdomine contracto atque naturali vix majore. Os maxillare superius in quantum rostrum format, deficit.

CXIII. Pullus similis cujus abdomen in saccum valde dilatatum descendit; ex parte posteriore pelvis descendunt duo pedes supernumerarii, qui respectu naturalium pedum situm perversum habent.

CXIV. Pullus similis cujus inferior trunci pars duplex est; inter crura abdomen in saccum dilatatum dependet; defecit pars superior cranii et cerebri.

CXV.

CXV. Pullus similis cujus inferior pars corporis duplex est, hinc quatuor adsunt artus posteriores, ita dispositi ut ab utroque latere sit artus dexter et sinister.

CXVI. Pullus similis duplex. Cohaerent corpora abdomine, thorace et collo. In collo infra mandibulam inferiorem cernitur protuberantia insignis, quod rudimentum alterius capitis videtur; omnes artus sunt duplices.

CXVII. Pullus similis corpore duplici, collo atque capite simplici. Thorax atque artus posteriores duplices videntur; supernumerarii vero artus minores sunt.

CXVIII. Pullus similis corpore atque extremitatibus omnibus duplicibus, collo et capite simplici. Ita cohaerere videntur in thorace ut costae dextrae sterni ope cum costis sinistris alterius corporis cohaereant.

CXIX. Pullus similis cujus artus posterior sinister in metatarso est difformis.

CXX. Pullus similis cujus artus posteriores sunt difformes.

CXXI. Ovum Gallinaceum duplex; cohaerent inter se in extremitatibus.

MONSTRA VEGETABILIUM.

CXXII. Duo fructus Pyri communis inter se uno pedunculo nexi.

CXXIII. Fructus plures Pyri Mali diversa ratione inter se concreti.

CXXIV. Portio fructus Citri Aurantii, in cujus centro alius fructus, omnibus partibus instructus haeret: ideam praebens foetus intra foetum.

CXXV. Legumen Viciae Fabae ab inferiore duplex.

SECTIO SECUNDA.

OSSA MORBOSA.

MORBI OSSIUM A CAUSA EXTERNA.

Morbi ossium a simplici compressione.

CXXVI. Cranium hominis adulti absque maxilla inferiore. In osse frontis supra sinus frontales totum os intropressum observatur a globo e sclopeto emisso. Foveae fere orbicularis diameter = 39 lin. belg., 1 poll. 6 lin. rhen.; ipsum os media in parte ad profunditatem 13 lin. belg., 6 lin. rhen. intropressum est absque ulla fissura vel fractura. Sectione perpendiculari totius cranii juxta mediam partem constat, totam ossis substantiam esse intropressam, atque a parte cerebri convexam habere superficiem.

Morbi ossium a contusione aut allisione absque fractura.

CXXVII. Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore. Ipsum conceptaculum cerebri horizontaliter serrae ope est divisum, relicta dura matre in parte superiore; in osse verticis sinistri lateris prope suturam lambdiformem adest foramen, cujus margines sunt cariosi, et per suturam sagittalem se ad os verticis oppositi lateris extendit; foramen ipsum fere circulare diametrum habet 78 lin. belg., 3 poll. rhen.

Vir G. B. *** aetatis triginta septem annorum, natus *Chenard* prope *Lipsiam*, numquam morbo venereo, scorbutico aut doloribus rheumaticis affectus, ultimo die pugnae memorabilis Lipsiensis A°. 1813 contusione gravi ad verticem capitis laedebatur. Postquam per quatuor annos prospera fruitus erat sanitate, in loco antea contuso parvum detegebat tumorem, qui intra spatium sex sequentium mensium ad magnitudinem minoris ovi gallinacei increscebat, et basi latiore firmiter cum ipsis ossibus cohaerere videbatur. Si tumor tangebatur aeger suspirio dolorem leviorem indicabat; cutis videbatur sana; nulla aderant symptomata quae quamdam turbam in functionibus cerebri indicabant, imo optima fruebatur sanitate. Tumoris ambitus inprimis circa basin augebatur. Post annum omnia in eodem statu observabantur, attactu levis producebatur dolor et quum tumorem moveri atque ele-

va-

vari tentabatur, motu involuntario brachii et manus, aeger chirurgi manum avertere conabatur; oculi observabantur fixi; ingenii erat hebetis; cum difficultate respondebat ad quaestiones propositas; dein motus involuntarii memorati evadebant tardiores. Pulsus erat durus et pulsationes 45-60 intra primam minutam numerabantur, nullae vero laesiones in reliquis functionibus observabantur. Brevi ex symptomatibus tuto concludebatur, ipsum cerebrum fuisse affectum; cum difficultate nunc e lecto surgebat, vix erigere se valuit, et erectus se sustinere non potuit; tumor quotidie | increscebat; facultates animae diminuebantur; tandem omni motui progressivo, quin sustineretur, erat impar; oculi erant fixi; plenaria imbecillitas; pulsus tardus; deglutitio impedita; vox difficilis, hinc non nisi monosyllabis ad quaestiones propositas respondebat; somnus insomniis turbabatur cum respiratione stertorosa; aliquando involuntaria aderat evacuatio urinae et alvi, quotidie haec omnia exasperabantur; appetitus vero erat magnus et corporis nutritio videbatur perfecta, sed deglutitio adeo reddebatur difficilis, ut post assumtionem alimentorum suffocari videretur. Postquam per triduum alimenta tenuiora et minori copia assumserat, facies erat collapsa et totus habitus corporis inediâ multum imminutus, et mox solidiora alimenta, licet non nisi cum summa difficultate, avide assumebat. Duobus mensibus adhuc praeterlapsis, difficillime quaestiones intelligebat, nisi quum de victu agebatur; ubi sermo erat de alimentis administrandis fluidioribus erat tristis, si vero agebatur de solidioribus et plena portione, subridebat. Tandem assumto alimento suffocatione moriebatur.

In cadavere, relaxato parumper tumore, margo ossis in circumferentia detegi potuit, quod durante vita plane fuerat ἀδύνατον. Integumenta erant sana, in ambitu tumoris cellularis tela insignem quantitatem pinguedinis continebat, quae sensim ad apicem tumoris imminuebatur. Integumentis ablatis saccus a pericranio formatus continebat tres vel quatuor uncias sanguinis nigerrimi coloris et fluidi. Sectione horizontali cranio cum dura matre diviso, a parte interiore longe major tumor quam ab exteriore detegebatur, a depressa dura matre; tumor minus erat elevatus, sed magis complanatus, et inprimis os parietale sinistrum occupabat. Haemisphaerium sinistrum cerebri maxime erat depressum, licet dextrum etiam parumper compressum inveniretur, quum tumor duas tertias partes longitudinis suturae sagittalis occupabat; juxta totam hanc longitudinem sinus longitudinalis ab osse erat separatus, et dextrorsum inflexus. Ipsa substantia cerebri nulla ratione erat laesa, licet tantopere fuisset compressa. Substantia tumore contenta erat homogenea; cerebri substantiae quodam sensu similis, verum mollior, coloris lateritii et in centro magis cinerei, absque odore, sed, quod attinet ad consistentiam, conveniens cum substantia ex meliceride. Ipsa tunica tumoris, in praeparato conservata et pro parte tantum ab osse separata, cum margine foraminis firmiter cohaerens, videbatur noviter producta, ut in omni tumore saccato. Margo ipsius foraminis in toto ambitu est denticulatus, porosa, et ossea substantia degene-

rata, imo ab interiore longe magis consumta quam ab exteriore, ita ut dura mater magis ab ossibus remota sit, quam ipsa apertura ossis; substantia ergo, qua tumor erat repletus ab interiore et exteriore ambibat marginem ossium; unde, durante vita, tumor neque attolli, neque margo foraminis detegi potuit. Ex dura matre inferiorem partem tumoris constituente, prodibant vasa capillaria numerosissima arteriosa, per tumoris massam distributa. Venosa vero vasa cum sinu longitudinali durae matris ab una parte cohaerentia, atque ab altera anastomosin constituentia cum arteriis, fasciculatim magis erant disposita, et albicantis coloris; ex his bene multa osseam substantiam penetrabant, imo pauca erant capacissima. Omnes arteriae durae matris in ambitu tumoris erant dilatatae, ut in ipso praeparato adhuc conspicitur, ex qua causa etiam foramina sat magna in tabula interna ad diploen transeuntia conspiciuntur.

Ulteriore sectione cadaveris constitit causam mortis fuisse productam ab alimentis laryngis aperturam penitus obstruentibus, unde suffocatione periit aeger.

CXXVIII. Fibula hominis adulti, cujus pars inferior allisione, laesis maxime incumbentibus partibus mollibus, per globum e sclopeto emissum, vulnerata fuit. Primis post laesionem septimanis cum mali moris erat ulcus, saniemque fundebat pessimi odoris, calli specie obductum fuit os, sed ulcere dein ad statum meliorem reducto, et pure blando prodeunte, alia calli species fuit formata, nec non callus primo productus ab insequente fuit separatus, ut ex crena formata apparet; hoc vero tempore corripiebatur aeger diarrhaea biliosa, ex qua totus emaciatus periit. Ex generato callo, cujus superficies valde inaequabilis, tuberculosa ac porosa se offert, latitudo ipsius ossis ad 39 lin. belg., 1 poll. 6 lin. rhen. est aucta; atque luxuriosus callus inferiorem partem hujus ossis ad longitudinem 183 lin. belg., 7 poll. rhen. investit, unde deleta est omnis figura naturalis: crena non tantum satis notabili distinguitur facile callus cnatus tempore quo ipsum ulcus malae fuit conditionis, sed etiam toto habitu a callo insequente tempore producto differt, ita ut proculdubio morbosus callus totus separatus fuisset, nisi alius morbus lethalis accessisset.

CXXIX. Tibia et fibula dextri lateris hominis adulti. Tibia ad latus interius ad distantiam 79 lin. belg., 3 poll. rhen. supra articulationem pedis, globo e sclopeto emisso, in superficie fuit laesa. Hinc superficies ossis ad longitudinem similem morbose est affecta, ac omnia praebet indicia, periostium inflammatione chronica fuisse affectum; ipsa vero pars ossis globo tacta, cariosa est.

CXXX. Os femoris sinistri lateris hominis adulti in media parte corporis globo e sclopeto emisso in superficie anteriore leviter laesum: videtur vero ipse globus per aliquot tempus ossi adhaesisse; ipsa superficies nimirum parum est introopressa atque porosa, et striatam fabricam quasi offert; in ambitu cingitur margine elevato a callo noviter generato. Ipsa superficies ossis interna tenui crusta callosa, a

tro-

trochantere minore ad duas tertias partes longitudinis est tecta, quae lamella se etiam ad partem exteriorem et posteriorem ossis extendit.

CXXXI. Os femoris sinistri lateris hominis adulti, circa mediam fere partem corporis oblique ab exteriore et superiore antrorsum et deorsum laesum a sclopetario globo, ita ut tenuissima lamina externa ossis sit ablata. In ambitu vero vulneris cernitur nova substantia ossea, quae laesam superficiem circumdat.

CXXXII. Tibiae dextri lateris hominis adulti pars major inferior, ad latus interius in superficie, non longe ab articulatione cum pede, laesa. Tabula externa ad longitudinem 78 lin. belg., 3 poll. rhen. necrosi affecta, pro maxima parte jam fuit separata, portionibus nonnullis tantum superstitibus; ubi crena separationis fuit formata, os porosum cernitur; superficies de qua pars mortua ossis fuit separata, morbosi status ossis indicia praebet.

CXXXIII. Tibia et fibula dextri lateris hominis adulti. Insignis portio partium mollium de media parte cruris fuit ablata, globo e sclopeto emisso, et ipsum os in superficie leviter tactum. Pars ossis Tibiae ad longitudinem 118 lin. belg., 4 poll. 6 lin. rhen. denudata, emortua, crena separata fuit a vicinis partibus. Majorem vero partem corporis ossis morbose affectam fuisse patet, cum ipsa necrosis duas tertias partes longitudinis ossis occupat, atque hinc et illinc tegitur callo noviter generato, sed poroso ac statum morbosum indicante.

CXXXIV. Tibia et fibula dextri lateris hominis adulti. Media in parte corporis tibiae, laesio non tantum obtinuit partium mollium cruris, sed ipsius etiam ossis, ita ut lamella satis magna de superficie ossis separata fuerit, vulnus utriusque partis feliciter est sanatum, adeo ut tantum vestigium laesi ossis supersit.

CXXXV. Articulatio ossis humeri cum ossibus cubitus. Glans plumbea e sclopeto emissa tetigit ulnae partem exteriorem infra processum coronoïdeum; superficies tacta est porosa, circumdata margine inaequali ex callo noviter enato; periostium magis affectum fuisse quam ipsum os, ex ambitu laesionis in superficie ossis apparet.

CXXXVI. Ossa tarsi, metatarsi nec non extrema inferiora tibiae et fibulae dextri lateris, hominis adulti. Globus plumbeus e sclopeto emissus, partem posteriorem calcanei a latere insertionis tendinis Achillis laesit; hinc hac in parte lamina tabulae osseae necrosi affecta cernitur. Ipsum vero periosteum in ambitu ac imprimis a latere exteriore calcanei chronica inflammatione fuisse affectum, ex superficie ossis constare videtur; in ambitu vero laesionis ossis callus luxurians et porosae substantiae fuit secretus. Omnia ossa valde levia sunt.

Morbi ossium, ab immisso corpore heterogeneo, absque fractura totius ossis.

CXXXVII. Pars inferior femoris dextri lateris militis triginta octo annorum, 6 Octobr. 1799 vulnerati, ad latus internum genu, glande plumbea

(*Kartetsch Kogel*), ut postea patebat. Prima deligatione ablata, die 9 Octobr. constabat genu maxime fuisse tumefactum, valde dolorosum, cum febre continua, quae omnia symptomata, debitis remediis externe interneque adhibitis, intra quatuordecim dies sensim sensimque disparebant. Globo vulneri adhuc inhaerente, dilatabatur vulnus, quin tamen globus detegi potuerit. Post administrationem remediorum confortantium copia affluentis puris, ac dolor imminuebantur, et pus melioris evadebat notae. Die 25 Dec. aegro obambulatione nimis defatigato, denuo tumor ac dolor augebantur, quae symptomata quiete nec non remediis sensim cessabant. Nova dilatatione vulneris indicata atque instituta, post quinque dies globus prodibat, cujus figura erat complanata. Symptomata denuo augebantur, pus in ichorem mutabatur atque febris nervosa cum omnibus suis symptomatibus accedebat. Licet amputatio, ut unicum superstes remedium indicari videretur, hanc tamen recusabat aeger, atque ab altera parte etiam sinus profundi ac sursum juxta longitudinem femoris se extendentes, eam dissuadebant. Horum sinuum majore per longitudinem sex transversorum digitorum aperto, haemorrhagia producebatur, quae, licet primo sedata, denuo rursus majori cum vehementia se manifestabat, et nonnisi difficillime sistebatur. Mense Januario ad finem vergente, ex vulnere sat magna portio telae cellulosae gangraenosae cum insigni quantitate ichoris evacuabatur, omnia symptomata augebantur et 24 Febr. 1800 moriebatur aeger.

Ex ipso osse constat, globum intrasse latus internum femoris, mox supra condylum adscendisse, atque sibi canalem formavisse ultra mediam partem latitudinis ossis. Totus ambitus vulneris callo est obductus, cujus substantia satis sana videtur.

CXXXVIII. Cranium militis Hanoverani in Nosocomio Militari Leidensi 1794 ex diarrhaea biliosa mortui. Aeger majori cum molestia loquebatur, quam ex morbi stadio fieri potuerat. Referebat, se ante annum fere fuisse vulneratum, et globum e sclopeto emisso per linguam transiisse. Integumenta oris externa nulla cicatrice erant notata, dens cuspidatus, atque duo bicuspidati, nec non molaris primus a latere sinistro in maxilla superiore deficiebant, atque plaga illa omnis carne molli, gingivae simili erat obducta; aegri vero status febrilis ulterius examen de praesente adhuc corpore alieno reddidit difficile. Aegro verum mortuo constabat, linguam antea fuisse laesam, sed rursus sanatam, et infra linguam inveniebatur globus plumbeus contentus sacci specie, crassitiei fere lineae, ex membrana satis tenaci, ita ut ulceris ne quidem suspicio adesset.

Ipso in cranio cum memoratis dentibus deficit margo alveolaris, atque ipsum illud vulnus in osse etiam sanatum fuisse constat. Foramen quod in palato nunc conspicitur tela mucosa erat investitum. Globus ipse immissus partim est angulosus, partim complanatus, ingressus procul dubio fuit per fissuram oris, dentes abstulit, et ossis laesi separationem dein excitavit.

Mor-

Morbi ossium ex ablatione partis cujusdam.

1°. *Ope gladii vel alius instrumenti scindentis.*

CXXXIX. Cranium militis horizontali sectione apertum, cum maxilla inferiore. Gladii ope vulnus fronti atque vertici cranii illatum fuit, unde praeter integumenta communia atque membranas tabula externa eorum ossium fuerat laesa; necrosis hinc in tabula externa utriusque ossis est producta, et in ambitu jam crena separationis cernitur; pars emortua ossis frontis abrasione substantiae est extenuata, atque in osse verticis tabula externa perforatorio est pertusa, ut exfoliatio promoveretur.

CXL. Pars superior conceptaculi cerebri viri triginta et quinque annos nati, in fronte a latere sinistro gladio laesi. Circa protuberantiam frontalem sinistram tabula externa ad longitudinem 31 lin. belg., 1 poll. 2 lin. rhen. est fissa; margo exterior est aequabilis, margo interior quasi elevatus; solam externam tabulam gladius transiit.

CXLI. Pars superior conceptaculi cerebri hominis adulti, gladio laesi ad tempus dextrum. In angulo sphaenoïdali ossis verticis dextri cernitur ipsum vulnus ossis; tabula externa ad longitudinem 39 lin. belg., 1 poll. 6 lin. rhen. est fissa, ipsumque vulnus diploën penetravit in parte media, tabulaque interna affecta videtur, saltem tenerrima superest; margo posterior inaequabilis est ex fragmentis osseis separatis; brevi ex vulnere vel alia causa videtur periisse aeger, quum levissima tantum adsunt indicia mortuam ossis partem in ambitu laesionis esse separatam. In interna superficie conceptaculi nulla ossis laesio detegitur.

CXLII. Pars superior conceptaculi cerebri, viri viginti et quatuor annorum gladio laesi ad latus dextrum cranii: ossis verticis dextri tabula externa sola est laesa, circa mediam fere partem parum supra suturam squamosam. Longitudo fissurae tabulae externae = 39 lin. belg., 1 poll. 6 lin. rhen., margo anterior est integer, posterior inaequabilis ex separatis fragmentis; in ambitu laesionis crena separationis partis mortuae a parte viva manifeste detegitur, ipsa vero tabula externa supra fissuram per longitudinem 26 lin. belg., 1 poll. rhen. et latitudinem 11 lin. belg., 5 lin. rhen. emortua deprehenditur, atque in ambitu a vivo osse crena separata; in interna superficie nulla laesio detegitur.

CXLIII. Pars superior conceptaculi cerebri, viri viginti et unius annorum in vertice cranii gladio laesi, vulnus ossis longitudinis est 52 lin. belg., 2 poll. rhen.; a posteriore antrorsum gladius laminam externam atque diploën partim abstulit, pars vero anterior est elevata atque fissa, transiit vulnus ipsam suturam sagittalem, unde etiam os verticis dextrum est laesum, pars tamen laminae externae su-

perest, sed mortua ac crena separata in ambitu. In superficie interna cranii nihil praeternaturale observatur.

CXLIV. Cranii pars superior duplici trepanatione perforata, ut diffractae tabulae interioris particula auferretur.

Miles Gallicus anno 1797 laesus ad latus dextrum capitis instrumento non scindente, sequenti die in Nosocomium deferebatur; contusionis aderant symptomata cum vulnere cutis, sed ipsum cranium non adparuit denudatum, aut ullum compressi cerebri symptoma observabatur. Nulla aderat febris, neque ulla laesio functionum; sedata inflammatione, octavo et nono die sopor invadebat cum pulsu contracto, ac sensim sensimque cuncta ea symptomata se offerebant, quae cerebrum comprimi docere solent. Undecimo die incisione facta et denudato cranio, fissura comparuit, fere 52 lin. belg., 2 poll. rhen. suturam coronalem supra processum lateralem ossis sphaenoïdei transiens. Cum ergo sanationis unica spes in trepanatione credebatur, haec fuit ad fissuram instituta, sed hac operatione ne quidem sopor aegri pellebatur. Orbiculo osseo hoc priore ablato, diffracta tabula interna cranii observabatur, atque ex fluctuatione constabat, humorem infra duram matrem esse effusam. Ut particula diffracta, duram matrem premens, auferretur, repetita trepanatione alter orbiculus fuit ablatus, unacum particula diffracta ossis, causa procul dubio aegritudinis. Dura matre nunc incisa prodiit primo uncia et ultra puris bonae notae ac mox humor sanguinolentus. Omni hoc humore cauta manu detracto, ingens in cerebro apparuit fovea, nata ex destructa hujus organi substantia, quae se extendebat versus ventriculum anteriorem. Quam primum per incisionem in dura matre factam, humori effuso concedebatur exitus, aeger e somno quasi expergefactus, oculos aperiebat, movere conabatur caput et artus, dicebatque voce debili quidem, sed tamen satis intelligenda gratam se percipere sensationem; rogatus velletne bibere, nutando caput, significabat se velle haustum, quem mox assumsit. Interea aliqua oborta fuit haemorrhagia ex vasis durae matris dissectis, quae tamen mox sedata, dein non iterum adparuit, cavum in cerebro productum, linteo carpto molliter fuit repletum, et apto modo caput deligatum. Vespertino tempore sensuum usus lente iterum periit; altero die e vulnere sanguis et pus valde tenue effluebant, nec pellebatur iterum sopor. Omnia in pejus ruebant, labia vulneris externi erant flaccida, nec inflammata; tertio die, pus vix observabatur; augebatur stertor et respirandi difficultas atque post meridiem moriebatur. Capite dissecto in cerebro observabatur fovea sphaerica, cujus fundus vix per 4 lin. belg., 2 lin. rhen. a ventriculo anteriore distabat. Omnis superficies interna foveae coloris erat cinerei, et circumdabatur lamina nigrescente: interim crassities hujus superficiei coloratae ac morbose affectae non superabat 4 lin. belg., 2 lin. rhen. et nonnullis in locis tantum 2 lin. belg., 1 lin. rhen. Reliquum cerebrum sanissimum erat.

CXLV. Cranii pars superior militis, ligone in vertice capitis vulnerati. In osse verticis dextri lateris a sutura coronali sursum observatur fissura, longitudinis 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen., atque transversa alia, longitudinis 13 lin. belg. 6 lin. rhen., ad suturam sagittalem terminata, penetrans per totam ossis crassitiem; latitudo fissurae amplior est in superficie interna quam externa, ex fragmentis a tabula interna separatis. Lamina externa in ambitu vulneris ad latitudinem 2 lin. belg., 1 lin. rhen. emortua, crena jam fere tota soluta detegitur. Aeger per quindecim dies post acceptum vulnus vixit; mentis erat compos, sed paralysi lateris sinistri affectus. In cadavere, dissecto cranio, observabatur dura mater in loco laeso a cranio soluta, eique incumbebant plura fragmenta ossea; inter duram matrem ac arachnoïdeam membranam abscessus insignis aderat, atque tres cerebri membranae et ipsum cerebrum circa locum laesum gangraena affecta erant.

CXLVI. Cranii pars superior militis viginti annos nati, anno 1807 ictu penetrante gladii vulnerati in parte dextra frontis, ad longitudinem circiter 78 lin. belg., 3 poll. rhen. Die secundo ab accepto vulnere in Nosocomium Militare delatus, vulnus integumentorum ad distantiam transversi digiti supra tuber frontale se ad suturam coronalem extendebat per latitudinem 26 lin. belg., 1 poll. rhen. a linea media frontali. Primis quatuordecim diebus post acceptum vulnus nulla symptomata alicujus momenti observabantur; iis vero praeterlapsis se manifestabat febris continua remittens, quae tertio die exasperabatur cum levi delirio, accedente dein stupore ac facie collapsa. Vulnus erat siccum ac flaccidum; quotidie exasperabantur symptomata, accedebat involuntaria excretio alvi et urinae, et aeger moriebatur trigesimo quinto die post acceptum vulnus.

Sectione cadaveris instituta, constabat ipsum vulnus integumentorum per 39 lin. belg., 1 poll. 6 lin. rhen. sursum fuisse dilatatum; ab illo vulnere dextrorsum sinus observabatur longitudinis 78 lin. belg., 3 poll. rhen. atque latitudinis 39 lin. belg., 1 poll. 6 lin. rhen. ubi a pericranio denudatum erat os. Fissura cranii a tubere frontali oblique ad mediam cranii partem se extendens per suturam coronalem transit, ac in osse verticis dextro terminatur, totam penetrans crassitiem ossis frontis, fragmentum quoddam de tabula interna erat separatum et a superiore et inferiore sola tabula externa tantum est fissa. Longitudo fissurae penetrantis utramque tabulam = 65 lin. belg., 6 poll. 2 lin. rhen. et in margine pars mortua latitudinis 2 lin. belg., 1 lin. rhen. crena jam plurimis in locis est separata: cranio a dura matre separato, inter illud atque hanc membranam insignis copia puris inveniebatur; dissecta dura matre, in tota fere superficie lobi medii et posterioris haemisphaerii dextri cerebri, ac inter gyros pus observabatur, sacco quasi contentum, nec non substantia ipsa cerebri degenerata. In basi cranii et praecipue in camera cerebelli ad minimum duae unciae humoris aquosi sanguinolenti inveniebantur; ipsum vero cerebellum videbatur sanum.

CXLVII. Pars superior cranii hominis adulti, gladio vulnerati ad sinistram partem ossis frontis. A supercilio sinistro fissura, longitudinis 105 lin. belg., 4 poll. rhen. transit per totum os frontis et partem ossis verticis, et in hoc osse parva fissura in tabula externa terminatur; ad supercilium duae adsunt transversae fissurae, utramque tabulam transeuntes; ex his inferior terminatur ad processum supercilii, altera ad distantiam 7 lin. belg., 3 lin. rhen. a praecedente fossam temporalem intrat, et, ubi cum fissura longitudinali jungitur, plura adsunt fragmenta. Longitudinalis fissura tabulam externam et diploën ossis frontis dividit; interna vero tabula in tres partes dissiliit; superius ac minus fragmentum deperditum est, ac procul dubio durae matri fuit impressum, duo alia, quorum dextrum latius et longitudinis 42 lin. belg., 1 poll. 7 lin. rhen. in sede naturali superest; alterum vero fragmentum longitudinis 52 lin. belg., 2 poll. rhen. cum superficie interna ossis angulum rectum facit. Aeger non diu acceptum vulnus supervixisse videtur.

CXLVIII. Cranii pars superior una cum portione durae matris, militis viginti quinque annorum, gladio vulnerati ad os verticis sinistri lateris. Septimo a vulneratione mense in Nosocomium Militare recipiebatur (20 Julii 1797) quo tempore insultu epileptico de tempore in tempus afficiebatur; ipsum vulnus, quod a convexitate ossis verticis usque ad tempus se extendebat, fistulosum erat; levi alienatione mentis affectus videbatur; narrabat autem plura fragmenta antea fuisse ablata, atque paralysi universali laboravisse, ab ea vero jam esse sanatum. Ipsum vulnus ad duram matrem usque penetrare constabat ex motu humoris effluentis; dilatato itaque vulnere, tam scalpelli quam spongiae praeparatae ope, post aliquot dies plura fragmenta ossea se manifestabant, atque insultus epileptici nunc per nonnullos dies non observabantur, usque dum errore in diaeta clam commisso 7 Augusti redirent primo semel, dein bis de die, quam ob causam praescribebantur medicamenta antispasmodica. 13 Aug. intra viginti quatuor horas viginti insultus epileptici observabantur, eorum tamen accessum adstantibus semper indicabat, atque sumtis guttulis nonnullis Liq. Anod. min. Hoffm., imminuebantur; mentis tamen semper erat compos licet musculi faciei, durante insultu, spasmodice valde contraherentur; die 14 Augusti viginti quatuor insultus epileptici observabantur; insequente die postquam septies redierant insultus epileptici, utile judicabatur treparationem instituere, quem in finem cutis incidebatur; hac incisione haemorrhagia subnascebatur, qua ad minimum libra sanguinis diffluebat, quae dein, novo insultu accedente, redibat. Eodem die, tempore pomeridiano, pulsus erat parvus ac celer, facies pallida, oculi distorti, quam ob causam ipsa trepanatio in alium diem differebatur; paulo post ad se redibat, ipsa loquela vero erat impedita, atque deglutitio admodum difficilis.

15 Aug. coma vigil observabatur, atque post singulos insultus respiratio erat stertorosa, et apoplexia affectus videbatur. Trepanatio nunc instituebatur, licet sum-

summa cumdifficultate propter motus violentos ipsius aegri, ita ut a sex amanuensibus vix retineri potuerit. Ipsa dura mater ubique firmiter cranii ossibus adhaerens fissuram intraverat atque meningophylace difficile separabatur; nonnulla fragmenta, ipsi durae matri impressa, auferebantur atque deligatione facta aeger satis bene compos mentis erat. Vespertino tempore hora 5 jam quatuor ad fuerant insultus epileptici, atque post singulos vehementibus spasmodicis contractionibus artuum laboraverat; pulsus erat febrilis; pro potu praescribebatur julapium antiphlogisticum, atque clysma antispasmodicum applicabatur, una cum epispasticis ad plantas pedum. Die 16 Aug. durante nocte, quatuor observati fuerunt insultus epileptici. Palpebra sinistra erat tumefacta, globus oculi distortus; facies pallida; cum oculo dextro ubique circumspiciens, nihil tamen distincte videbat, atque post novum insultum, hora decima, apoplexia gravi afficiebatur. Trepanatio denuo instituebatur absque ulla perceptione aegrotantis; orbiculo osseo separato, nihil notatu dignum observabatur, nisi quod melius constabat, totam fissuram ad duram matrem usque penetrare; pulsus erat parvus ac celer; vespertino tempore symptomata erant imminuta, interrogationes intelligebat, linguam emittebat, quae erat albido muco obsessa, pulsus minus erat contractus et parum febrilis. Medicamenta antispasmodica antea praescripta administrabantur, clysma, atque epispastica applicabantur.

Die 17 Aug. aeger erat debilis, palpebrae erant apertae, et distinguebat omnia objecta, oculus sinister paululum extrorsum erat contortus; tunica adnata parum inflammata; quae tamen inflammatio credebatur provocata compressione durante prima trepanatione; pulsus erat parvus ac celer; lingua humida, et parum obsessa muco albo; licet non loqueretur, omnia tamen intelligebat, atque signis desiderata indicabat; nullo insultu epileptico post alteram trepanationem laboraverat; levis autem haemorrhagia fuerat provocata margine acutiore ossis relicto post applicationem coronae trepani; nova deligatione applicata aeger satis bene se habere videbatur et praescribebatur mixtura nervina. Vespertino tempore minus erat mentis compos, respiratio erat libera, sed pulsus tremulus ac parvus; medicamenta assumebat, jusculum carnis atque decoctum hordei alimentorum loco propinabantur. Clysma, atque epispastica plantis pedum administrabantur; nocte febris fuit exacerbata, atque hora secunda moriebatur.

Sectione cranii facta, dura mater, quae durante vita, tensa valde ossibus firmiter fuerat appressa, nunc erat flaccida, in ipsam intrusa reperiebantur tria fragmenta tabulae internae ossis verticis, cum portione diploës, apex fragmenti majoris perforaverat hanc membranam, ut ex adjecta portione hujus membranae cernitur. Dura matre separata, in substantia cerebri reperiebatur parvus abscessus, pure viridescente repletus, atque in ambitu tota substantia cerebri degenerata; inter piam matrem ac reliquam cerebri superficiem humor aquosus, qui durante separatione effluebat observabatur. Ventriculi cerebri anteriores humore seroso re-

pleti erant et ventriculus tertius humorem profunde coloratum continebat. Plexus choroïdei parum erant degenerati, atque omnia vasa sanguine valde distenta; sinus vero longitudinalis erat vacuus. In cranio fissura detegitur longitudinis 105 lin. belg., 4 poll. rhen. ab angulo sphaenoïdali fere ad suturam sagittalem oblique retrorsum se extendens, margines vero sunt rotundati et tabulae inter se callo junctae, adeo ut diploën in fissurae marginibus non appareat. In superficie interna constat fragmentum fuisse separatum in extremo superioris fissurae, sed rursus callo cum reliquo osse concretum, ipsamque tabulam internam, ubi coronae trepani fuerunt applicatae, per insignem superficiem fuisse affectam, aeque ac si eo in loco abscessus inter hanc et duram matrem antea adfuisset; sed et haec morbosa superficies rursus sanata videtur; in ambitu vero ipsa substantia ossea fere ubique valde porosa est.

CXLIX. Cranii hominis adulti pars superior. In osse verticis sinistro foramen adest oblongum, longitudinis 17 lin. belg., 8 lin. rhen. et latitudinis 9 lin. belg., 4 lin. rhen., per totam substantiam ossis penetrans; tabula interna in tria fragmenta fissa intra conceptaculum cerebri protrusa est, atque maximum fragmentum 13 lin. belg., 6 lin. rhen. prominet; per ipsam duram matrem transiisse fragmenta apparet, ex relicta membrana adhaerente superficiei cranii internae. Aegrotum per aliquot tempus post acceptum vulnus vixisse constat ex margine aequabili ac rotundato ipsius tabulae externae.

CL. Pars superior cranii militis ictu forcipis laesi, qui tertia septimana ab inflicto vulnere periit. Initio nulla adfuerunt symptomata periculum indicantia, dein apoplexia subito obrepente periit aeger. In ossis verticis superficie tabula externa ad longitudinem 33 lin. belg., 1 poll. 3 lin. rhen. et latitudinem 9 lin. belg., 4 lin. rhen. a reliqua parte est separata, ita tamen ut pars quaedam mortua adhuc in angulo anteriori cohaereat: in interna superficie magna pars ossis erosa cernitur, adeo ut tabula interna eo in loco deleta, et ipsum diploën parvo foramine, ad vulnus externum penetrans, sit pertusum. Sectione capitis etiam constitit, duram matrem chronica inflammatione affectam, atque exiguam copiam puris effusam fuisse inter os et hanc membranam.

CLI. Cranii pars superior militis viginti annorum, gladio vulnerati in osse verticis dextro; in externa superficie fissura mox supra vestigium musculi temporalis a sutura coronali incipit, et per longitudinem 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen. adscendit parum oblique retrorsum; anterioris marginis fragmenta sunt separata, ut ex inaequali superficie constat; ad marginem posteriorem tabula interna ossis emortua et crena circumdata cernitur. Tabula interna in duo vel tria frusta oblonga fissa videtur, quae tamen rursus callo sunt juncta ossi, dum in toto ambitu tenuis lamella substantiae callosae, sed naturae porosae, effusa est.

CLII. Pars posterior superioris partis cranii militis. In vertice ossis bregmatis sinistri duae fissurae totum os penetrantes, gladio inflictae, observantur; alte-

tera juxta longitudinem suturae sagittalis, quae tamen jam deleta est, longitudinem habet 78 lin. belg., 3 poll. rhen. atque antrorsum dein excurrit in fissuram ad alterum os verticis arcuatim decurrentem, lamina tabulae externae juxta longitudinem limbi exterioris vulneris crena a reliquo osse est separata: altera fissura longitudinis 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen. extrorsum a praecedente divergit, atque tabula externa alterius limbi est elevata. In superficie interna cranii major fissura etiam observatur, divisa tabula interna aequali margine, altera fissura non penetravit juxta totam longitudinem, pars vero insignis ipsius tabulae internae necrosi est affecta, et crena in ambitu separata, dum simul indicia adsunt, totam duram matrem inflammatione chronica in ambitu laesionis fuisse affectam.

CLIII. Cranium cum maxilla inferiore omnibusque dentibus militis Hanoverani; ex ictu gladii fissura producta fuerat in osse frontis ac verticis sinistri lateris, prope angulum sphaenoïdalem. Hinc enata fuit necrosis, quae fere totam partem frontalem ossis frontis, dimidiam superiorem partem ossis verticis dextri lateris, atque totam inferiorem partem ossis verticis sinistri lateris occupavit, variisque in locis pertusum est totum cranium. Vulneratus ad finem quarti mensis post inflictum vulnus, hectica febre consumtus, periit in Nosocomio Militari Leidae Anno 1794.

CLIV. Cranium cum maxilla inferiore atque dentibus, exceptis paucis molaribus antea evulsis, destructisque eorum alveolis, militis Hanoverani. Medio in osse frontis foramen adest magnum, oblongum, relictum post separatam partem necrosi affectam ex ictu gladii; praeterea tabulae externae hujus ossis et ossis verticis dextri lateris insignis portio separata est, deficiente nonnullis in locis tabula etiam interna. In parte sinistra ossis frontis etiam magna portio necrosi est affecta; ipsum vero os emortuum adhuc nonnullis in locis cum reliquo osse cohaeret, in tabula vero interna necrosis per majus spatium proserpsit quam in externa, atque in toto ambitu exesum quasi est cranium. Ad finem quinti mensis post inflictum vulnus, febre hectica consumtus periit aeger in Nosocomio Militari Leidae Anno 1794.

CLV. Pars superior cranii hominis adulti. Necrosi separata est insignis portio ossis verticis sinistri juxta suturam lambdiformem, unde totius hujus ossis pars posterior deficit; necrosi dein affecta est pars anterior, juxta suturam coronalem; tabula autem interna magis separata est quam tabula externa, et de margine inferiore hujus ossis tota externa tabula deficit.

CLVI. Cranium hominis adulti, cujus partes laterales conceptaculi cerebri serrae ope sunt solutae ad situm processuum durae matris vasorumque cerebri demonstrandum, arteriis carotidibus ac venis jugularibus rubra materia injectis. Fissura adfuit, totum fere os verticis sinistri lateris a parte mammillari ossis temporis ad suturam sagittalem fere usque dividens, quae utramque tabulam penetravit, sed

feliciter rursus sanata fuit, superstite tamen rima. Lamella quaedam inaequabilis, porosa et valde sulcata ex callo noviter producto, tegit tabulam internam juxta dictam fissuram ad longitudinem 52 lin. belg., 2 poll. rhen. et latitudinem 26 lin. belg., 1 poll. rhen.

CLVII. Cranium militis robusti, in Saxonia nati, triginta septem annorum, serrae ope horizontaliter divisum. Die 21 Maji 1804 ictu gladii vulnerabatur ad os verticis sinistrum circa occiput, atque ad os verticis dextrum in parte magis inferiore. Primum vulnus penetravit solam tabulam externam, atque fissuram longitudinis 30 lin. belg., 1 poll. 2 lin. rhen. in hac tabula produxit, in ambitu pars emortua crena separata est. Alterum vulnus abstulit partem tabulae externae, longitudinis 60 lin. belg., 2 poll. 3 lin. rhen. et latitudinis in parte media 20 lin. belg., 9 lin. rhen. relicta tabula interna cum parte diploës; in ambitu etiam crena separationis partis emortuae egregie jam cernitur. Per duodecim dies post inflicta vulnera aeger perfecta sanitate frui videbatur, atque omnia felicem sanationem praedicabant; hoc vero die accedebat gravis febris cum difficili respiratione et dolore in latere dextro, nec non symptomatibus saburrae in primis viis; vires citissime imminuebantur, pus antea bonae notae in saniem mutabatur, sed nulla symptomata affecti cerebri vel ipsius membranarum observabantur; respiratio magis et magis impediebatur, accedebat delirium et 8 die Junii moriebatur. Sectione cranii instituta, tabula interna cranii in loco laeso nigricantis erat coloris, et in dura matre parva macula livida, sed nulla effusio alicujus humoris, neque ulla cerebri laesio detegi potuit. Pulmo dexter valde erat inflammatus, pseudo-membranis pleurae adhaerebat, et in nonnullis locis abscessus aderant. Viscera abdominalia erant in statu naturali.

CLVIII. Pars superior cranii Viri J. v. D. H*** quadraginta et quinque circiter annorum, die 13 post inflictum vulnus mortui. Securis ope pars ossis frontis a latere dextro ablata cernitur, adeo ut medio loco foramen adsit, circumferentiam coronae trepani superans, ad angulum superius et inferius fissura conspicitur, qua in inferiore angulo aliud frustum de tota substantia ossis separata quidem videbatur, quae tamen in situ remansit. Margo superior vulneris arcuatus aequabiliter scissus, inferior vero inaequabilis et abruptus observatur. Longitudo vulneris ab uno angulo ad alterum = 52 lin. belg., 2 poll. rhen., latitudo in medio = 26 lin. belg., 1 poll. rhen.

Vulneratus quum primis quinque diebus nullis symptomatibus alicujus momenti afficiebatur, errores plures in diaeta ac vitae genere commiserat, atque vulnus simpliciter deligatum erat, adhibitis tamen remediis antiphlogisticis. Sexto a vulnere die se manifestabant symptomata, inflammationem membranarum cerebri indicantia, quae sat cito increscebant atque mortem minitabantur. Insequente die symptomatibus omnibus insigniter adauctis vulnus dilatabatur, atque nunc e fundo

do laesionis frustum osseum sat magnum et quinque minora (quae etiam una cum cranio asservantur) auferebantur, et quorum unum in duram matrem etiam intrusum fuerat. Incassum vero haec operatio instituebatur, atque curandi methodus ex arte administrabatur; nullum enim ab his levamen in symptomatibus observabatur, sed vulneratus die decimo tertio post acceptum vulnus moriebatur.

Sectione cadaveris sequentia observabantur. Vulnus integumentorum quodammodo triangularis erat formae, a parte superiore arcuatim ad distantiam circiter 26 lin. belg., 1 poll. rhen. a radice nasi oblique sursum extrorsumque ad longitudinem 66 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen. adscendens, et porro deorsum irregularis ac rotundatae figurae, penetrabat ad ipsam usque duram matrem; in media parte vulneris incisio inveniebatur, ad mediam partem supercilii dextri decurrens, quae ad dilatandum vulnus atque educenda frusta ossea instituta fuerat. Separatis integumentis communibus, periosteum in ambitu vulneris non multum a statu sano mutatum inveniebatur, porro vulnus ossis se offerebat, ut jam supra memoratum est. Cranio horizontaliter serrae ope diviso, inveniebatur dura mater ubique etiam in ambitu vulneris naturaliter conjuncta cum ossibus; sed, hac membrana separata, in ipso loco laeso erat rubicunda, inaequabilis, incrassata et inflammata; a superiore parte in ipsum processum falciformem intrusum inveniebatur parvum, oblongum, ac inaequabile frustulum osseum latitudinis 2 lin. belg., 1 lin. rhen. atque ab hujus latere apertura rotunda, vel fissura 3 lin. belg., 1 $\frac{1}{2}$ lin. rhen. in dura matre aderat, caeterum omnes hujus membranae partes sanae apparebant. Dura matre dissecta ac separata a reliquis membranis mox uncia una cum dimidia puris occurrebat, imprimis tegentis haemisphaerium sinistrum; minor copia puris in dextro latere, et parva tantum copia in ambitu vulneris praesens erat, sed ipsum haemisphaerium dextrum tegebatur lympha coagulata, flavescentis coloris et semi-pellucida, quae longe minori copia in latere dextro observabatur. Interna superficies durae matris symptomata monstrabat chronicae inflammationis; pia mater atque arachnoïdea et superficies externa cerebri in statu naturali inveniebantur, et praeterea neque in substantia aut ventriculis cerebri, neque in basi cranii aliquid notatu dignum detegi potuit. Integumenta communia ac dura mater etiam asservata sunt.

CLIX. Cranium Viri adulti cum maxilla inferiore. De media ac dextra parte ossis frontis pars utriusque tabulae hujus ossis gladii ope ablata fuit. Margo superior vulneris semi-circularis ferme obliquam, aequabilem sectionem tabulae externae hujus ossis exhibet; oblique dein cernitur secta diploë ac tabula interna; margo autem inferior lineam fere rectam horizontalem inaequabilem quasi fractam monstrat. Distat hic margo a supercilio dextro per 26 lin. belg., 1 poll. rhen.; altitudo vulneris est 32 lin. belg., 1 poll. 3 lin. rhen.; latitudo 50 lin. belg., 1 poll. 11 lin. rhen. apertura in tabula interna juxta marginem inferiorem oblongae est formae; latitudo nimirum = 26 lin. belg., 1 poll. rhen., altitudo 11 lin. belg., 5 lin. rhen.

rhen. Addita est inferior pars fragmenti ablati, in quo utraque tabula deprehenditur, et quo constat, totam partem ablatam oblique in medio fuisse fissam. Circa marginem superiorem vulneris apparent indicia crenam separationis jam fuisse pro parte formatam.

CLX. Pars superior conceptaculi cerebri viri adulti, de cujus parte laterali frustum insigne gladio fuit ablatum. Gladius penetravit fere perpendiculariter os verticis ad distantiam 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen. supra suturam squamosam sinistram atque produxit vulnus longitudinis 83 lin. belg., 3 poll. 2 lin. rhen. ex media parte ossis verticis per suturam coronalem transiens ad os frontis, illudque per longitudinem 20 lin. belg., 9 lin. rhen. percurrens; margo posterior oblique antrorsum, ad suturam inter processum lateralem ossis multiformis et partem squamosam ossis temporis, se extendens ex fractura inaequabilis atque angulosus deprehenditur; margo anterior formatur margine ipso dentato ossis frontis suturam coronalem formante, excepta parva portione, ubi in angulo superiore et anteriore etiam portio quaedam ossis frontis, figurae triangularis, est sublata. Ad ipsam suturam coronalem cernitur in osse frontis foramen corona trepani formatum. Frustum itaque uno ictu gladii ablatum triangularis fere fuit figurae, latitudinis in basi 83 lin. belg., 3 poll. 2 lin. rhen. et altitudinis, 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen.

CLXI. Pars superior cranii militis viginti quinque annorum, in dextro latere gladio vulnerati. Vir fuit temperamenti sanguinei et vegeta sanitate fruens. Die 15 Aprilis 1796 vulnus gladio, acie admodum acuta instructo, inflictum fuit. Hoc ab orbita dextra se oblique extendebat versus partem mediam ossis bregmatis ejusdem lateris, et cum gladius perpendiculariter praeter ossa, etiam ipsam substantiam cerebri ad profunditatem 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen. penetraverat deperdita fuit insignis portio ipsius cerebri; his non obstantibus, tamen ipsa haemorrhagia inde producta, parvi fuit momenti. Hiantis vulneris, tam partium mollium quam durarum, labiis cauta manu appressis, ac sicco primum linteo carpto deligatis, plane nulla insecuta fuere symptomata gravia. Sanguine per venae sectionem detracto mox placido somno fruebatur aeger. Viguit appetitus, vix ulla apparuit febris, modica inflammatio accedebat; mentis hilaritas aegrum non deseruit; nullum organum sensorium fuit laesum, nec ulla mentis functio turbata. Haec ad initium non tantum aegritudinis ita se habuere, verum ad illud tempus usque, quo aeger haemiplegia fuit adfectus; per totum morbi decursum medicamenta ex arte praescripta, aegrotanti fuere propinata, adeo ut nihil in cura defuerit. Inflammationi modicae successit copiosa puogenesis, quae semper benigna ac laudabilis fuit. Inde a die duodecimo ac dein per primas sequentes septimanas minora fragmenta ossea sponte fuere separata et excussa.

Quarta ab inflicto vulnere septimana fragmentum osseum longitudinis 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen. et latitudinis 30 lin. belg., 1 poll. 2 lin. rhen., incisis integumen-

mentis fuit separatum, cujus margines omnes sunt rotundati ex absorptione substantiae osseae, et continet partem suturae coronalis. Sexta hebdomade fungo repletum fuit vulnus, qui ex superficie laesa cerebri, ac interna lamina calvariae propullulabat. Fungus feliciter causticis fuit repressus, nec malis symptomatibus ansam dedit.

Omnia ergo felicem exitum indicare videbantur usque ad finem octavae septimanae, quo tempore, cum aeger non tantum per cubiculum ambulabat, verum et libero aëre utebatur, diaetae vitio et haustu liquoris spirituosi totam oeconomiam turbavit, vulneris habitum corrupit, et dein lente afficiebatur haemiplegia lateris sinistri, sive vulnerato oppositi. Haec in extremitate inferiore incipiens sensim universum corpus affecit, et ad omnia remedia rebellis tandem septimana undecima media ab inflicto vulnere mortem attulit.

Sectione cadaveris constitit cerebrum in latere sinistro totum fuisse sanum, in dextro autem morbose affectum usque ad altitudinem corporum striatorum. Hic illic maculae nigricantes, gangraenosis similes, aderant imprimis ad superficiem laesioni proximam. Non multum puris aderat; nullus ichor, nec pus juxta aut inter cerebri partes descenderat, ita ut circa cerebri basin cuncta fuerint sanissima.

Vulnus in ipso osse frontis ab orbita dextra se extendit per suturam coronalem ad longitudinem 110 lin. belg., 4 poll. 2 lin. rhen.; hujus margo absorptione totus est rotundatus, aequabilis, atque vix separationem tabularum per diploën intermediam demonstrat; ab extrema vulneris parte in osse verticis oblique transiit fractura retrorsum, deorsumque ad longitudinem 45 lin. belg., 1 poll. 9 lin. rhen. et inde rursus petit angulum vulneris prope orbitam; superior portio, ad os verticis pertinens, e sede remota atque extrorsum reflexa ad distantiam 13 lin. belg., 6 lin. rhen. exigua copia calli rursus cum verticis osse fuit conjuncta; et licet utraque tabula in inferiore margine fuerit fracta, ab hac tamen parte in tabula externa conferruminatio locum habuit, quin major copia calli fuerit producta, quam quae requirebatur ad unionem; cum hac relicta portione cohaeserat frustum antea descriptum, ipso ictu procul dubio ab eo diffractum; margines vero fragmenti separati perfecte monstrant inaequabilitates jam fuisse absorptas, et tabulas in loco fisso fuisse unitas. Ipsum frustum ablatum ac descriptum majorem partem vulneris claudit, et minora procul dubio fuerunt fragmenta, quae subinde separata, et deperdita sunt.

CLXII. Cranium absque maxilla inferiore viri adulti; circa mediam partem dextri lateris ossis frontis ipsa tabula externa ictu gladii, integra tamen tabula interna, ad longitudinem 37 lin. belg., 1 poll. 5 lin. rhen. est divisa; margines autem sunt inaequabiles atque se habent aeque ac si acies gladii valde obtusa fuerit. De osse vero verticis sinistri lateris deficit pars insignis; vulnus enim gladii ope inflictum fuit ab osse occipitis antrorsum per mediam partem illius ossis ad longi-

tudinem fere 100 lin. belg., 3 poll. 10 lin. rhen. dum fractura ex angulo anteriore vulneris ad suturam squamosam, et ex posteriori angulo per os occipitis usque ad partem hujus condyloïdeam sinistram se extendit; frustum autem deperditum in sutura lambdiformi ab osse occipitis, et fractura a portione inferiore ossis verticis est separatum; margines valde sunt inaequabiles, in interiore parte parum tantum obliqui demonstrant absorptione eminentias vel inaequabilitates acutiores jam fuisse deletas. Ipsum os occipitis intra fissuram atque suturam lambdiformen, porosa ab exteriore, et ab interiore cariosa deprehenditur, adeo ut procul dubio abscessus hic adfuerit inter duram matrem atque ipsum os.

CLXIII. Pars superior cranii militis, 28 Aug. 1799 glande plumbea ad os verticis sinistrum vulnerati. Quamvis primo momento mentis plane impos prosternebatur, tamen sat cito ad se rediit, atque decem vel duodecim diebus praeterlapsis Nosocomium Militare ingrediebatur. Licet vulnus integumentorum non magnum fuerit tamen ipsum cranium esse laesum facile constabat; quamvis nulla perturbatio alicujus functionis observaretur, tamen stupidus videbatur aeger; de tempore in tempus exfoliatione fragmenta ossea separabantur; mense vero Octobris ad finem vergente, excrescentia fungosa cum pure liquidiore se manifestabat, atque quarto die Novembris detegebatur frustum globi plumbei ossi inhaerere, quod nulla ratione ab osse separari atque eximi potuit; corona trepani auferebatur portio ossis globum continens, atque in ipsa apertura nunc facta tabulam internam, fungoso carne tectam, fuisse superstitem constabat; primo et altero die post operationem satis bene se habuit, atque pus laudabile ex vulnere prodibat; tertio vero die conquerebatur de cephalalgia et ipsa dura mater intumescebat. Insequente die cephalalgia quam maxime erat adaucta cum dispositione biliosa, quae symptomata, debitis remediis administratis, plane cessabant; sed insequente die symptomata denuo ingravescebant, et accedebant dolores atroces in nucha, dorso ac humeris. Dura mater magis spongiosa et nigricantis coloris observabatur, pus malae notae effluebat, et aeger valde erat debilis, accedebant delirium, atque convulsiones, et nono ab operatione die moriebatur aeger. Sectione cranii instituta, inveniebatur pericranium in circumferentia vulneris ad magnam distantiam esse gangraenosum et a cranio separatum; partem tabulae internae ossis fuisse solutam, intropressam, sed rursus cum cranio conjunctam. Meninges cerebri et ipsum hoc organon ad profunditatem aliquot linearum et ad superficiem 131 lin. belg., 5 poll. rhen. gangraena erant affectae. Ipsa gangraena durae matris extendebatur per superiorem partem canalis medullaris, ad sextam usque vertebram colli. Magnitudo vulneris in ipso cranio = 41 lin. belg., 1 poll. 7 lin. rhen., ipsius anterior pars ovalis est figurae, posterior autem coronae trepani circulum offert. In fundo cernitur tabula interna intropressa, externa tota sublata; in ambitu vulneris conspicitur pars necrosi affecta et crena jam pro

par-

parte separata, dum reliquum os aspectum cariosum offert; ubi conceptaculum ab interiore inspicitur apparet tabulae internae partem majorem fuisse separatam, atque per distantiam 4 lin. belg., 2 lin. rhen. intropressam, sed rursus calli copia minima a parte suturae sagittalis cum reliqua tabula interna conjunctam. Margines caeterum totius hujus fragmenti sunt rotundati et aequabiles; ab inferiore parte distat vero ab osse, ibique hoc plus minus cariosum videtur.

CLXIV. Fragmentum cranii militis Gallici triangularis fere figurae, latitudinis 70 lin. belg., 2 poll. 8 lin. rhen. et longitudinis in maxima distantia 60 lin. belg., 2 poll. 3 lin. rhen. ut videtur ossis verticis sinistri cum portione suturae coronalis, gladii ictu separatum. Margines sunt inaequabiles, partim caesi, partim diffracti. Corona trepani in anteriore margine fuit applicata; addita sunt duo minima fragmenta et circulus osseus corona trepani separatus; ex vulnere periit aeger.

CLXV. Cranium cum maxilla inferiore omnibusque dentibus militis, in sinistro latere globo sclopetario laesi; totum os jugale cum processu zygomatico ejusque sustentaculo in osse maxillari ablata sunt, unde vertex ossis maxillaris, os unguis ac planum etiam diffracta sunt; periit quarto die post acceptum vulnus. Addita sunt fragmenta corporis ossis jugalis, processus zygomatici et ossis maxillaris.

2°. *Trepanatione.*

CLXVI. Cranium cum maxilla inferiore militis, cujus conceptaculum cerebri horizontaliter serrae ope divisum est; ex ictu obliquo globi sclopetarii circa angulum mastoïdeum ossis verticis dextri, utraque tabula hujus ossis in plura fragmenta fuit fracta, ad quae tollenda corona trepani fuit applicata, sed aeger altero ab operatione die periit. Addita sunt fragmenta et circulus corona trepani separatus.

CLXVII. Portio utriusque tabulae alicujus ossis conceptaculi cerebri, corona trepani separata, ipsa substantia tabulae internae valde est porosa et inaequabilis.

CLXVIII. Fragmenta quatuor tam solius tabulae externae quam hujus cum interna conjunctae ossium calvariae post trepanationem separatae; additus est circulus corona trepani ablatus. Aeger fuit sanatus.

3°. *Amputatione.*

CLXIX. Tibia et fibula dextri lateris militis juvenis, mortui duodecimo die post amputationem.

Fibulae margo absorptione deletus est. Tibiae autem margo inchoatae necro-

sis superficialis sensibilem separationem offert. Cavitas medullaris nullam subiit mutationem (1).

CLXX et CLXXI. Tibia et fibula sinistri lateris viri triginta annorum, decimo sexto die post amputationem mortui. In fibula vix ulla mutatio observatur. In tibia ad faciem posteriorem cernitur prima crenae origo, quae potissimum ossei marginis integritate distinguitur. Superficies ossis reliqua, inde a crena, porosa reddita, nonnihil erosa videtur ex chronica inflammatione. In facie anteriori egit fissuram obliquam, ibique longe magis erosa est haec superficies, dum ab hac parte crena formari non coepit (2).

CLXXII et CLXXIII. Tibia et fibula sinistri lateris viri mediae aetatis, decimo octavo die post amputationem mortui. Margo exterior emortuus nullam mutationem passus est, nisi quod particula marginis fibulae jam deleta sit. Crena definita locum futurae separationis indicat, sed ipsa separatio aegre tantum fuit enchoata et longe minus quam in praecedentibus speciminibus, forte ex vi vitali languente. Ex chronica inflammatione corrosa rursus est reliqua superficies (3).

CLXXIV. Os femoris sinistri lateris viri viginti sex annorum, vigesimo quarto die post amputationem mortui. Crena est definita, et superficies ossis superiora versus ex chronica inflammatione erosa; prima vestigia laminae callosae deinde effundendae observantur (4).

CLXXV et CLXXVI. Tibia et fibula sinistri lateris, hominis mediae aetatis, quarum partes inferiores, ad distantiam transversae manus infra insertionem ligamenti patellae, amputatione sunt ablatae. In Tibia crena tota jam formata, nigrescentis coloris ab actione aëris atmosphaerici, ab anteriori et laterali interna parte magis quam in praecedentibus speciminibus, absorptione partis intermediae, a viva parte separata est. Ex inflammatione periostei superficies ossis parum est erosa. In fibula crena simili ratione non tantum formata, sed pars de externa superficie jam ablata cernitur; erosio in superficie ossis paulo major quam in ipsa tibia observatur.

CLXXVII. Femoris dextri lateris juvenis pars superior, amputatione parte inferiore ablata. Non tantum crena et quidem satis lata hic plenarie est formata, sed absorptione partis constat, necrosin profundiorem hic locum habere. Extrema ossis pars incolumis tegitur tenui lamina callosa, quae a posteriore jam satis crassa deprehenditur. (Epiphyses hujus ossis sunt separatae).

CLXXVIII et CLXXIX. Tibiae et fibulae dextri lateris partes superiores, juvenis viginti et unius annorum, die trigesimo primo post amputationem mortui. In

(1) Conf. P. G. VAN HOORN, *de iis, quae in partibus membri, praesertim osseis, amputatione vulneratis, notanda sunt.* Lugd. Bat. 1803. Tab. I. fig. 1 et 2.
(2) Ibidem, Tab. I. fig. 3 et 4. (3) Ibidem, Tab. I. fig. 5.
(4) Ibidem, Tab. I. fig. 6.

In tibia annuli ossei emortui portio, fere tota quanta soluta adhuc lateri interno adhaeret; in ambitu extrema pars circumdatur callo noviter formato, qui et prodiit ex substantia cellulari ossis, unde cellulae plurimae valde imminutae, aliae jam penitus clausae sunt. In fibulae extremo simile quid observatur, sed major pars annuli emortui separandi, fere ubique separata, superest.

Hic juvenis, postquam per quatuor menses jam aegrotaverat, die 29 Julii 1802 in Nosocomium Militare recipiebatur; ex relatione vero certa diagnosis praegressi morbi formari non poterat, eo vero tempore laborabat febre continua remittente, pes dexter insigniter tumebat, isque tumor se supra malleolos extendebat, nec durus, nec male coloratus erat, sed compressione dolebat; conquerebatur de pondere insigni pedis, quem elevare ipse non poterat, ab alio vero elevatus dolebat vehementer; interne et externe debita medicamenta administrabantur. Insequente die fluctuatione ad dorsum pedis detecta, incisione evacuabatur insignis quantitas materiei saniosae, et nunc cura suscipiebatur ut in abscessu, per metastasin producto, convenit. Insequentibus diebus ad diversas partes et dorsi et plantae pedis fluctuatione detecta quinque incisionibus insignis copia saniei evacuabatur, et his non obstantibus tamen tumor pedis non imminuebatur; licet effluens pus sensim melioris evaderet notae, tamen vires sensim sensimque peribant; febris antea remittens in continuam transibat cum sudore colliquativo ac diarrhaea, adeo ut amputatio unicum adhuc superstes remedium ad plenariam sanationem obtinendam videretur. Die 25 Aug. 1802 haec operatio itaque instituebatur ad distantiam quinque transversorum digitorum infra genu. Deligatione jam facta, haemorrhagia insequebatur, quae tamen facile sisti potuit, quum fuerit venosa. Quarto ab amputatione die sub deligatione insignis sensilitas in membro amputato detegebatur: nono die omnes ligaturae erant solutae, atque tremor antea observatus imminutus erat. Aeger in meliori conditione versabatur, sudores et diarrhaeae colliquativae non observabantur; febris erat remittens, cum remissione longiori quam antea; appetitus redibat, et somnus tranquillus erat; omniaque felicem exitum indicare videbantur; die vero 18 Septembris querebatur de cephalalgia, appetitu dejecto ac vomituritione, quae symptomata sympathica considerabantur, et hanc ob causam varia derivantia et cruri amputato, aliisque partibus applicabantur; omnia vero erant irrita, cephalalgia perdurabat et febris in continuam mutabatur; quamvis omnia remedia ad symptomata illa nervosa debellanda fuerint administrata, die 25 Septembris 1802 moriebatur aeger.

CLXXX. Os humeri juvenis octodecim annorum, sexta post amputationem septimana mortui. Extremum ossis protuberantia callosa cingitur, quae fere ad superiorem ossis partem adscendens, sensim eo tenuior est, quo magis ab extremo recedit: medio loco extremitatis lamina, ex necrosi profunda separanda, sed nondum vacillans, conspicitur, cujus limbus extremus non

est

est mutatus, reliqua superficies est erosa (5).

CLXXXI. Scapula, clavicula, atque ossis humeri pars superior dextri lateris, ablata amputatione parte inferiore post vulnerationem articuli cubitus, viri qui antea morbo venereo laboraverat. Juxta totam fere longitudinem ossis humeri insignis copia calli morbosi, forte ex latente adhuc labe venerea, effusa cernitur, unde crassities ossis imprimis in extremo amputato maxime tumet; cavitati medullari inhaeret fragmentum osseum totum jam solubile. Amputatione facta, propter urgentia symptomata a vulnere sclopetario in articulatione cubitus producta, autumno anni 1799, partium mollium sanatio quidem sequebatur circa mensis Januarii insequentis finem, sed symptomata morbosum callum indicantia super erant, donec, mense Aprilis ad finem vergente, corripiebatur febre acuta nervosa, qua plures eo tempore milites in Nosocomio laborabant, et initio mensis Maji 1800 moriebatur (6).

CLXXXII. Ossis femoris sinistri lateris viri adulti pars major, ablata amputatione parte inferiore. Tota superficies externa ab extremitate ad trochanteres usque callo morboso obsessa est, superstitibus plurimis foraminibus, diversae magnitudinis ad meditullium ossis penetrantibus. Necrosi profunda emortua tota pars interna ad longitudinem 196 lin. belg., 7 poll. 6 lin. rhen. ex theca illa callosa separari valet.

CLXXXIII. Ossis femoris dextri lateris pars superior, amputatione ablata parte inferiore. Lamina inferior serra tacta et necrosi affecta pro parte separata est: Margo sequens calloso annulo sursum tendente, inaequabilis est. Callus luxurians sex mensium spatio, quo amputationi supervixit aeger, formatus, tribus massis a se invicem liberis conspicitur, quarum duae majores ab interiore sitae, ex aspera linea ossis femoris enatae videntur, atque cum ea adhuc cohaerent; tertiae vero ut et duae aliae minores alterius massae majoris propagines fuerunt atque solutae ab osse sunt. Calli indoles sana est, non tamen valde solida, verum periit aeger, antequam natura calli formationem absolverat.

Dubitandum an hae massae callosae non potius fuerint productae inter partes molliores et casu cohaereant cum ipso osse. Post amputationem ex lege artis institutam, cum sanissimus fuit miles omnia ad sanationem cum exfoliatione laminae, serra tactae, videbantur disposita, sed brevi post, ad partem potissimum inferiorem et lateralem tumor mollis elevabatur, sensim durior evadens; hic continuo auctus, ut in insignem molem excresceret, tandem ex integumentis foras prorumpens a parte inferiore et anteriore, in malignum ulcus, ichorem proferens, degenerabat, donec post sex menses ab instituta amputatione, ichore resorpto, miserrime aeger peribat (7).

CLXXXIV.

(5) Conf. P. G. VAN HOORN, l.l. Tab. I. fig. 7 et 8.
(6) Ibidem, Tab. II. fig. 3, 4 et 5.
(7) Ibidem, Tab. II. fig. 1 et 2.

CLXXXIV. Fragmentum osseum necrosi separatum ex femoris amputati superficie interna; serra non aequaliter fuit promota, sed os potius abruptum fuit; caeterum in hoc crure nulla alia exfoliatio locum habuit, sed feliciter sanatus est aeger.

CLXXXV. Fragmentum circulare, sive margo inferior, separatum ab osse femoris post amputationem. Facies inferior, serra tacta non mutata est, sed superior et lateralis denticulata de superficie ossis externa recessit (8).

CLXXXVI. Fragmentum marginis inferioris separatum ab osse femoris post amputationem. Facies inferior plane non est mutata, sed ostendit strias impressas a serrae denticulis, dum superior inaequalis, denticulata, erosa, a superficie ossis interna recessit (9).

CLXXXVII. Fragmentum osseum longitudinis 110 lin. belg., 4 poll. 2 lin. rhen. necrosi post amputationem separatum ab osse femoris; margo inferior impressiones, denticulis serrae factas manifeste monstrat; superficies externa ossis marginem inferiorem cingens, parum affecta videtur, tota vero reliqua superficies, quae ab interna superficie ossis recessit, inaequabilis, erosa deprehenditur.

CLXXXVIII. Margo inferior integer, ab osse femoris post amputationem separatus. Superficies serra tacta tota immutata superest, imo monstrat, ultimam partem fuisse diffractam. Necrosi interna superficies ossis inaequabiliter fuit affecta, unde ad inaequalem altitudinem separatum fuit hoc fragmentum; superficies ab ossis facie interna separata erosione inaequabilis est.

CLXXXIX. Fragmentum cylindraceum separatum ab osse femoris post amputationem, longitudinis 75 lin. belg., 2 poll. 10 lin. rhen. Margo inferior pro parte intacta superest, pro parte vero emollitione ac absorptione mutatus cernitur. In parte superiore cylindri detegitur adhuc portio superficiei externae ossis, quae tamen jam novi formati calli indicia monstrat; caeterum tota superficies est erosa, inaequabilis ut in praecedentibus speciminibus.

CXC. Fragmentum simile cylindraceum ab osse femoris post amputationem necrosi separatum, longitudinis 110 lin. belg., 4 poll. 2 lin. rhen. Marginem inferiorem totum immutatum superesse constat ex impressionibus denticulorum serrae, atque inaequali parte posteriore partim fractura soluta; ipsam ablationem ossis primo paulo altius inceptam fuisse, anterior hujus marginis superficies monstrat. Tota fere interna superficies ossis necrosi fuit affecta, partes vero laterales ab interiore et posteriore fissura a se invicem distinguuntur; caeterum omnis superficies soluta de reliquo osse erosa, ac inde inaequabilis se manifestat.

CXCI. Fragmentum osseum longitudinis 105 lin. belg., 4 poll. rhen. necrosi post amputationem separatum a tibia; marginis autem inferioris, serra tacti,

(8) Conf. P. G. van Hoorn, l. l. Tab. I. fig. 10. (9) Ibidem, Tab. I. fig. 9.

tacti, non nisi tertia pars superest; caeterum prioribus simile est hoc fragmentum.

CXCII. Fragmenta duo, quorum alterum est longitudinis 111 lin. belg., 4 poll. 3 lin. rhen., a superficie interna ossis humeri post amputationem separata. Margo inferior in frusto majori praesens nigricantis est coloris, caeterum omnia se habent ut in praecedentibus speciminibus (10).

CXCIII et CXCIV. Tibiae et fibulae dextri lateris extrema inferiora militis, cujus pedes postquam gelu constricti fuerant, sphacelo afficiebantur et sponte a parte viva separabantur. Quamvis per biennium sanatio diverso modo fuisset tentata, tamen ob praesentem cariem ad cicatrisationem vulnera perduci non potuerunt, sed amputatione utriusque cruris instituta brevi sanatus est aeger. Extrema inferiora callo aspero ac quasi folioso quam maxime tumefacta in inferiore superficie ad parvam distantiam supra articulum monstrant cellularem ossium telam emortuam, in ambitu separatam ab ambiente callo; hinc imprimis in tibia, intervallum quoddam in toto ambitu inter ossis extremum emortuum atque callum noviter productum observatur.

CXCV. Tibiae et fibulae sinistri lateris ejusdem militis similia extrema; callo extrema inferiora sunt conjuncta, atque fibula tota sanata apparet, in tibiae vero extremo eadem observantur quam in praecedentibus speciminibus.

CXCVI. Extremum ossis humeri dextri lateris aegri, quarto mense, ab instituta amputatione praeterlapso ex morbo febrili mortui. Margo osseus necrosi affectus separatus est; extremum ora callosa cingitur et parum tumet; os reliquum sanum est et canalis medullaris ad dimidium clausus (11).

CXCVII. Extremum ossis femoris dextri hominis adulti, post amputationem feliciter sanati; calloso margine cingitur et canalis medullaris jam clausus est (12).

CXCVIII et CXCIX. Tibiae et fibulae dextri lateris hominis adulti partes inferiores, ablato amputatione prope articulum pede. Totum extremum inferius parumper tumens et minima copia calli sanatum ac clausum est. Reliqua autem ossium pars minus sana videtur quam in praecedenti specimine.

CC. Tibiae ac fibulae dextri lateris extremum superius hominis adulti post amputationem per multos annos feliciter sanati; callosa ora valde firma, in posteriori facie parum luxurians conjunxit extrema ossium inter se, canales medullares toti sunt clausi (13).

CCI. Tibiae ac fibulae finistri lateris, hominis adulti, extremum superius post amputationem feliciter sanatum. Haec ossa levissima ac tenera circa extrema inferiora valde extenuata, inter se sunt juncta, utriusque ossis canalis medullaris est clausus, sed extremum tibiae per 30 lin. belg., 1 poll. 2 lin. rhen. prominet infra fibulam, novi vero calli formati vix indicia apparent, nisi in parte ubi concre-

(10) Conf. P. G. VAN HOORN, l. l. Tab. I. fig. 11. (11) Ibidem, Tab. I. fig. 12 et 13.
(12) Ibidem, Tab. I. fig. 14. (13) Ibidem, Tab. I. fig. 15 et 16.

creverunt. Insignem absorptionem substantiae osseae in utroque hoc osse locum habuisse manifeste apparet.

CCII. Ossa carpi, metacarpi ac digitorum manus dextrae hominis adulti. Digitus medius globo e sclopeto emisso fuit ablatus, atque os metacarpi indicis fractum; plene sanatus fuit aeger, ac dein ex diarrhaea periit.

Fractura ossis metacarpi novo callo effuso fuit sanata, ita ut, licet cohaereant extrema, tamen de solutione adhuc manifeste constet; extremum ossis metacarpi superstes etiam diffractum fuisse videtur, sed fragmenta rursus inter se fuerunt concreta; extremum autem ipsum valde est extenuatum.

CCIII. Sceletum Simiae, quae, crure dextro fracto a calcitrante equo, sibi morsu laesum membrum amputavit, et vulneris sanationem per tres annos supervixit.

Fractura tibiae circa mediam ipsius longitudinis partem videtur locum habuisse, fibulae vero paulo magis superiora versus. Tibiae extremum valde est extenuatum atque acuminatum, non vero concrevit cum fibula. Tota articulatio genu periit, patella atque extrema ossium genu imminuta, formam naturalem amiserunt. Ut procederet solebat pedem sinistrum posteriorem transversim deponere atque sanato vulnere omni, aeque ac in statu sano, alacritate gaudebat.

4°. *Necrosi ossis.*

CCIV. Pars inferior ossis femoris sinistri lateris, viri quadragintorum annorum. Post sphacelum cruris et partium mollium femur ambientium, extremum inferius hujus ossis necrosi fuit correptum in tota superficie articulari, et majori parte condyli interni. Inchoata separatio est partis vivae ab emortua, quam absolvere non potuit natura, cum aeger febre hectica consumptus periit. Luculenter ex hoc specimine patet, separationem partis emortuae sic fieri, ut particulae de parte viva subducantur, dum ossis extremum primum emollitur, intumescit ac dein resorbetur.

CCV et CCVI. Tibia et Fibula dextri lateris hominis adulti.

CCVII et CCVIII. Tibia et Fibula sinistri lateris ejusdem hominis; sphacelo procul dubio uterque pes affectus fuit, atque partim ope serrae, partim in articulatione tibiae et tali, emortuae partes separatae sunt. In extremis quatuor horum ossium manifeste cernitur separatio partis superstitis sphacelo correptae a parte viva, atque novi calli effusio in extremitatibus vivis.

CCIX. Ossis humeri pars inferior cum cubiti, carpi, metacarpi pollicis, indicis, ac minimi digiti ossibus, dextri lateris militis Hanoverani. Laesis per globum sclopetarium integumentis et musculis manus, in carpo et metacarpo vulnus mali moris evasit, cum aegritudo biliosa invaderet; extincto fere principio vitali in vulnere, omnia quasi diffluere ac pessimum odorem, nullo modo tollendum, spargere incipiebant. Necrosi affectis ossibus, ac sphacelo musculis, digiti medii

sua sponte fuere separati, altera ante mortem hebdomade. Omnium harum partium secessiq continuo augebatur adeo ut tandem pollex, index ac digitus minimus cum carpo tantum per musculorum tendines emortuos cohaererent; omnia ossa metacarpi ac carpi, superficiebus articularibus ossium navicularis et lunati exceptis, carie ubique erosa sunt; in eodem statu versantur os metacarpi pollicis ac primi ordinis digiti indicis, cujus lamina externa necrosi periit, atque a subjacente partim jam separata observatur. Extrema articulationis radii et ulnae, ubi junguntur cum carpo etiam emortua deprehenduntur, initia vero separationis partis emortuae a viva manifeste apparent.

CCX. Tibiae sinistri lateris hominis adulti pars superior. A calcitrante equo crure laeso, caries in tibiae superficie interiore fuit producta. Lamina tabulae externae ossis in loco laeso emortua, in ambitu a reliquo osse jam separata est; totum vero os etiam morbose affectum fuisse, manifeste constat.

CCXI et CCXII. Radius atque Ulna dextri lateris juvenis. Ulna in media parte diffracta fuit atque tota pars inferior necrosi est affecta; extrema fracturae sunt rotundata atque indicia praebent secretionem calli jam inchoatam fuisse, quemadmodum tenuis crusta callosa etiam pro parte extremum inferius emortuum jam tegit. Epiphysis inferior tota deperdita est. In radio simili ratione apparet in ambitu ossis emortui etiam novum callum jam fuisse productum, relictis hinc illinc majoribus vel minoribus foraminibus. Extremum superius est sanum, epiphysis inferior etiam secessit.

Egregie hoc specimen demonstrat primam formationem calli postquam necrosi os quoddam est adfectum.

CCXIII. Tibia et fibula sinistri lateris militis Hanoverani. Vulnerata tibia per globum e sclopeto emissum, magna portio hujus ossis per necrosin separata fuit; periit vero aeger post nonum ab inflicta plaga mensem e febre hectica. Major portio tibiae necrosi affecta ac tota quanta separata cernitur, callo vero noviter producto inclusa tenetur, ita ut per intervalla diversa, callo non oppleta, emortuum os conspiciatur.

Addita sunt nonnulla fragmenta antea jam separata.

CCXIV. Tibia et fibula sinistri lateris hominis adulti. In parte superiore mox infra caput superius cernitur interna superficies corporis ossis emortua per longitudinem 144 lin. belg., 5 poll. 6 lin. rhen. In ambitu tota haec lamella ab osse vivo jam separata est, luxurians quasi callus circumdat partem emortuam, imo in inferiori parte speciem thecae format. Externa superficies partis necrosi affectae quatenus denudata fuit nigrescit, atque hac in parte pluribus foraminibus arte factis, ad separationem a parte viva promovendam, pertusa cernitur.

CCXV. Os humeri cum scapula atque clavicula sinistri lateris hominis adulti.

To-

Totum corpus ossis necrosi affectum ab omni cohaesione liberatum in media parte conspicitur. Callus noviter productus ac valde durus emortuam partem includit, licet in toto ambitu plura supersint foramina, duo tamen reliquis majora fere totam internam superficiem occupant. Ipsum caput superius, quod totum solutum fuit a corpore ossis, nunc rursus, novo callo producto, reliquo ossi adnexum, situm suum naturalem amisit, ita ut ipsius superficies articularis vix ultra lineam perpendicularem ossis promineat; in vertice capitis, ut et in superficie articulari scapulae levia indicia enatae etiam cariei se monstrant.

CCXVI et CCXVII. Tibia et fibula sinistri lateris hominis adulti, serrae ope ablatis capitibus superioribus. Necrosi affecta cernitur pars media tibiae ex vulnere sclopetario oblique ei inducto. Ipsa portio emortua ossis, longitudinis 157 lin. belg., 6 poll. rhen., corona trepani saepius fuit perforata ad separationem incitandam, sed aegri vires suppurationi perferendae fuerunt impares. Pondus ac latitudo ossis circa partem necrosi affectam callo producto valde sunt auctae. Callus vero nondum superficiem anteriorem ossis emortui tegit, sed lateraliter magis explicatus fuit, unde, exposito toto osse mortuo actioni aëris atmosphaerici, hoc nigricantem colorem contraxit. Fibula etiam monstrat vestigia novi producti calli.

CCXVIII. Os femoris dextrum hominis adulti, qui necrosi in diaphysi ossis laboravit, sola extrema ossis in statu sano supersunt, caeterum corpus ossis totum inaequabile, rugosum, spinis quasi complanatis obsessum, ac variis in locis pertusum se offert, dum partes bene multae ossis emortui in diversis locis intra callum noviter productum per foramina adhuc conspiciuntur.

CCXIX. Ossa pollicis pedis sinistri, quae ob cariem in anteriore parte ossis metatarsi ex causa externa obortam, atque insanabilem, sectione adeo felici ablata sunt, ut aegra post decem septimanas sanata fuerit. In superiore atque anteriore parte ossis metatarsi insignis pars exesa, os ipsum ab interiore fistulosum et in tota superficie externa valde porosum est. Ipsae superficies articulares sunt affectae.

CCXX. Fragmentum osseum longitudinis 133 lin. belg., 5 poll. 1 lin. rhen. exfoliatione solutum a tibia dextri lateris puellae sex annorum. Haec puella sana et vegeta gravi contusione laedebatur in crure dextro prope articulationem pedis, brevi, ulcere enato, os juxta totam longitudinem hujus fragmenti denudatum erat, atque ichorosa materies copiose ex ulcere effluebat, post aliquot tempus febre hectica corripiebatur, qua vires omnes perire videbantur; post novem tamen menses exfoliatione separabatur hoc frustum, atque nunc tota facies ulceris, antea sordida atque maligna, mutabatur; pus bonae notae producebatur, callus antea jam productus, sed adhuc mollis, brevi consistentiam debitam acquirebat; febris hectica evanescebat, vires restituebantur, ita ut brevi sanata fuerit puella.

CCXXI. Lamina ossea longitudinis 105 lin. belg., 4 poll. rhen. exfoliatione separata a tibia, laeso antea per globum e sclopeto projectum periostio.

CCXXII. Fragmentum osseum longitudinis 52 lin. belg., 2 poll. rhen. separatum ab interna superficie ossis humeri, globo plumbeo pertusi; exiit hocce fragmentum per canalem vulneris fere sanati.

CCXXIII. Fragmentum osseum separatum ab externa superficie tibiae hominis robusti ac sanissimi. Post gravem contusionem tibiae sinistri lateris ulcus producebatur notabile atque hinc denudatio ossis sequebatur; intra spatium vero quatuor septimanarum exfoliatio hujus fragmenti locum habuit, atque aeger brevi fuit sanatus.

CCXXIV. Pars capitis ossis humeri necrosi, laesis antea partibus mollibus per globum e sclopeto emissum, separata.

CCXXV. Fragmentum osseum longitudinis 52 lin. belg., 2 poll. rhen. ac latitudinis 26 lin. belg., 1 poll. rhen. exfoliatione separatum a tibia juvenis viginti et unius annorum, qui post contusionem levem, sat cito in ulcus mutatam, corripiebatur febre gastrica cum gangraena in parte ulcerosa, ita ut sexto mense tandem haec ossis portio exfoliatione separarctur.

CCXXVI. Fragmentum osseum longitudinis 124 lin. belg., 4 poll. 9 lin. rhen. et latitudinis 33 lin. belg., 1 poll. 3 lin. rhen. separatum a tibia juvenis octodecim annorum; qui ex contusione gravi per quinque menses, ulcere gangraenoso laboraverat.

CCXXVII. Fragmenta tria, quorum unum longitudinis 91 lin. belg., 3 poll. 6 lin. rhen. exfoliatione admodum superficiale, separatum est a tibia viri adulti.

CCXXVIII. Fragmentum longitudinis 250 lin. belg., 9 poll. 7 lin. rhen. necrosi separatum a tibia viri robusti. Portio hujus fragmenti, longitudinis 61 lin. belg. 2 poll. 4 lin. rhen. offert totum cylindrum ossis; superficies externa tota est integra, posterior atque interna est erosa.

CCXXIX. Fragmentum longitudinis 144 lin. belg. 5 poll. 6 lin. rhen. necrosi separatum a superficie tibiae viri adulti.

CCXXX. Fragmentum, longitudinis 92 lin. belg., 3 poll. 6 lin. rhen. separatum, ut videtur, post fracturam complicatam ab osse humeri viri adulti. In superficie cernitur jam callum noviter productum fuisse.

CCXXXI. Fragmentum ossis, ejusdem longitudinis procul dubio post fracturam complicatam separatum: tribus in locis arte perforatum fuit ad separationem promovendam.

CCXXXII. Fragmenta quatuor, quorum duo totum cylindrum ossis referunt, separata necrosi post fracturam complicatam ossis femoris hominis robusti.

CCXXXIII. Fragmenta duo separata a superficie interna tibiae.

CCXXXIV. Fragmentum separatum a tibia.

CCXXXV. Fragmenta quatuor, quorum unum longitudinis 157 lin. belg., 6 poll. rhen. necrosi separata, ut videtur, a tibia viri adulti: fragmentum majus sistit tres quartas partes totius cylindri ossis.

CCXXXVI. Fragmenta duo separata ab osse pene ultimo, nec non ultimus phalanx pollicis, separata panaritio.

CCXXXVII. Sedecim fragmenta diversae longitudinis exfoliatione separata a superficiebus diversorum ossium longiorum.

CCXXXVIII. Particula tibiae trepano separata, ut extraheretur globus plumbeus, qui per plures menses in cavo tibiae haeserat. Aeger feliciter fuit sanatus.

CCXXXIX. Pars inferior ossis humeri cum radio atque ulnâ sinistri lateris militis Hanoverani. Per globum e sclopeto emissum diffracta ulna, pars ipsius ulnae exfoliatione deperdita est, unde distant extrema per distantiam 20 lin. belg., 9 lin. rhen., inter se vero extrema sunt conjuncta callo producto ex superficie radio opposita, ita tamen, ut in posteriore superficie plenarie constet, qualis pars fractura ossis fuerit deperdita.

CCXL. Eadem ossa dextri lateris cum carpi ossibus primi ordinis militis Hanoverani. Per globum sclopetarium diffracta ulna, atque laesus fuit radius. Ulnae fractura callo sanata est, sed per necrosin pars radii fuit separata ac expulsa, novumque quasi os ex callo factum in locum separati appositum est.

CCXLI. Fibula sinitri lateris militis Hanoverani. Laesa per globum e sclopeto emissum ad superficiem fibula, pars totius ossis per necrosin separata et expulsa fuit, quae dein per callum egregie fuit restituta. Latitudo ossis circa inferiorem partem copia insigni calli fuit aucta, media vero in parte latitudo est imminuta, et licet callus fuerit admodum durus, post mortem tamen hac in parte totum os rursus fuit diffractum.

CCXLII. Sceletum Canis Molossi. Maxilla inferior cariem monstrat notabilem enatam post inflictum vulnus gladio.

Fracturae simplices.

CCXLIII. Costa spuria dextra Equi circa mediam fere partem fracta. Extrema fracturae sunt rotundatae ac in ambitu os emollitum cernitur.

CCXLIV. Pars inferior costae spuriae diffractae Equi, margines acuti fracturae perierunt, parva tamen portio necrosi affecta, crena jam formata, nondum plenarie est soluta; caeterum totum extremum in ambitu fracturae emolitum ac porosum cernitur.

CCXLV. Costa vera dextra Equi, media in parte diffracta. Acutus margo fracturae rotundatus est, atque in ambitu fracturae tenuis lamina callosa, noviter generata atque valde adhuc porosa, observatur.

CCXLVI. Costa dextra diffracta Equi; extrema fracturae circumdantur crusta callosa, quae in parte superiore crassior est ex copiosiori callo, ibi secreto quam in inferiore; superiori parti inhaerent etiam fragmenta parva emortua, nondum plenarie soluta.

CCXLVII. Scapula dextra hominis adulti media in parte diffracta, sive potius perforata a globo ab hac parte e corpore egresso; foramen est irregularis figurae, ejus maxima longitudo = 52 lin. belg., 2 poll. rhen. In margine fracturae vix quaedam mutatio observatur, quum procul dubio brevi post acceptum vulnus periit aeger.

CCXLVIII. Scapula dextra hominis adulti, a globo sclopetario media in parte foramine quodammodo ovali pertusa; margo foraminis in utraque superficie, imprimis vero in interna, limbo tenui a callo recentissime producto cingitur.

CCXLIX. Portio costae sinistrae Bovis, quae transversaliter fuit fracta; margines fracturae manifesta indicia praebent absorptionis ac emollitionis ossis; callo autem, ex sola cellulari parte ossis producto, conjuncta sunt extrema, dum in externa et interna superficie dentatus margo omnino apparet, licet tamen firmiter fractura sanata sit.

CCL. Costae dextrae Bovis pars major, quae media in parte oblique fuit diffracta; ipsa vero fractura plenarie est sanata, ita ut nonnisi leve vestigium illius supersit.

CCLI. Costae Bovis pars, quae antea fuit diffracta, et cujus crassities eo in loco a producto callo parum est aucta.

CCLII. Costae sex cum parte columnae vertebrarum Ovis. Quinque costae fuerunt diffractae, ut manifeste apparet, dum extrema rursus callo producto crassitie adaucta, ac inter se conferruminata sunt.

CCLIII. Femoris os dextrum hominis adulti, quod in parte inferiore fuit diffractum; extremum superius anteriori superficiei inferioris partis incumbit, et reunio diffractarum partium plenarie obtinuit, adeo ut longitudo non multum fuerit imminuta, et inferior pars parum oblique introrsum sit posita.

CCLIV. Femoris os sinistrum hominis robusti, media in parte diffractum, extrema vero rursus firmiter inter se concreta sunt cum curvatura ossis in anteriora.

CCLV. Os Femoris dextrum hominis adulti circa extremum inferius, ad distantiam duorum transversorum digitorum supra articulationem genu, olim diffractum. Inter se extrema diffracta rursus sunt ferruminata, sed inferior pars retro superiorem fuit collocata, hinc a posteriore apparet prominentia satis insignis, in superficie spinosa.

CCLVI. Femoris os dextri lateris hominis adulti, quod media in parte olim fuit diffractum; frusta diffracta juxta se invicem per longitudinem 105 lin. belg., 4 poll. rhen. secesserunt, atque firmiter, non tamen magna copia calli, inter se de-

denuo concreta sunt; extrema ossium in loco diffracto plenarie clausa observantur.

CCLVII. Pars major superior ossis femoris dextri, hominis adulti antea in corpore ossis diffracti; reunio partium obtinuit imposito extremo superiore oblique antrorsum extremo inferiori.

CCLVIII. Tibia sinistri lateris hominis adulti, quae transverse diffracta fuit, sed ea ratione sanata est, ut ex parum prominente callo, de fractura antea praesente, tantum constet.

CCLIX. Tibia sinistri lateris hominis adulti, quae valde oblique diffracta fuit; extrema inter se firmiter callo interposito sunt concreta, sed parva superest fissura, cujus margines quidem valde rotundati sunt, sed quae callo nondum est repleta.

CCLX. Tibia sinistri lateris hominis adulti, quae infra mediam partem longitudinis fuit diffracta, non vero perfecte extrema sibi invicem fuerunt imposita, sed parum oblique; hinc extremum inferius retro superius prominet; et ejus cavitas medullaris quidem angustata non vero clausa est.

CCLXI. Tibia dextri lateris hominis adulti; ad eamdem fere altitudinem olim diffracta; extremum inferius exteriori lateri partis superioris fuit appositum eique accretum. Inter extremitates, callo junctas, medio loco fissura longitudinalis superest. Cavitates medullares penitus sunt clausae.

CCLXII. Tibia et fibula sinistri lateris hominis adulti. Utrumque hoc os parum oblique infra mediam partem olim fuit fractum; lateraliter extrema diffracta inter se sunt juncta et callo duo ossa etiam concreta. Prominent in loco fracturae nonnullae spinae osseae.

CCLXIII. Tibia et fibula dextri lateris hominis adulti, ad eamdem altitudinem antea diffracta, ea vero ratione sursum extrema sunt concreta, ut linea tibiae parum sit curvata; trabecula ex callo firmo ac duro inter se ossa cohaerent, et ex posteriore superficie fibulae prominent in loco antea diffracto processus notabiles ex callo luxuriante inter ipsos musculos effuso. Malleolus externus etiam anchylosi est junctus cum tibia.

Fracturae compositae.

CCLXIV. Conceptaculi cerebri hominis adulti pars superior, sectione horizontali ab inferiore parte separata. Os verticis sinistrum in angulo sphaenoïdali in varias partes diffractum est; altera fissura terminatur ad suturam sagittalem, altera per coronalem suturam transiens in osse frontis desinit. In externa et interna superficie fissurae immutatae supersunt, adeo ut aeger brevi post acceptam laesionem periisse videatur.

CCLXV. Cranium militis absque maxilla inferiore. Globus plumbeus per-

foravit os verticis sinistrum ubi cum squamoso osse jungitur, simulque diversas in cranio produxit fissuras; ex his una partem mediam ossis verticis transit, atque ad suturam sagittalem terminatur, altera nexum hujus ossis cum squamosa parte ossis temporis diffregit, et fere per totum os frontis horizontaliter transiit. Tertia transiit partem squamosam nec non articulationem pro maxilla inferiore, diffregit totam partem petrosam et portionem ossis occipitis, quae nectebatur cum parte mammillari.

In opposito latere diffregit partem squamosam, processum zygomaticum, partem petrosam ac portionem processus lateralis ossis multiformis. Dupliciter fissum est os occipitis, ubi adnectebatur parti mammillari ossis temporis, atque angulus mastoïdeus ossis verticis dextri a reliquo osse etiam diffractus invenitur. Globus ipse semicomplanatus intra conceptaculum inventus atque asservatus est. Perierunt fragmenta penitus soluta.

CCLXVI. Cranium militis Russi cum maxilla inferiore globo sclopetario A°. 1799 diffractum. Omnia ossa, quae ad nasum et nares internas pertinent, sunt diffracta; maxillarium ossium partes, quae palatum durum ac processum alveolarem constituunt, solae supersunt, ab omni nexu liberae atque retrorsum sitae. Cum toto osse cribriformi deficit etiam basis ossis multiformis. Os occipitis, diffractis ossibus temporum inter partes squamosas ac mammillares, in sutura lambdiformi a cranio totum est solutum, eique adhaerent ossa mammillaria ac petrosa; pars ossis occipitis, quae cum osse verticis dextro fuit conjuncta, etiam ablata est. Sutura lambdiformis numerosissimis ossiculis Wormianis quasi duplex est. Totum hoc caput ponderosum valde ac durum est. Gravissimam hanc laesionem aeger per octo horas supervixit.

CCLXVII. Cranium pueri undecim annos nati, cum maxilla inferiore.

Puer hic lapsu muri aedificii vetustissimi graviter vulnerabatur; praeter vulnus integumentorum in vertice capitis, in osse verticis sinistro, atque ei adjecta parte ossis frontis insignis detegebatur cranii depressio, ex diversis fragmentis constans, cum fissura processum lateralem ac pterygoïdeum ossis multiformis transeunte. Aderat praeterea fractura ossis femoris sinistri cum dilaceratione integumentorum, ac musculorum adductoris longi femoris, gracilis et sartorii. Post applicationem coronae trepani in media parte ossis verticis, elevatorii ope attollebantur diversa fragmenta depressa; superstite vero alio fragmento cerebrum valde comprimente, quod elevari non potuit, altera vice corona trepani applicabatur, eo cum effectu, ut quinque reliqua fragmenta nunc removeri potuerint; his vero peractis, gravis haemorrhagia, ut videbatur ex laeso sinu longitudinali, oriebatur, et tandem ad se redibat aeger, qui hactenus mentis non compos fuerat; deligationibus ex arte applicatis atque remediis propinatis, quae bene assumebat, primis horis satis tranquillus fuit, dein vero de tempore in tempus mens fuit alie-

na-

nata; conquerebatur de gravi dolore in locis laesis; accedebat vomitus assumtorum; inquietudo; difficilis deglutitio; tumor faciei, ac hora vigesima post acceptas laesiones moriebatur. In cranio invenitur foramen circulare diametri 52 lin. belg., 2 poll. rhen. et praeterea foramen trepano productum. Margines omnes sunt acutissimi et introrsum magis diffracti; praeterea adest memorata fissura.

CCLXVIII. Cranium viri quinquaginta annorum, absque maxilla inferiore, verticaliter serrae ope divisum, diffractum lapsu trabis.

Vulnus dilaceratum integumentorum ac musculi temporalis subjacentis observabatur ad latus dextrum cranii; ipsum vero pericranium non laesum videbatur, neque ullum aderat signum fracturae vel fissurae cranii; alterum vulnus integumentorum minoris momenti aderat in vertice; tertium vulnus inveniebatur in latere sinistro circiter ad eamdem altitudinem quam in opposito, cum laesione pericranii ac fissura insigni cranii, utramque tabulam penetrante. Haemorrhagia aderat gravis, et licet primo momento aeger non compos fuerit mentis, brevi tamen ad se redibat, et vomitu reddebat unc. viij vel x sanguinis, quem procul dubio deglutiverat. Post aliquot horas se manifestabant symptomata soporosa, et mox trepanatio instituebatur ad mediam partem marginis inferioris ossis verticis; qua insignis sanguinis copia supra duram matrem effusi, nec minor quantitas hujus liquoris post dissectam hanc membranam prodibat; sanguine illo educto multum levamen persentiebat aeger, et nunc plane mentis reddebatur compos; cerebrum ac ipsius membranae videbantur inflammatae; et, deligatione facta, debita remedia propinabantur. Altero ab operatione die querebatur de cephalalgia, atque subinde delirabat; insequente die haec imminuebantur post evacuationem materiei sanguinolentae ex naribus. Quinto die febre laborabat atque valde erat defatigatus, ita ut loco remediorum antiphlogisticorum propinaretur decoctum Cort. Peruv. cum radice Valerianae. Die decimo febris erat adaucta cum copiosiori sudore, caeterum nullae turbae in aliis functionibus observabantur, quem in finem remediis praescriptis addebatur Elix. acidum Halleri. Per quindecim insequentes dies symptomata sensim increscebant, et die vigesimo quinto post operationem moriebatur, postquam ultimis diebus de dolore gravativo supra orbitam dextram conquestus fuerat. Sectione cadaveris invenicbatur coagulum sanguinis ad magnitudinem ovi gallinacei supra orbitam dextram, se retrorsum supra basin cranii extendens. Sinus longitudinalis erat disruptus et abscessus reperiebatur ad insertionem musculi sterno-cleidomastoïdei. Fractura perpendiculari divisum est os temporis sinistrum, meatus auditorius, nec non os verticis usque ad angulum posteriorem et superiorem. Margo foraminis corona trepani producti vix mutatus observatur.

CCLXIX. Fragmentum ossis verticis militis obliquo ictu globi sclopetarii per $1\frac{1}{2}$ lin. depressum, atque dein separatum; absque ullo symptomate gravi aut dubio sanatio perfecta locum habuit. Pro parte hoc fragmentum constat ex utraque tabula, pro parte vero ex sola tabula externa.

CCLXX. Pars ossis frontis atque verticis dextri lateris. Violentia externa circa suturam coronalem os frontis laesum fuerat, atque fissura arcuata in tabula externa, stella vero in tabula interna producta; hinc portio ossis, fere circularis, diametri 40 lin. belg., 1 poll. 6 lin. rhen., emortua in utraque superficie egregie distinguitur ab ambientibus partibus vivis; crena separationis fere penitus in ambitu formata est, et vivas partes a mortuis separat, sed quum paucis in locis in externa superficie ea absorptio nondum locum habuerat, exfoliatio adhuc fuit prohibita.

CCLXXI. Cranium Militis Angli cum maxilla inferiore. Globo sclopetario ramus horizontalis dexter maxillae inferioris in varia frusta fuit diffracta, deperditis bicuspidato dente altero et sequentibus duobus molaribus. Marginis inferioris fragmenta supersunt, reliqua vero sunt deperdita.

Brevi post acceptum vulnus videtur periisse.

CCLXXII. Cranium cum maxilla inferiore hominis adulti; a latere dextro menti diffracta fuit maxilla, hanc vero fracturam insecuta est caries, qua parva portio maxillae cum duobus dentibus incisoribus adhuc separata est. Margines fracturae sunt rotundati, atque ipsa maxilla in ambitu porosa.

CCLXXIII. Pars posterior ossis maxillaris superioris cum inhaerente dente molari juvenis octodecim annorum, quae per globum sclopetarium fuit separata. Globus ad processum mastoïdeum ingressus, ex ore exiit. Nulla symptomata molesta fuerunt observata, et tertia septimana aeger sanatus nosocomium reliquit.

CCLXXIV. Cranium hominis adulti, sectione horizontali apertum, cum maxilla inferiore. Utrumque os nasi, atque processus nasalis ossis maxillaris fuit diffractum, ipsa vero haec fractura parva copia calli ea ratione sanata est, ut vix ulla difformitas supersit.

CCLXXV. Femur sinistrum Russi globo sclopetario in collo fractum. Intravit globus anteriorem partem colli, destruxit totam internam substantiam, ac diffregit parietem posteriorem; fragmenta vero de novo cum collo sunt concreta, margines omnes rotundati, atque infra vulnus in anteriore parte calli quaedam copia est generata. Post secundum ab accepto vulnere mensem periit aeger ex febre putrida, atque sectione cadaveris inveniebatur globus sclopetarius in collo ossis femoris.

CCLXXVI. Femur dextrum in anteriore superficie mox supra articulationem genu globo sclopetario perforatum. Ipse globus in cavitate medullari invenitur, firmiter infixus parieti posteriori, quem diffregit in varia fragmenta extrorsum propulsa, sed conjuncta inter se et cum inferiore parte ossis tenui, ac porosa valde lamina calli; in posteriore superficie supra locum laesum parva copia calli porosi etiam praesens observatur. In anteriore superficie a loco laeso sursum tendit fissura, ad mediam fere ossis partem se extendens, ibique etiam tenuissima crusta calli effusa est.

CCLXXVII. Pars inferior ossis femoris dextri; globus sclopetarius videtur con-

dy-

dylum externum oblique ab anteriore ad posteriora transiisse; pars superficiei articularis est ablata, ac foramen, per quod transiit, observatur, dum simul ab anteriore et exteriore fissura in superficie ossis apparet. In toto ambitu laesionis tenuissima ac cellularis substantia ossis apparet, simulque constat, eam absorptione jam fuisse emollitam, ac partim ablatam.

CCLXXVIII. Tibia sinistra hominis adulti ad distantiam transversae manus infra genu in plura fragmenta fracta. Extrema diffracta egregie probant mutationem, quam subeunt ossa post fracturam; laminae plures necrosi affectae jam sunt solutae, exceptis fragmentis minoribus, quae tamen crena, absorptione producta, distinguuntur; caeterum variis in locis apparet, formationem calli jam fuisse inchoatam. Novem fragmenta tota dissoluta addita sunt, quae omnia plus minus tenui lamina ex callo producta, teguntur. Patella etiam asservata tota est sana.

CCLXXIX. Femur sinistrum hominis adulti infra trochanterem majorem in plura fragmenta globo sclopetario fractum. Pars superior ex collo et trochantere majori constans actionem vasorum lymphaticorum in extremis diffractis egregie monstrat, hinc atque illinc parva fragmenta emortua ossis separanda, cum fissura in anteriore superficie observantur; in parte altera eadem apparent, sed simul ex cavitate medullari et in ambitu fracturae callus jam propullulat; unum ex fragmentis et quidem maximum, quod etiam asservatum est, callo producto ab exteriore tegitur.

CCLXXX. Tibiae ac Fibulae sinistri lateris, hominis junioris, partes superiores cum patella. Tibia inter tuberculum pro insertione ligamenti patellae et superficiem articularem genu tota est commolita, dum fissuris duo fragmenta, sat magna, partim de superficie externa sunt separata. Caput superius ab omni fere crusta duriori externa orbatum manifeste probat, absorptione hanc fuisse consumptam, imo ipsam superficiem articularem partim hac ratione jam esse deletam. Ipsum caput fibulae nondum intactum relictum est, absorptionis etiam ab interiore monstrat indicia. Patella autem est sana.

CCLXXXI. Tibiae dextrae hominis adulti extremum superius ac inferius, commolito toto corpore ossis, et fisso extremo inferiore. In extremo superiore imprimis apparent primae mutationes, quas subeunt ossa fracta, ac separatio tenuissimarum lamellarum a superficie externa, quae necrosi affectae sunt.

CCLXXXII. Ossis femoris hominis adulti pars inferior tota commolita; fissum nimirum est ipsum os in parte media, adeo ut condyli a se invicem sint dissoluti. Margines omnes emortui jam crenam separationis exhibent. Patellae superficies articularis etiam est laesa.

CCLXXXIII. Pars superior ossis femoris dextri, hominis adulti, ad aliquam distantiam infra trochanteres oblique diffracti; extremum inferius emortuum fere totum jam separatum est a reliqua parte; levia etiam adsunt indicia secreti calli.

CCLXXXIV. Ossis femoris dextri, hominis adulti, pars inferior; in plura

frag-

fragmenta diffractum fuit hoc os, ad distantiam transversae manus supra genu. Absorptione substantiae osseae porosum non tantum cernitur in ambitu laesionis, sed etiam multum sursum, simulque etiam constat calli formationem in plurimis locis, absorptione primo mutatis, inchoatam fuisse. Fragmentum satis magnum ab anteriore parte separatum, callo etiam tegitur.

CCLXXXV. Ossis femoris dextri, hominis adulti, pars superior major, fractura separata de parte inferiore; obliquam ac compositam fuisse fracturam manifestum est; pars satis insignis extremitatis diffractae necrosi fuit affecta, ac crena separationis egregie cernitur, dum calli parva copia circa ipsam crenam secreta observatur.

CCLXXXVI. Ossis femoris dextri pars major inferior, in plura fragmenta supra genu diffracti, ac fissi in anteriore superficie. Insignis portio necrosi affecta a superficie posteriore, imprimis partis superioris, jam crena pro parte a viva separata est. Pars inferior sive condyloïdea inaequabilis, porosa se offert, imo fere omnis superficies articularis est deleta. Callus parca copia fuit separatus.

CCLXXXVII et CCLXXXVIII. Tibia et Fibula sinistri lateris hominis adulti. Tibiae extremum inferius partim est commolitum, superstite tantum parte de superficie posteriore. Laminae necrosi affectae partim jam sunt separatae, partim vero adhuc cum superstite viva parte cohaerent. In fragmento inferiore egregie apparet externae superficiei aliquando parvam tantum portionem necrosi affici, sed hanc introrsum se longe magis extendere, ac dein simili ratione separari. Fibula ad eamdem altitudinem etiam fuit diffracta, atque extrema emortua jam separari coeperunt; majori quantitate callus hic praesens est, quam in tibia.

CCLXXXIX. Ossis femoris sinistri, hominis adulti, pars major inferior, ablata fractura parte superiore. In extremo diffracto egregie apparet processus naturae ad partem necrosi affectam a parte viva separandam.

CCXC. Ossis femoris sinistri, hominis adulti, pars superior, in anteriore superficie globo sclopetario laesa, ac fissa in varia frusta, ita tamen ut cohaereant adhuc invicem. Fissura 130 lin. belg., fere 5 poll. rhen. longa in posteriori superficie conspicitur, ac alia transversa ab exteriore adest. A superficie anteriori lamina quaedam, necrosi affecta, tota quanta jam est separata, atque superficiei satis acquabili, in ambitu circumdatae margine prominente ex callo, a superiore inhaeret parvus globulus plumbeus. De marginibus fissurae etiam partes jam separatae videntur.

CCXCI. Femoris ossis dextri pars magna superior; diffractum fuit hoc os parum infra trochanterem minorem cum commolitione notabilis partis; de parte superiore exfoliatione jam solutae fuerunt omnes partes emortuae, ac extenuatus apex est, ex quo callus prodire incepit. Simili ratione extenuata cernitur pars altera, sed hic exfoliatio interna emortuae partis nondum penitus est absoluta; callus vero ex marginibus fere ubique jam prodiit.

CCXCII.

CCXCII. Pars inferior ossis humeri dextri ad aliquam distantiam supra articulationem cubiti diffracti in plura fragmenta. Actio vasorum absorbentium in ipsa ossa atque fragmenta, quae fuerant soluta, egregie apparet, atque terminos constituit inter partes emortuas separandas, ac vivas; ipsum extremum inferius magis apparet porosum quam superius.

CCXCIII. Extremum inferius ossis humeri dextri, hominis adulti, fractura in parte media corporis a parte superiore separatum. In ipso extremo fracturae cernitur a parte interiore parvam portionem necrosi esse affectam, atque partim jam separatam, caeterum in ambitu fracturae callus jam prodiit.

CCXCIV. Os humeri sinistrum hominis adulti, circa extremum inferius diffractum; perierunt plura fragmenta, atque utrumque extremum fracturae cariosum aspectum offert, parti superiori adhuc parva lamella necrosi affecta, fere soluta adhaeret.

CCXCV. Os humeri cum radio atque ulna sinistri lateris hominis adulti, in extremitate inferiore fractum; utraque pars ossis cariosa est; substantiae ossis sat magna portio deperdita est, atque caries penetravit intra ipsam articulationem cubiti; hinc non tantum superficies articularis ossis humeri, sed caput radii et ulnae etiam affectum est.

CCXVI. Os humeri medio loco dissectum, atque radius et ulna sinistri lateris juvenis viginti sex annorum, diffracta partim articulatione ossis humeri cum capite radii atque ulnae, globo sclopetario.

Globus a parte olecrani articulationem intravit, atque in flexura cubiti exiit, hinc non solum commolita erant ossa cubiti hac in parte, verum partes molles quam maxime erant dilaceratae, ad magnitudinem duarum palmarum: altera post acceptam laesionem hebdomade, quum Nosocomium Militare intrabat, aeger valde erat debilitatus; pulsus vix percipiebatur, mollis erat ac parvus; appetitus dejectus, insomnia, exacerbatio febris nocturno tempore, sudor copiosus, in dies leve delirium; et his non obstantibus, bono erat animo.

Utrumque vulnus gangraena humida affectum, multum puris cum ichore sanguinolento effundebat; totum brachium erat tumefactum, atque ex erysipelate rubebat; a parte inferiore et interiore parva apertura aderat, quae videbatur rursus sanari, et manus oedemate tumebat.

Debitis remediis tam interne quam externe administratis, erysipelas brachii brevi disparebat, sed aegri conditio quotidie in pejus ruebat. Gangraena itaque terminata, die decimo octavo post acceptum vulnus, amputatio in media parte humeri instituebatur, ut unicum remedium ad servandam vitam aegrotantis superstes. Vulnus hac operatione productum bene se offerebat, sed tamen aliquid puris videbatur ab interiore intra telam cellulosam retineri. Licet remedia ad vires aegri resuscitandas administrarentur, altero tamen die hae maxime erant im-

imminutae; accedebat singultus, vomituritio; stillicidium materiei ichorosae ex vulnere, atque die tertio moriebatur.

Dissectione partis amputatae constabat, nullibi partes dissectas inter se esse conglutinatas, et sinum quemdam adscendere ad superiorem usque partem tricipitis musculi; condylus externus cum capitulo pro articulatione radii totus est diffractus. Ulnae et radii caput superius totum diffractum disparuit; in utroque hoc osse, plurimum vero in radio circa extrema diffracta partes ossium emortuae parva crena sunt separatae. In ipsa sectione ossis humeri amputatione facta nihil observatur, ne quidem margines sunt rotundati.

CCXCVII. Ossis humeri sinistri, hominis adulti, pars inferior, quae ad aliquam distantiam ab articulatione cubiti diffracta fuit; perierunt nonnulla fragmenta, alia necrosi affecta fere tota jam soluta, calli quadam copia in ambitu producta partim teguntur.

CCXCVIII. Clavicula dextra sana, atque sinistra diffracta ac degenerata militis Hanoverani quadragintorum annorum.

A globo ferreo, ex tormento expulso, qui prope humerum transierat, laesis cute atque partibus mollibus ad summum humerum ac claviculam sitis, clavicula ipsa nulla ratione laesa visa fuit, nullumque adeo aut cariei aut necrosis vestigium apparuit; et plaga ingens post sex fere menses fuit sanata, atque cicatrice tecta. Postquam miles Nosocomium reliquerat ebrius in asserem prominentem incidit, et, clavicula nunc diffracta, iterata vice, ad Nosocomium rediit, atque die decimo a lapsu moriebatur.

Caput posterius claviculae, quod scapulae adnectitur, maxime est tumefactum, et antrorsum perforatum fuit ex deperditione procul dubio partis per necrosin, atque hoc in loco nunc diffracta fuit; in inferiore superficie adhuc indicia necrosis supersunt.

CCXCIX. Clavicula hominis adulti in tres partes diffracta. Caput cum scapula nectendum sanum apparet; oppositum vero carie fere penitus consumtum; pars intermedia maxime est tumefacta, atque tota rugosa.

CCC. Ossis femoris sinistri hominis adulti pars major superior, serrae ope ablata parte inferiore; globo sclopetario infra trochanterem majorem oblique in plura fragmenta hoc os diffractum, ipsiusque collum fissum fuit. Per sat longum tempus hunc aegrotantem ipsae laesioni supervixisse, manifestum videtur ex mutationibus, quas jam subierunt partes diffractae: omnia enim extrema, duobus tantum exceptis, necrosi affecta exfoliatione jam sunt separata; fragmentum quoddam callo anteriori superficiei inter trochanteres rursus est adnexum; interiora autem partis superioris dubium relinquunt, an non ipse globus huic parti aliquamdiu inhaeserit; quemadmodum margo superioris partis cingitur callo valde poroso, sic similis, sed majori copia observatur in parte inferiore, ipsaque cavitas medullaris hîc repleta callo videtur. Quatuor fragmenta satis magna adsunt,

quae

quae plus minus sunt porosa, inaequabilia, atque in marginibus pro parte novo callo formato teguntur.

CCCI. Os femoris sinistrum hominis robusti, infra mediam partem oblique diffractum in plura fragmenta. Parvae tantum supersunt laminae necrosi affectae, atque adhuc solvendae; a parte superiore insignis lamella superficiei externae exfoliata videtur; cavitas medullaris maximam partem repleta est callo, se extendente etiam in ambitu superficiei exfoliatae; in parte inferiore margines etiam effuso callo sunt ampliati; ipsa vero cavitas medullaris hujus partis cariosa videtur. Fragmenta soluta perierunt.

CCCII. Os femoris dextrum circa inferiorem partem oblique fractum cum amissione substantiae osseae. A parte superiore exfoliatio alicujus partis necrosi affectae jam obtinuit, adhaerente adhuc alia parte solvenda. Cavitas medullaris callo oppleta cernitur, qualis etiam ex posteriore superficie notabili copia prodiit. Extremum ossis inferius in medullari cavitate fragmentum osseum, separatum a superficie externa, necrosi affectum, continet, quod calli ope ei adnexum videtur; cellularis enim substantia partim callo jam est repleta, quemadmodum etiam ubique circa margines generatio calli locum habuit. Fragmenta nonnulla soluta perierunt.

CCCIII. Extremum inferius ossis femoris sinistri lateris hominis adulti, ad altitudinem transversae manus supra genu oblique diffractum. Licet extremitatis fractae pars necrosi adfecta adhuc supersit, tamen limbo crasso, ex callo noviter generato, extremum totum cingitur.

CCCIV. Os femoris sinistrum hominis adulti cum amissione substantiae osseae, transversim diffractum, ad aliquam distantiam supra genu; ex extremitatibus valde porosis, in toto ambitu productus est callus, qui substantiae nimis cellularis videtur.

CCCV. Os femoris sinistrum hominis adulti fractura valde obliqua in superiore parte divisum. In parte superiore margines fracturae necrosi affecti, fere sunt soluti; e cavitate autem medullari prodiit calli sat magna copia, qui fungose quasi ultra superficiem ossis juxta totam longitudinem fracturae prominet. In parte inferiore margines fracturae necrosi affecti simili fere ratione sunt separati a parte viva; infra fracturam ex superficie posteriore ossis callus prodire incoepit.

CCCVI. Os femoris dextrum hominis adulti ad aliquam distantiam supra genu in plura fragmenta diffractum; a parte superiore et inferiore exfoliatione jam partes nonnullae solutae videntur, atque callus circa extrema diffracta prodiit. Fragmenta autem tria tota quanta ipsa fractura dissoluta, effuso callo inaequabilia ac tuberculosa sunt, ex his duo inter se juncta sunt; margines vero eorumdem necrosi affecti crena separationis facile a reliquis partibus distinguuntur.

CCCVII. Os femoris sinistrum ejusdem hominis infra trochanterem diffractum.

Partis superioris extremum ab omni parte emortua separatum circumdatur sat magna copia calli. Extremum partis inferioris monstrat margines fracturae primo fuisse rotundatas, et totum illud extremum dein, ad longitudinem fere 78 lin. belg., 3 poll. rhen., necrosi fuisse affectum; ubi vero necrosis terminata, et absorptione magna crena fuit producta calli generatio etiam observatur, et licet multum deorsum se extendat, tamen longe minori copia adest quam in parte superiore. Additum est fragmentum quod exfoliatione a parte interna ossis solutum videtur.

CCCVIII. Os femoris dextrum hominis adulti infra trochanterem minorem in diversa fragmenta diffractum. Fragmenta duo sat longa cum parte superiore novo producto callo rursus sunt conjuncta, ac speciem vaginae constituunt, qua continebatur extremum partis inferioris, ex cujus superficie etiam callus fuit productus, qui quidem cum callo superioris partis in contactu venisse videtur, sed tamen nondum conjunctus est. Margines diffracti, necrosi affecti, nondum adhuc plenarie a partibus vivis fuerunt separati.

CCCIX. Portio ossis femoris diffracti, hominis adulti; extremitatis diffractae cavum medullare pro parte jam clausum est, callo producto ex ipso extremo; exteriori atque interiori superficiei adnexa calli ope sunt duo fragmenta, quae a superficie ossis secesserant, dum excrescentiae, a callo inter musculos effuso, totam hanc partem deformem reddunt.

CCCX. Portio corporis ossis femoris, longitudinis 180 lin. belg., 6 poll. 10 lin. rhen. necrosi affecta, atque in toto ambitu rugosa ac inaequabilis; portio quaedam aëri atmosphaerico fuit exposita, ut etiam ex colore satis apparet, atque huic parti corona trepani fuit applicata, ad solutionem promovendam.

CCCXI. Fragmenta quatuor fractura composita ab osse separata et necrosi affecta, quae egregie probant modum, quo pars emortua a viva separatur.

CCCXII. Os femoris dextrum hominis adulti circa mediam partem in plura fragmenta diffractum; licet fragmenta duo in obliqua positione cum osse rursus concreverint, tamen unio inter duas majores ossis partes non locum habuit; Necrosi affectae partes diversae extremitatum diffractarum adhuc erant solvendae.

CCCXIII. Ossis femoris dextri hominis adulti pars major, ablato serrae ope extremo inferiore. Corpus ossis in tres partes diffractum fuit; callus circa superficies diffractas enatus fragmenta inter se conjunxit tali modo, ut pars superior cum inferiore extrorsum angulum faciat. Callus texturae valde cellularis apparet, spinas atque rugositates plures offert, et in interna parte apparent fragmenta minora necrosi affecta, nec tota soluta a reliquis partibus.

CCCXIV. Ossis femoris sinistri pars major, ablata serrae ope extremo superiore infra trochanteres; corpore media in parte, globo sclopetario, in tres partes diffracto, unio partium sat cito obtinuit, ita tamen, ut pars superior oblique extrorsum ante partem inferiorem posita, interventu fragmenti longi-

gitudinalis a latere interiore oblique dispositi, concreverit cum inferiore ossis parte. Suppuratione copiosa vires aegrotantis sensim sunt imminutae, atque quinto mense post acceptum vulnus marasmo periit. A latere interiore infra fracturam foramen invenitur, ad cavum medullare penetrans, ac callo circumdatum, cui procul dubio per aliquot tempus adhuc inhaesit globus, vel aliud corpus heterogeneum.

CCCXV. Os femoris dextrum hominis adulti, ablatis serrae ope condylis inferioribus. In quatuor fragmenta infra trochanteres disruptum fuit corpus ossis globo sclopetario; pars superior cum inferiore, interventu duorum fragmentorum, plures pollices longorum, sub angulo fere recto, callo non admodum abundante, rursus concrevit. Extremum partis inferioris superiori quasi oblique intrusum, necrosi affectum, neque separatum est.

CCCXVI. Os femoris sinistrum hominis adulti in parte superiore antea in quinque fragmenta diffractum. Concreta rursus sunt extrema diffracta sub angulo valde acuto, antrorsum prominente, interventu calli circa margines fragmentorum enati. In cavitate medullari cernitur fragmentum necrosi affectum, ac penitus solutum.

CCCXVII. Pars superior ossis humeri sinistri militis; globo sclopetario corpore ad parvam distantiam infra caput diffracto, unio partium satis cito obtinuit; sed, quum ex copiosa suppuratione marasmo afficiebatur aeger, amputatio in articulo humeri fuit instituta, atque brevi dein sanatus est. Magna pars ossis fuit deperdita, hinc cavum medullare totum apertum ab exteriore et interiore cernitur, atque carie affectum videtur.

CCCXVIII. Os humeri cum scapula sinistri lateris, militis Hanoverani, extenso brachio, globo plumbeo e sclopeto emisso, infra caput superius hujus ossis vulnerati. Os humeri a transeunte globo diffractum, superstite canali, egregie rursus ferruminatum est. Globus ubi scapulam attigit stimulo suo substantiae osseae augmentum excitavit, cum autem descendit ad scapulae apicem, pressione continua cavum sibi formavit amplum, quod absorbtione substantiae osseae tandem perforatum est. Mortuo vulnerato ex diarrhaea, vigesima fere septimana post acceptum vulnus, cavo in scapula formato globus adhuc recondebatur.

CCCXIX. Tibia et fibula dextri lateris militis, in crure globo plumbeo vulnerati. Utrumque hoc os diffractum fuit versus partem inferiorem. Fractura fibulae simplex fuit, atque rursus sanata est. Tibia vero in plura fragmenta fuit fissa, quae quidem callo sunt conjuncta, sed medio loco cavum superest, quo reconditur adhuc globus plumbeus semi-complanatus.

CCCXX et CCCXXI. Tibia et fibula dextri lateris hominis adulti, a transeunte globo plumbeo tibia in superiore parte fuit diffracta, fragmenta vero rursus ferruminata sunt, ita tamen, ut via, quam transiit, adhuc superstes sit. Cal-

lus primo tempore secretus, crena admodum porosa ab ipsis ossibus, et a callo dein formato, atque duriori rursus separatus observatur. Fibula cum tibia calli ope fuit nexa in loco laeso, sed haec unio post mortem est disrupta.

CCCXXII. Tibia et fibula dextri lateris hominis adulti. Tibiae extremum superius a corpore diffractum, neque cum eo rursus conferruminatum est. Exfoliatione perierunt margines omnes necrosi affecti, qui hac ex causa, nec non proceunte callo obtusi se manifestant. Separatum etiam fuit fragmentum oblongum et quodammodo triangulare ab anteriore parte tibiae, in quo eadem observantur, quamvis huic adhuc adhaereant parva fragmenta necrosi affecta. Capitis anterior superficies cariosa videtur.

CCCXXIII. Tibia et fibula sinistri lateris hominis adulti, in crure vulnerati. Tibiae corpus circa partem inferiorem, fibula vero circa caput superius fuit diffracta, utraque fractura rursus ferruminata est. Corpus vero tibiae ad longitudinem 165 lin. belg., 6 poll. 4 lin. rhen. necrosi fuit affectum, neque penitus adhuc solutum. Ipsius superficies valde est rugosa, scabra, et circumdatur pro parte callo inaequali, cellulosae texturae, qui in posteriore superficie, ubi adfuit fractura, paulo durioris est consistentiae.

CCCXXIV. Ossa tarsi et metatarsi cum extremitatibus inferioribus tibiae et fibulae. Globus plumbeus diffregit calcanei tuber, atque commolivit superficiem articularem, qua cum talo jungitur; hinc caries fuit producta in talo atque naviculari osse, imo capita inferiora tibiae et fibulae etiam ea affecta sunt; globus plumbeus, pro parte complanatus, inhaeret adhuc extremo calcanei pone os cubiforme.

CCCXXV. Tibia cum fibula dextri lateris hominis adulti. Utrumque os ad aliquam distantiam ab articulatione cum talo diffractum fuit; extremis in debita positione nondum collocatis concretio partium ea obtinuit ratione, ut tibiae et fibulae extremum concreverit cum inferiore parte solius fibulae, atque tibiae extremum superficiei internae fuerit adjunctum. Cavum medullare inferioris partis tibiae, nondum clausum, offert in media parte portionem necrosi affectam.

CCCXXVI. Radius et ulna dextri lateris hominis adulti. Globo plumbeo utrumque hoc os in plura fragmenta, infra articulationem cubiti fuit disruptum; miro modo omnia illa fragmenta callo rursus inter se concreta sunt, unde latitudo in hac parte fere duplo major est quam in statu naturali; inter se concreverunt radius et ulna.

CCCXXVII. Os femoris sinistrum cum tibiae superiore parte et patella hominis adulti. In media fere parte corporis globo plumbeo diffractum fuit femur, et interventu fragmentorum, callo nexorum, extrema rursus sunt ferruminata; extremitates vero ipsae proprie non in contactu venerunt, sed cavitates medullares penitus sunt clausae; alteri adhuc inhaeret pars globi plumbei. Callus hic satis copio-

piose productus, est durus atque compactus, unde ponderosum est ipsum os; ex obliqua positione partis superioris longitudo valde est imminuta; pseudo-anchylosi cohaeret femur cum tibia.

CCCXXVIII. Os femoris sinistrum hominis adulti, cujus inferior pars ad parvam a genu distantiam fuit diffracta; pars superior ante partem inferiorem descendit, et sic extrema inter se sunt concreta, ut cavitates medullares penitus sint clausae, fragmento partis anterioris oblique posito, et in margine rursus ope calli cum vicinis partibus nexo. Minima copia calli omnia sunt juncta. Superficies articulares, tam genu, quam capitis femoris, indicia offerunt illas articulationes morbo etiam fuisse affectas. Totum os levissimum est.

CCCXXIX. Femoris os dextrum hominis adulti. Corpus in media parte fuit diffractum, extrema ante et pone se invicem recesserunt, et callo compacto atque duro cohaerent. Extremum superius in apicem acutissimum terminatur; in media parte ab anteriore retrorsum adhuc canalis superest, sed omnia tamen probant diu sanatam fuisse hanc fracturam; ex situ perverso extremorum, ossis longitudo valde est imminuta.

CCCXXX. Ossis femoris dextri hominis adulti pars superior. Globus sclopetarius intravit trochanterem majorem ab exteriore, in collo vero ossis substitit et diffregit ipsius partem anteriorem; fragmenta rursus callo sunt juncta, et licet prope collum quidem ab altera parte apertura supersit, interiora tamen trochanteris probare videntur, diu ipsum globum ossi inhaesisse.

CCCXXXI. Ossa pelvis cum utroque femore junioris hominis, globo sclopetario vulnerati. Tuber ossis ischii dextri pro parte fuit ablatum, pro parte diffractum, ita ut globus videatur oblique ab exteriore ad interiora transiisse, dum femur sinistrum ad longitudinem transversae manus infra trochanteres etiam diffractum fuit. Fragmentum superius descendit ante inferius, et intermedio fragmento satis longo conjuncta sunt tria fragmenta: callus est valde cellularis, neque debitae duritiei. In osse ischio vix calli indicia adsunt.

CCCXXXII. Os femoris sinistrum hominis adulti olim diffractum in superiore parte corporis, quae tamen fractura cum positione parum obliqua extremorum ossis firmiter fuit sanata. Corpus vero ossis infra fracturam necrosi affectum, atque copioso callo durissimo circumdatum fuit; a parte fracturae et prope articulationem genu, foramen superest, per quod necrosi affecta pars cernitur, horum superius canalem refert descendentem, callo formatum, inferius, limbo ex callo prominente cinctum, oblique adscendit. Tota superficies externa est inaequabilis, multis magnitudinis diversae tuberculis atque spinis quasi obsessa; os ponderosissimum atque latitudine multum auctum deprehenditur.

CCCXXXIII. Tibia et fibula militis a calcitrante equo media in parte diffractae, die 21 Maji 1794. Postquam per decem dies ex loco in locum transferri

debuerit, minimè mirandum, extrema diffracta a se invicem saepius recessisse, vicinasque partes molles, ictu graviter contusas, totas quantas fuisse deletas. Ab utroque latere fracturae hinc abscessus producebantur, qui aperti primo humorem copiosum sanguinolentum cum carne quasi putrida mixtum, atque dein insignem quantitatem puris fundebant; hac complicatione extrema fracturae quam difficillime in situ retinebantur; debita cura tamen aegri conditio sensim in meliorem vertebatur, quum ex improviso aeger, valde adhuc debilis, sed caeterum satis sanus, initio mensis Julii corripiebatur febre biliosa cum inflammatione gravi totius cruris; febre sanata, abscessus plures formabantur circa extremum inferius cruris, ichorem tenuem continentes; haemorrhagia oriebatur ex arteria tibiali, nec non gangraena ad calcem. Quamvis puris descensus in varias directiones vix prohiberi potuerit, tamen omnia haec mala symptomata post aliquot dies sensim sensimque disparebant, ichor in pus bonae notae mutabatur, neque ulterius descendebat; gangraena in calce separabatur, et omnia ad sanationem disposita apparebant. Interim callus circa fracturam producebatur, qui extrema inter se jungebat, atque exfoliatione fragmentum, longitudinis fere 75 lin. belg., fere 2 poll. 10 lin. rhen., a superficie tibiae circa mediam partem mensis Julii solvebatur. Quum rursus causae urgentes necessarium reddebant, aegrotantes in aliud Nosocomium transferre, itinere decem dierum sanatio denuo quam maxime fuit retardata; quae omnia tamen iterata vice superata videbantur, quum mense Septembris ad finem vergente, aeger rursus febre biliosa corripiebatur, quam febris quotidiana insecuta fuit, cum inflammatione, suppuratione, atque descensu puris in crure, sed his non obstantibus, plena sanatio mense Februarii 1795 locum habuit. Licet ex decubitu atque accedentibus causis rigidissima reddita fuerat articulatio cruris cum pede, haec tamen moderata exercitatione jam fere penitus fugata fuerat, quum mense Martii aeger febre acuta corripiebatur, qua die decimo periebat. Extremorum diffractorum unio ita obtinuit, ut parva tantum eminentia in crure fuerit producta. Utraque fractura minima copia calli est conjuncta, sed et callus, et tota superficies tali est porosa, inaequabilis, inprimis vero in superficie posteriori. Concreverunt etiam haec ossa prope articulationem inferiorem, dum extremum inferius tibiae post mortem disruptum videtur, cariosum admodum aspectum in ambitu offerens.

CCCXXXIV. Tibia cum fibula sinistri lateris hominis viginti quinque annorum, globo sclopetario circa inferiorem partem cruris vulnerati. Licet fractura utriusque ossis valde fuerit composita, tamen brevi inter se fuerunt concreta; tibiae pars magna periit, hinc tantum extrema fracta ab exteriore pauco admodum callo cohaerent, et fibula cum tibia concrevit. Post plenam sanationem motus articulationis pedis vix ullus superfuit. Periit dein aeger violenta morte.

CCCXXXV. Tibia cum fibula sinistri lateris hominis adulti. Diffracta fuerunt

runt haec ossa prope articulationem cum pede, et plenaria sanatio obtinuit, ita ut praeter superficiem inaequabilem nullum fracturae vestigium supersit; concreverunt autem haec ossa inter se, ubi fractura composita locum habuit.

CCCXXXVI. Clavicula dextra hominis adulti, quae medio in corpore diffracta fuit; fractura est sanata, sed longitudo valde imminuta, cum fragmenta, juxta se invicem posita inter se sunt concreta. Corpori inhaeret parvum fragmentum plumbeum, quod tamen nullam mutationem in osse produxit.

CCCXXXVII. Os humeri sinistrum hominis adulti circa corpus et collum fractum; minima copia calli fracturae sunt sanatae, sed capitis situs totus est perversus; adnexum enim est posteriori superficiei ossis, atque extremum trochanteris in eadem linea horizontali invenitur cum vertice capitis.

CCCXXXVIII. Scapula dextra militis, cujus margo inferior diffractus fuit ex globo plumbeo, foramine post concretionem fragmentorum superstite. Globus videtur descendisse juxta superficiem externam, quae circa marginem inferiorem tota degenerata ac incrassata est, dum asperitates in posteriore superficie tantum in ambitu fracturae observantur. Quarta hebdomade post acceptum vulnus extractus fuit globus, atque quinto mense aeger ex peripneumonia mortuus est.

CCCXXXIX. Octo vertebrae dorsales cum costis quatuor inferioribus veris, hominis adulti, globo sclopetario ad costam quintam sinistram laesi. Necrosi periit extremum osseum illius costae, cum parte cartilaginea, et parva portione sterni, nec non parte cartilaginis costae sextae.

CCCXL. Quatuor vertebrae inferiores colli, cum sex superioribus vertebris dorsi atque partibus posterioribus totidem superiorum costarum utriusque lateris, militis quadraginta annorum, globo sclopetario vulnerati; globus prope angulum superiorem scapulae dextrae ingressus, a latere sinistro prope nexum acromii sinistri cum clavicula exitum sibi paraverat. Sexta post acceptum vulnus hebdomade, quavis respiratione atque tussi aër cum majori vel minori quantitate puris ex utroque vulnere prodibat, laborabat febre hectica, atque sputa purulenta reddebat; nulla vero observabantur symptomata empyematis; subinde unum vel alterum vulnus claudebatur, sed semper brevi cicatrix disrumpebatur; quando utrumque vulnus erat clausum anxietates erant vehementiores, atque in periculosa versabatur conditione. Per plures menses vires aegrotantis egregie sustinebantur, sed decimo quinto mense post acceptum vulnus *Influenza*, eo tempore epidemice grassante, corripiebatur, et post quinque hebdomades moriebatur. Sectione cadaveris constabat, globum, juxta descriptam directionem transgressum, diffregisse processum spinosum secundae vertebrae dorsi, processum transversum sinistrae vertebrae tertiae dorsi, secundam ac tertiam costam veram, ubi cum processibus transversis junguntur, et tandem ab anteriore inter primam et secundam

costam sinistram rursus exiisse. Hinc laesa parte superiore illius pulmonis, hic, enata inflammatione, cum pleura costali in toto ambitu erat concretus, atque sic effusio puris in pectoris cavum fuit prohibita. Ulcere obsessa erat haec pulmonis portio, communicante cum utroque vulnere; reliqua pulmonis pars cum pleura etiam concreverat, atque degenerata ac gangrenosa erat, et in remoto a vulnere loco vomica sat magna inveniebatur. Cavitas dextra thoracis magnam copiam ichoris acris continebat; pleura crat gangraenosa, atque pulmonis substantia inflammata; viscera abdominalia in statu naturali observabantur.

Processum spinosum in fragmenta minora fuisse diffractum, sed rursus conferruminatum constat; extrema diffracta costae secundae nondum fuerunt conjuncta, sed concrevit cum costa tertia, et haec cum quarta; deficit pars processus transversi tertii; calli quaedam copia ad exteriora effusa est, quae dictas costas antea diffractas conjunxit, atque aperturam rotundam reliquit, qua exitus parabatur materiei purulentae per vulnus posterius.

CCCXLI et CCCXLII. Tibia et fibula sinistri lateris hominis adulti. Ex gravi laesione cruris, necrosis in corpore tibiae fuit provocata, quod inde valde extenuatum diffractum fuit. Separatio vero partis mortuae pro parte tantum a partibus vivis locum habuit, et parva copia calli, sed morbosae indolis circa inferiorem partem fuit producta.

CCCXLIII. Ossa digiti Equi, globo sclopetario in directione obliqua ab anteriore, vulnerati. Os primae phalangis in media parte tactum, plagam offert necrosi affectam, dum in ambitu caries in osse enata fuit.

CCCXLIV. Cranium Felis Leonis cum maxilla inferiore, omnibusque dentibus. Globus sclopetarius transiit oblique partem ossis frontis, quae cum ossibus nasi conjungitur, eamque in plura fragmenta commolivit; vulnus sanatum videtur superstite canali in parte sinistra ad os cribriforme penetrante, ac communicante etiam cum orbita sinistra. Paries sinus frontalis, qui illum a conceptaculo cerebri separat, etiam perforatus, ac totum os cribriforme deletum est.

CCCXLV. Os humeri dextrum Ardeae Ciconiae, quod in plura fragmenta circa extremum inferius fuit fractum; fractura vero fuit sanata concretione obliqua extrorsum fragmentorum cum media fere parte ossis humeri. Cavitas ipsius ossis in valde prominente extremo tota est clausa.

CCCXLVI. Radius et ulna Leporis. Haec ossa media in parte fuerunt fracta, sed callo duro, ac compacto rursus juncta, quum vero ossa lateraliter sunt concreta, latitudo circa fracturam quam maxime est aucta. Parvum fragmentum necrosi affectum in callo invenitur.

CCCXLVII. Tibia cum fibula Leporis medio loco diffracta, sed rursus sanata.

CCCXLVIII. Radius, ut videtur Leporis, cum inferiore parte ulnae, qui olim diffractus fuit; licet extrema satis bene in situ naturali fuerint unita, latitudo insig-

signiter est aucta, procul dubio a remotis a se invicem fragmentis, dein rursus callo conjunctis; per mediam partem fracturae transit canalis.

CCCXLIX. Os metatarsi Simiae Capucinae, quod in media parte diffractum fuit.

CCCL. Tibia et fibula Anatis Anseris globo plumbeo diffracta; fractura haec, licet valde fuerit composita, rursus est sanata, sed inferior pars cruris tota est conversa, hinc digiti pedis respexerunt pedem alterum. Additus globus plumbeus in ventriculo inventus fnit.

CCCLI. Os femoris Fulicae atrae fractum, atque rursus sanatum; sub angulo fere recto concreverunt fragmenta.

CCCLII. Os femoris Avis circa partem superiorem diffractum; superior pars sub angulo obliquo ab interiore latere concrevit cum parte inferiore.

CCCLIII. Os femoris Scopolacis diffractum, et simplici unione partium sanatum.

CCCLIV. Os innominatum sinistrum juvenis; globo sclopetario pars marginis anterioris inter spinam superiorem et inferiorem ablata fuit; ex toto margine vulnerato callus prodiit, qui portionem deficientem jam pro parte implevit.

CCCLV. Os innominatum sinistrum hominis adulti, ad cristam ossis ilii graviter vulnerati. Diffracta fuit insignis pars cristae ossis ilii, fragmenta pauca, ac non valde magna, videntur in vulnere remansisse, et callo enato miro modo sunt conjuncta cum margine ossis, adeo ut crista ossis quidem quodammodo fuerit restituta, sed infra eam insignis portio ossis deficiat; callus videtur sanus, atque satis durus, neque ex hoc vulnere aeger videtur periisse.

CCCLVI. Extypon ex gypso ossis innominati dextri hominis adulti, cujus os ilium juxta latitudinem fuit fractum. Fragmentum superius cum interiore superficie ossis est concretum.

CCCLVII. Pelvis ossa juvenis novemdecim annorum, die 25 Januarii 1807 lapsu muri graviter vulnerati. Mox post laesionem symptomata fracturae colli femoris se manifestabant, sed insequente die, mictu cruento, sedibus cruentis, aliisque symptomatibus constabat, ipsam pelvim cum contentis visceribus valde laesam esse. Dolores augebantur quotidie cum insigni difficultate excernendi urinam, ac dein plenaria ischuria oriebatur, quae punctionem vesicae supra ossa pubis requirebat; perinaeum valde erat inflammatum, ac hinc tumefactum, et urina debita quantitate per cannulam acus triquetrae in vulnere relictam, evacuebatur. Inflammatio perinaei quotidie adhuc aucta gangraena terminabatur, et aeger die 25 Febr. insequente moriebatur. Sectione cadaveris deprehendebantur omnia organa, in pelvi collocata, gangraena affecta; nulla fractura colli ossis femoris aderat, sed fractura fere perpendicularis in osse ilio dextro observabatur; fragmenta juxta se invicem sunt promota, hinc acetabulum illius lateris magis retrorsum sursumque positum invenitur; praeterea acetabulum est fissum, crus superius ossis pubis

ab eo abruptum, et crus inferius etiam infra corpus illius ossis diffractum. Ossis ilii fragmenta tamen sunt concreta, et in exteriori superficie fragmenti majoris cavitas medullaris est clausa. Ex marginibus fracturae acetabuli callus etiam prodiit. Fractura alia inter ossis ischii tuber ac inferiorem partem cruris ossis pubis etiam sanata videtur.

CCCLVIII. Pelvis ossa cum partibus superioribus ossium femorum juvenis, globo sclopetario a perinaeo ad pubem vulnerati. Tuber ossis ischii et crus descendens ossis pubis sinistri lateris, cum corpore ossis pubis dextri perierunt. Crus superius ossis pubis dextri etiam fuit diffractum, sed denuo concrevit oblique cum parte superstite circa acetabulum; extremum superstes tuberis ischii sinistri, et crus superius ossis pubis dextri, cum tota interna superficie ossium in pube sitorum, cariosum offerunt aspectum; ex utroque collo ossium femorum etiam apparere videtur, pus ligamentis capsularibus illorum ossium fuisse contentum.

CCCLIX. Pars major superior ossis femoris sinistri hominis adulti, cujus caput in superficie articulari in duas partes fuit diffractum, licet nondum inter se concreverint partes, tamen effusio calli locum habuit et tota figura capitis magis est elongata quam globosa.

CCCLX et CCCLXI. Os innominatum cum femoris osse dextri lateris foeminae adultae, provectae, ut videtur, aetatis; caput femoris a collo abruptum, in acetabulo remansit. Margines fracturae in collo mutationem subierunt, et plus minus rotundati sunt; in capite vero nulla mutatio obtinuit. Omnia ossa sunt levissima atque valde porosa.

CCCLXII et CCCLXIII. Os innominatum cum femoris osse sinistri lateris foeminae adultae. Collum femoris mox pone caput fuit diffractum, atque in acetabulo remansit. Superficies fracturae a parte capitis substantiam satis compactam, imo in centro solidam offert; collum totum est deletum, margines quasi sunt contracti, fabrica cellularis magis est firma quam in statu sano; infra fracturam superficies ossis quodammodo cariosa deprehenditur.

CCCLXIV et CCCLXV. Os innominatum cum femoris osse sinistri lateris. Caput ossis femoris a collo fuit diffractum, ac in acetabulo relictum, ipsum acetabulum morbose affectum fuisse manifeste constat; superficies ipsius articularis est inaequabilis ex callo effuso. Superficies fracturae in capite est aspera nonnullis prominentiis, substantia vero magis dura, imo in nonnullis punctis quasi polita; a parte ossis femoris superficies fracturae effuso callo sanata videtur, atque hic etiam portio calli noviter producti superficiem politam offert. De ipso autem collo nihil superest.

CCCLXVI et CCCLXVII. Os innominatum cum femoris osse sinistri lateris, viri adulti; collum simili ratione ac in praecedentibus speciminibus fuit fractum, ac de-

deletum; caput ossis femoris relictum in acetabulo, nullam notabilem mutationem subiit, sed latitudo ossis femoris inter trochanteres valde est adaucta; effuso callo tegitur quasi trochanter minor, dum ad anteriorem superficiem limbus satis notabilis ex callo est productus; superficies autem omnis, quae in contactu venit cum capite femoris, est valde aspera atque porosa.

CCCLXVIII et CCCLXIX. Os innominatum cum osse femoris dextri lateris viri adulti. Diffracto collo femoris totum caput cum collo deletum fuit: acetabulum pro majori parte callo repletum superficiem monstrat inaequabilem et concavam. Femur ad radicem colli valde ampliatum superficiem asperam, ex substantia ossea dura, atque compacta eo in loco, in quo fractura obtinuit, offert; in ambitu ab anteriore, sed inprimis ab interiore, a trochantere minori antrorsum, copiosus callus fuit productus, qui quum inter musculos vicinos proserpsit valde est inaequabilis, imo ubi in contactu venit cum superficie anteriore acetabuli superficiem politam monstrat.

CCCLXX. Ossis femoris sinistri lateris pars major superior,

CCCLXXI. Ossis femoris ejusdem lateris similis pars,

CCCLXXII. Ossis femoris dextri lateris similis pars. In his tribus speciminibus collum medio in loco fuit diffractum, atque superficies fracturarum plus minus sunt mutatae.

CCCLXXIII. Ossis femoris dextri lateris hominis adulti pars superior. Collum circa radicem ab osse fuit diffractum, ac dein sub angulo recto cum eo rursus concretum est, unde vertex capitis in linea horizontali cum vertice trochanteris majoris positus invenitur; in interiore ac anteriore superficie callus quodammodo luxuriosus apparet.

CCCLXXIV. Ossis femoris sinistri lateris hominis adulti pars superior. Collum cum parte trochanteris majoris diffractum olim videtur; fractura vero est sanata, sed concretio capitis cum corpore obtinuit sub angulo recto; margines fracturae parumper producto callo prominent.

CCCLXXV. Ossis femoris sinistri lateris hominis adulti pars superior. Collum, ubi cum corpore jungitur, fuit diffractum, sed sub situ parum obliquo, et ad angulum rectum cum corpore ossis rursus concretum est; in toto vero ambitu fracturae limbus amplus, imprimis ad partem inferiorem circa trochanterem minorem, qui hac ex causa etiam totus disparuit, ex callo, cellularis valde structurae, fuit productus.

CCCLXXVI. Os femoris sinistrum hominis adulti. Collum cum trochantere minore, et cum parte trochanteris majoris fuit diffractum, atque sub angulo magis acuto rursus concretum est cum reliquo osse; hinc situs verticis capitis magis est declivis quam in praecedentibus speciminibus: ex producto callo tota circumferentia fracturae valde est inaequabilis, ac spinis obsessa.

CCCLXXVII et CCCLXXVIII. Os innominatum cum osse femoris dextri lateris hominis adulti, admodum torosi; manifesta signa supersunt fracturae colli et trochanteris majoris sanatae luxurioso admodum callo spinoso, tuberculoso atque adeo diffuso, ut junctis his ossibus nec acetabulum nec collum copioso callo involutum conspiciantur. Callus quum diffusus fuit per spatia diversa inter musculos hanc articulationem et femur ambientes, formavit spinas atque tubera diversae crassitiei atque longitudinis, quae verbis vix describi possunt; sed forma atque decursu satis declarant inter vel juxta quosnam musculos producta fuerunt. Os innominatum fere totum sanum est, sed spina anterior et inferior ossis ilii, cui adnectitur musculus rectus cruris, latescit in anteriora atque tuber conplanatum et inaequabile representat. Huic respondet ossiculum separatum a reliquo osse, ab anteriore glabrum, a posteriore inaequabile, a superiore latum et in medio angustatum, descendens ad anteriora femoris per sinuositatem ei respondentem in enormi massa callosa; hoc ossiculum membrana vel callo molli videtur conjunctum fuisse cum osse ilio et forte etiam cum femore (*).

CCCLXXIX. Os femoris sinistrum foeminae adultae. In hoc specimine manifestum est collum oblique fuisse fractum atque rursus sanatum. Fractura ab anteriore apparet ad distantiam 20 lin. belg., 9 lin. rhen. a superficie articulari capitis, et a posteriore ipsam hanc superficiem fere attingit: in anteriore facie extrema perfecte, sed minima copia calli, atque sub parvo angulo, ita ut caput paulo retrorsum inclinatum sit, sunt conferruminata; in posteriore parte fissura angusta inter extrema superest, cujus margines initium secretionis calli offerunt. Licet longitudo colli parum videatur imminuta, tamen caput supra trochanterem eminet. Linea inter trochanteres, cui adhaeret ligamentum capsulare solito magis videtur aspera, atque superficies corporis ossis tenuissima lamella ex novo producto callo tegitur.

CCCLXXX. Os femoris sinistrum viri robusti. Licet collum mox pone caput fuerit diffractum, etiam haec fractura sanata est; capitis vero situs est mutatus, et hinc trochanter ultra illud prominet, nam proculdubio actione musculorum os femoris sursum fuit protractum, et collum supra caput prominens per duas tertias partes crassitiei tantum cum capite concrevit. Extremum diffracti colli supra caput prominens, margines rotundatos et cavitatem cellularem partim repletam offert. Quamvis unio ceterum firmissima sit, tamen non major copia calli hic fuit effusa quam quae ad consolidationem fracturae requirebatur, tota superficies colli, imprimis ubi ligamentum capsulare ei inscritur aspera est, atque superficies articularis capitis, in ambitu insertionis ligamenti teretis lamella callosa inaequabili ac porosa tegitur. Aspera linea cui musculi adductores inseruntur, nec non tro-

(*) Vid. J. VAN HEEKEREN, *de Osteogenesi praeternaturali*, Lugd. Bat. 1796. cum fig.

trochanteres manifesta monstrant indicia actionem musculorum ad motum in articulo femoris cum acetabulo producendum fuisse difficilem, proculdubio ex situ capitis magis declivi ac parumper retrorsum, nec non aspera superficie articulari capitis.

MORBI ARTICULATIONUM.

Morbi articulationum ab injuria externa fracturam aut cariem producente.

CCCLXXXI. Sternum hominis adulti cum clavicula dextra; ex ictu violento caries in articulo claviculae cum sterno fuit enata; hinc utraque superficies articularis scabra atque rugosa est; juxta marginem posteriorem claviculae effusus cernitur callus, qui latitudinem superficiei capitis anterioris hac in parte parum adauxit.

CCCLXXXII et CCCLXXXIII. Scapula cum osse humeri dextri lateris militis globo sclopetario, articulationem humeri transeunte, vulnerati; hinc insequebatur destructio ligamenti capsularis cum carie ossium, et septem mensibus post inflictum vulnus praeterlapsis moriebatur aeger ex phthisi pulmonali. Sectione cadaveris in utroque pulmone inveniebatur vomica insignis. Caput ossis humeri expulsum ex articulo, impositum deprehendebatur margini anteriori scapulae. In superficiebus articularibus capitis ossis humeri, et scapulae, lamella cartilaginea destructa est, atque ossa ipsa sunt cariosa; praeterea pars interna ac inferior superficiei glenoïdeae scapulae deficit, juxta quam descendit caput ossis humeri, nunc huic ac vicinae parti marginis anterioris scapulae impositum, dum in ambitu effusio quaedam calli obtinuit. Forte nova producta fuisset articulatio, aut anchylosis hujus articulationis, si diutius supervixisset aeger. Interna superficies scapulae etiam videtur parum esse affecta, forte a materia purulenta, quae inter hanc superficiem atque musculum subscapularem descendit.

CCCLXXXIV, CCCLXXXV et CCCLXXXVI. Os humeri cum radio atque ulna dextri lateris militis in articulo cubiti vulnerati. Extremum inferius ossis humeri, ac superius ulnae totum est destructum; fragmenta nonnulla olecrani concreverunt cum superiore parte radii, atque massam irregularem osseam supra caput radii exhibent. Ossis humeri extremum offert pauca fragmenta, necrosi affecta, atque partim separata, dum calli generatio in superficie fracturae, et in ambitu, manifesta est. Corpus ulnae pro majori parte necrosi est affectum, atque calli quamdam effusionem in externa superficie monstrat, tegentem ab hac parte os mortuum, caeterum nudum ac inaequale. Radii caput superius, cui a posteriore adnexa sunt dicta fragmenta olecrani, etiam, licet pars ipsius superficiei articularis supersit, generationis calli praebet indicia. Addita sunt innumera fragmenta e vulnere separata.

CCCLXXXVII, CCCLXXXVIII et CCCLXXXIX. Ossis humeri pars inferior cum superioribus partibus radii et ulnae militis, globo sclopetario in osse humeri vulnerati. Fractura partis inferioris ossis humeri cum fissura duplici totius capitis inferioris a globo fuit producta; nulla obtinuit unio partium diffractarum, sed totum extremum ossis humeri carie est affectum, penetrante ipsam articulationem; hinc omnes superficies singulorum eorum ossium carie quam maxime sunt affectae, imo radii atque ulnae partes superiores sunt erosae.

CCCXC et CCCXCI. Pars inferior ossis humeri cum superiore parte radii atque ulnae militis, in articulatione cubiti dextri globo sclopetario vulnerati; diffractum fuit totum extremum ossis humeri; fragmentum sat magnum concrevit rursus cum osse humeri; caput hujus ossis, ad ulnam pertinens, ab humero solutum, in situ anchylosi cum ulna est nexum; tota vero pars juxta quam radius movetur deleta est; sed cum radii parte exteriore concreverunt fragmenta ipsius ossis humeri, atque haec ulnae et radio adnexa, cum extremo ossis humeri, pseudo-articulationem formasse videntur, relicto cavo sat magno inter omnia haec extrema. Totus habitus externus ossium in ambitu vulneris probare videtur, sanatum fuisse hoc vulnus; concrevit etiam radius cum ulna ea ratione, ut manus supinari non potuerit..

CCCXCII, CCCXCIII et CCCXCIV. Ossis humeri pars inferior cum radio atque ulna sinistri lateris militis, ictu gladii vulnerati in ipsa articulatione cubiti. Amputatione tota hac parte ablata, vulnus sat cito sanabatur; post aliquot vero tempus cicatrix denuo solvebatur, atque exitum praebebat lamellis, ab osse humero separatis, eo cum effectu, ut aeger dein perfecte fuerit sanatus.

Os humeri ab interiore necrosi partim fuit affectum, cujus tamen separatio jam inchoata est; ipsa articulatio gladio videtur perscissa, deficiente parte inferiore superficiei articularis cubiti, olecrano et parva portione capitis radii; hinc caries in omni puncto hujus articuli provocata erat.

CCCXCV. Femoris sinistri lateris pars major inferior,

CCCXCVI. Tibiae ejusdem lateris pars major superior,

CCCXCVII. Fibulae similis pars,

CCCXCVIII. Patella, ex homine adulto in articulatione genu vulnerato. Globus sclopetarius intravit ossis femoris superficiem posteriorem supra articulationem genu, medio inter condylos loco, non vero per interiorem superficiem exiit, sede vero sublata parte media superficiei juxta quam patella movetur, ibi substitit; hinc foramen posterius rotundatum, et pars elevata et partim soluta anterioris superficiei triangularem figuram habet, dum os femoris sursum est fissum. Planum triangulare posterius ossis manifeste probat, totum periosteum hac in parte inflammatione fuisse affectum; os ipsum nonnullis in locis est cariosum, in aliis secretio calli obtinuit. Condylus internus in superficie articulari carie est af-

affectus, quemadmodum simili ratione erosa invenitur tota ei respondens superficies articularis tibiae.

CCCXCIX. Femoris sinistri lateris pars inferior,

CD et CDI. Tibiae et fibulae ejusdem lateris pars superior hominis junioris. Sclopetarius globus inhaeret posteriori et fere mediae parti capitis superioris tibiae; tubercula, quibus ligamenta cruciata inseruntur tota sunt deleta; superficies articularis interna valde cariosa est, dum externa, partim deperdita lamella articularis etiam superficiem scabram offert. Tota superficies articularis partis inferioris femoris, a lamella articulari orbata, scabram exhibet superficiem. Fibulae superficies articularis etiam non intacta mansit, sed leviter affecta videtur.

CDII et CDIII. Tibiae et fibulae sinistri lateris hominis adulti pars superior. Globus sclopetarius perforavit tibiam ab anteriore retrorsum, mox supra tuberculum pro insertione ligamenti patellae; apertura anterior fere ovalis est, sed posterior magis fissuram longitudinalem refert. In ambitu foraminum calli quaedam effusio obtinuit, sed interiora canalis cariosa videntur, utraque etiam superficies articularis tibiae scabra ac cariosa se manifestat.

CDIV. Ossis femoris pars major inferior,

CDV. Tibiae pars superior,

CDVI. Patella dextri lateris hominis robustissimi, viginti et octo annorum, die 28 Nov. 1797 apice cultri mediocris magnitudinis vulnerati prope marginem superiorem et exteriorem patellae. Viginti quatuor horis elapsis ab accepto vulnere, intrabat Nosocomium, post obambulationem satis protractam, quum recusaverat quocumque alio modo in illud transferri; longitudo vulneris erat 20 lin. belg., 9 lin. rhen., fere perpendiculariter adscendens, atque penetrare videbatur ad ipsam articulationis cavitatem, sed ad evitandum omnem stimulum exploratum non fuit; deligatio constabat ex linteo carpto sicco, oxycrato madefacto. Licet neque dolor neque ullum aliud symptoma observaretur, diaeta antiphlogistica cum quiete et situ horizontali ipsius cruris praescribebatur, et vulnere simpliciter deligato, fomentatio administrabatur ex aqua vegeto-minerali Goulardi. Nullis symptomatibus prodeuntibus, recusabat vulneratus debitam quietem servare, et quamvis infaustam prognosin eum praedicaverat Chirurgus, de tempore in tempus obambulabat, donec quarto jam die gravis inflammatio totius genu, cum doloribus vehementissimis ac gravi febre consensuali accedebat. Vulnere integumentorum atque expansione tendinosa cruciatim dilatatis, repetitis venae sectionibus, atque tota methodo antiphlogistica cum fomentatione aquae frigidae, singulis 10 vel 15 minutis renovanda, symptomata gravissima intra 24 horas multum inminuebantur, et aeger magis quiescebat. Post plures dies variis in locis circa genu symptomata abscessuum se manifestabant, qui mox, postquam fluctuatio percipi potuit aperiebantur; quum vero pus intra fasciam

latam collocatum descendebat ad poplitem, hac in parte etiam apertura facta, setaceum applicabatur, sed tandem ubique inter musculos femoris se diffundebat, licet variae factae essent aperturae. Febris hectica cum vehementioribus exacerbationibus post meridiem sat cito post profligatam febrem consensualem se manifestabat; vespertino tempore centum et quadraginta pulsationes, et in remissione febris centum et viginti pulsationes minuto primo observabantur, et licet vires quodammodo sustinerentur dosibus majoribus Cort. Peruv. cum flor. Arnicae et Lichene Islandico, tamen neque ichor, neque febris imminuebantur; quamvis ex vehementia suppurationis in ambitu articulationis, ex acritate puris atque colore nigricante caries in articulo suspicaretur, tamen de ea neque digito, neque stylo exploratorio aut visu constabat. Indicatio vitalis amputationem requirere videbatur, sed contra indicantia hanc minime permittebant; tandem accedebat diarrhoea colliquativa atque aeger die 17 Febr. 1708 moriebatur.

Sectione cadaveris instituta, cellulosa tela et ligamenta genu ambientia inveniebantur quam maxime degenerata; superficies articulares femoris et tibiae valde erant cariosae, cartilagines semilunares, ligamenta cruciata penitus consumta, et patella leviter ope calli adnexa ossi femoris. Femoris pars inferior ichore crat repleta, ac periosteum degeneratum. Ipsum os femoris in tota parte inferiore ad dimidium longitudinis totum est cariosum; in tibia caries ultra articulationem se non extendit; patellae superficies articularis, et margo externus carie consumtae sunt.

CDVII. Femoris pars inferior,

CDVIII. Tibiae pars superior,

CDIX. Fibulae pars superior,

CDX. Patella sinistri lateris, hominis adulti.

Globo sclopetario femoris os supra articulationem genu oblique diffractum fuit in plura fragmenta, ipsaque fractura nondum est sanata. Margines fracturae in genere quidem sunt rotundati, sed adhaerent adhuc nonnulla fragmenta necrosi affecta, et vix quidquam calli est producta: cariosa deprehenditur omnino superficies articularis genu, nec non ipsum os femoris in ambitu fracturae.

CDXI. Ossis femoris pars inferior,

CDXII. Tibiae pars superior,

CDXIII. Fibulae similis pars,

CDXIV. Patella sinistri lateris militis viginti sexto annorum, cujus patella sinistra, dum equitabat, a calcitrante equo transversaliter diffracta fuit, cum parvo superficiali vulnere integumentorum supra patellam. Tribus prioribus hebdomadibus post acceptam laesionem, primo fomentationes frigidae, dein propter summum dolorem atque inflammationem cataplasmata emollientia administrabantur, atque dein enatus abscessus aperiebatur sine aliquo levamine

ne symptomatum. Hoc tempore curae alius Chirurgi tradebatur, crus circa malleolos, atque pes monstrose tumebant oedemate, se extendente supra genu, quod a minimo motu vehementer dolebat. Partes patellae a se invicem distabant ad distantiam 40 lin. belg., 1 poll. 6 lin. rhen., atque ex diversis minoribus aperturis, quae circa fracturam atque in ambitu aderant, ichorosa materies acris effluebat, imprimis vero sub compressione cruris, dum simul aër eo tempore cum strepitu exiens, praesentiam plurium sinuositatum indicabat. Ex his sinubus nonnulli sursum inter musculos femoris adscendebant, atque in ambitu degenerata erat tela cellularis; omnis firmitudo articulationis genu deperdita videbatur, pes nimirum cum crure sibi relictus in unum vel in alterum latus flectebatur, pro ratione ipsius situs. Praeterea observabatur febris lenta, cum sudore nocturno, pulsu duro ac parvo, atque siti intolerabili. Ipsa amputatio propter debilitatem summam aegri, atque sinus multos ad superiorem femoris partem usque adscendentes institui non potuit; aperiebantur quantum fieri potuit sinuositates; deligatio cum antisepticis bis de die instituebatur, atque primis diebus fomentationes frigidae Schmuckerianae, atque dein ex decocto Cort. Querci cum sale ammoniaco, nec non similes injectiones applicabantur; pro usu interno decoctum Corticis Peruviani cum acidis mineralibus, atque debita quantitate vini praescribebatur; sed omnia erant irrita, caries in articulo quotidie augebatur, ichor erat niger et maxime foetens, accedebant diarrhaeae colliquativae, atque pridie ante mortem spasmus maxillae cum difficultate deglutiendi observabatur, et aeger sexta hebdomade post acceptam laesionem moriebatur.

Ipsis in ossibus cernitur cariem solam articulationem occupasse, atque hinc ipsos condylos ossis femoris esse complanatos atque erosos. Patella transversim circa partem inferiorem in plura fragmenta videtur fuisse fracta, quorum duo callo morboso inferiori parti rursus adnexa sunt, dum margines fracturae cariosi etiam deprehenduntur.

CDXV et CDXVI. Femoris ossis pars superior dextri lateris hominis adulti.

Fracto collo ossis femoris caput in acetabulo remansit, cum eoque concrevit circa marginem anteriorem, quamvis caries observetur in superficie interna acetabuli, ejusque margine posteriore, imo hoc in ipso fundo fuerit perforatum, et caput ossis femoris etiam pro parte erosum sit. Collum ossis femoris totum est deletum, et licet callus quidem infra fracturam productus fuerit, tamen ambitus fracturae cariosus videtur; figura naturalis partis superioris femoris hac de re plus minus periit, et pseudo-articulatio producta videtur ab extremo diffracto colli femoris et margine ipsius capitis.

CDXVII. Ossa innominata cum osse sacro, coccyge, tribus inferioribus vertebris lumborum, atque femoris ossis sinistri parte superiore ligamentis nexa, viri adulti, nec non

CDXVIII. Ossis femoris dextri pars superior. Ex fractura ossis ilii dextri

circa articulationem cum osse sacro, caries enata videtur, qua pars ossis innominati, quae conjungitur cum osse sacro, et tota lateralis dextra pars ossis sacri usque ad ipsius foramina penitus consumta sunt; penetravit caries etiam articulationem dextram ossis femoris cum acetabulo, quae ejus fundum ac marginem posteriorem fere penitus delevit, et capitis femoris superficiem articularem erosit. Os ilium dextrum ab interiore lamina callo poroso est obducta, dum ab exteriore tota superficies est scabra.

Morbi articulorum ab injuria externa, luxationem producente.

1°. *Luxatio humeri.*

CDXIX et CDXX. Scapula et os humeri dextri lateris viri robusti.

Capite ossis humeri sursum inter processum coracoïdeum atque summum humerum propulso, nova superficies articularis producta fuit ad marginem superiorem sinus glenoïdei scapulae, atque radicem processus coracoïdei; superficies articularis naturalis manifeste probat per sat longum tempus articulationi non amplius inserviisse; glabra ipsius superficies est deleta atque cariosa. Margo autem superior sinus et radix processus coracoïdei valde amplam triangularem superficiem constituunt, in medio quidem porosam, sed in ambitu duram, politam ac quasi eburneam, cui impositum fuit caput ossis humeri; extrema summi humeri et processus coracoïdei detrita partim monstrant similem superficiem duriorem, ubi in contactu venerunt cum capite ossis humeri. Caput ossis humeri amplitudine auctum margine revoluto calloso, in superficie articulari offert eandem praeternaturalem glabritiem ac duritiem, dum in vertice ubi caeterum tuberculum majus occurrit, superficiem exhibet partim glaberrimam, partim inaequabilem, rugosam, quae juxta summum humerum movebatur; trituationem etiam locum habuisse inter marginem inferiorem claviculae et verticem capitis humeri manifeste apparet. Subluxatio in superiora ergo hic locum habuit.

CDXXI et CDXXII. Scapula et os humeri dextri lateris foeminae, ut videtur, gracilis. Caput ossis humeri licet nondum plenarie ex sinu expulsum fuisse videatur, tamen sedem suam naturalem reliquit; superficies articularis capitis ossis humeri glabra cingitur limbo prominente osseo; in vertice tuberis majoris superficies nova articularis apparet, eburnea quasi, conveniens cum simili superficie extremitatis summi humeri, dum ad tuberculum minus, deleto toto canali intermedio pro tendine bicipitis musculi, ab effuso callo superficies satis aequabilis observatur, quae elevato brachio, etiam in contactu venit cum dicta superficie summi humeri. Sinus glenoïdeus scapulae marginem exteriorem magis dilatatum, interiorem vero introrsum revolutum monstrat.

To-

Totam hanc superficiem non amplius in usu fuisse constat, ipsius nimirum pars superior ad radicem processus coracoïdei est ampliata, inferior pars superficie glabra articulari destituta, a reliqua parte parvo prominente limbo osseo distinguitur. Subluxatio sursum cum inversione brachii in exteriora locum habuisse videtur.

CDXXIII et CDXXIV. Scapula et os humeri sinistri lateris hominis adulti, cujus os humeri introrsum fuit luxatum, nec repositum, cum fractura ejusdem ossis. Cavitas glenoïdea scapulae superficiem ampliorem quidem quam in naturali statu, sed totam inaequabilem monstrat, dum ad superficiem interiorem scapulae, ejusque cervicem infra radicem processus coracoïdei, ab effuso sat copioso callo nova quaedam species sinus amplissimi articularis fuit producta, cui impositum erat caput ossis humeri; tota vero superficies, quae novo articulo inservivit, est porosa ac inaequabilis; caput vero ossis humeri satis aequabile est. Fractura antea adfuit in parte superiore mox infra tubera, quibus musculi scapulae inseruntur, caput vero dein cum superficie posteriori ossis concrevit, hinc, nec non luxatione, situs totius brachii introrsum fuit inversus.

2°. *Luxatio femoris.*

CDXXV et CDXXVI. Os innominatum et os femoris dextri lateris viri procerae longitudinis. Capite ossis femoris sursum retrorsumque luxato, acetabulum triangularis figurae, satis tamen profundum, prominentibus crassis marginibus cernitur; sinus, juxta quem decurrit pars musculi iliaci interni, nec non tendo musculi psoae majoris, valde extrorsum reflexus est; superficies externa ossis ilii prope marginem inferiorem glabra atque excavata sinum amplum, ad recipiendum caput ossis femoris, offert. Caput ossis femoris fere totum est deletum, ac superficiem potius transversim ovalem, quam rotundatam, simulque porosam, habet, quae movebatur ad os ilium. Corpus hujus ossis valde tenue est.

CDXXVII, CDXXVIII et CDXXIX. Ossa pelvis, os femoris dextrum, idem os sinistrum foeminae adultae, quae ab utroque latere claudicavit. Caput ossis femoris dextri sursum retrorsumque luxatum fuit; hinc acetabulum figuram triangularem acquisivit, deleta pro maxima parte ipsius capacitate, ac circa mediam fere partem ossis ilii intropressio sat notabilis observatur, quae in interna superficie valde prominet, dum simul crassities ossis solito magis est imminuta; huic cavitati oblique retrorsum deorsumque elongatae impositum fuit caput ossis femoris, absque tamen ut superficies ilii ullo modo fuerit laesa. Margo posterior acetabuli superficiem satis latam, inaequabilem, quodammodo asperam offert, trituratione partis ossis femoris, quae infra trochanterem minorem est; tuber ossis ischii parum tantum extrorsum inflexum, et sinus pro

tendine musculi psoae magni et iliaci interni paulo magis exsectus est; capacitas ipsius pelvis est valde magna; licet enim os sacrum suo promontorio solito magis promineat, tamen corpus ab anteriore valde excavatum est; apertura superior pelvis minoris parum est obliqua, imprimis a parte dextra. Caput ossis femoris quasi dimidiatum, deficiente parte inferiore cui ligamentum teres fuit insertum, tota vero ea superficies, quae trituratione producta fuit, satis est solida, neque cariosa. Infra trochanterem minorem crassities ossis etiam aliquantum imminuta videtur trituratione ad marginem posteriorem acetabuli.

Os femoris sinistrum licet eadem ratione luxatum, minorem quidem intropressionem in osse ilio, sed in ipsius superficie externa tamen sinum triangularem, paulum magis asperum, imprimis in crassiore margine inferiore, produxit. Caput ossis femoris etiam fere totum deletum superficiem articularem valde asperam, et complanatam offert. Acetabulum simili ratione ac in opposito latere deletum, marginem posteriorem etiam crassiorem exhibet, juxta quem femur movebatur, imminuto hac in parte ipsius trochantere minore. Sinus supra acetabulum valde auctus, sed tuber ischii vix extrorsum incurvatum est.

CDXXX et CDXXXI. Os innominatum dextrum cum osse sacro, atque osse femoris ejusdem lateris foeminae adultae, quae claudicavit ab hoc latere. Anchylosi cohaeret os sacrum cum ilio; os femoris retrorsum luxatum impositum fuit margini ossis ilii, eo in loco ubi ab interiore cum sacro osse copulatur, ibique juxta decursum illius marginis sinum satis profundum produxit. Acetabulum triangularem figuram acquisivit, atque fere totum est deletum; tuber ischii parum extrorsum est incurvatum. Caput ossis femoris latitudine auctum atque complanatum monstrat in superiore parte superficiem articularem valde politam, dum inferior pars a callo ampliata superficiem magis habet inaequabilem, nullumque exhibet sulcum pro insertione ligamenti teretis. Mox pone superficiem articularem sulcus notabilis observatur cum prominentibus callosis marginibus. Ipsa luxatione forte ligamentum capsulare disruptum fuit, atque capite per fissuram partim propulso, haec pars a ligamenti margine magis fuit constricta, ita ut continuo motu sulcus fuerit productus; ubi ea portio ligamenti capsularis, quae circa caput constricta fuit, cum acetabulo cohaesit, etiam superficies ampliata ac inaequalis observatur.

CDXXXII, CDXXXIII et CDXXXIV. Ossa pelvis, os femoris dextrum, os femoris sinistrum foeminae adultae, quae ab utroque latere claudicavit. Utrumque femur sursum retrorsumque propulsum, ossi ilio impositum fuit juxta marginem foraminis isciadici, quod ex ilio atque ischio formatur, iisque in locis laeves sinus sunt producti. Acetabula sunt deleta, et tubera ischiorum multum extrorsum incurvata. Os sacrum parum tantum ab anteriore est excavatum; apertura superior pelvis minoris quodammodo triangularis; profunditas pelvis vero im-

imminuta ab incurvatis extrorsum tuberibus ischiorum, et hinc apertura inferior amplissima est reddita. Utriusque ossis femoris caput insignem mutationem subiit, vix enim portio quaedam notabilis capitum superest, atque superficiem articularem monstrant, asperam, atque foraminibus multis pertusam. In femore dextro desideratur trochanter minor atque inde totum os ad longitudinem 78 lin. belg., 3 poll. rhen., ab interiore valde excavatum est, licet superficies tamen sit inaequabilis. In femore sinistro vestigium trochanteris minoris supcrest atque excavatio vix quaedam notatur. Omnia ossa sunt levissima.

CDXXXV, CDXXXVI et CDXXXVII. Pelvis ossa, os femoris dextrum, os femoris sinistrum foeminae adultae, quae ab utroque latere claudicavit. In utroque latere similis luxatio locum habuisse videtur, quam in praecedenti specimine, licet in ipsis ossibus iliis nullae impressiones ad recipienda capita femorum observentur; acetabula fere penitus sunt deleta; margo posterior acetabuli dextri totus complanatus limbum crassum inaequabilem format, deorsum extenuatum; in sinistro autem latere superficies similis, sed latior et magis sursum retrorsumque extensa atque tuberculata se offert; videntur ipsa capita femorum si non semper, saltem aliquamdiu hisce superficiebus imposita fuisse. Tubera ischiorum extrorsum valde sunt incurvata. Os sacrum fere perpendiculare est; apertura superior pelvis minoris parum tantum mutata, nisi in parte anteriore ubi ossa pubis extenuata extrorsum incurvata sunt; profunditas pelvis non valde est imminuta; femorum ossium capita fere tota quanta sunt deleta et superficies inaequabiles habent; infra trochanterem minorem in osse dextro superficies interna sulcata est, ubi sub motu in contactu fuisse videtur cum margine ossis ischii; in femore sinistro trochanter minor paululum degeneratus, et infra eamdem superficies ossis interna etiam leviter exsecta est. Omnia haec ossa etiam valde sunt levia.

CDXXXVIII, CDXXXIX et CDXL. Pelvis ossa, os femoris dextrum, os femoris sinistrum foeminae adultae, quae ab utroque latere claudicavit. In latere sinistro femoris os luxatum fuit, aeque ac in praecedentibus speciminibus, quamvis in osse ilio nondum constet, cuinam parti determinate caput femoris fuerit impositum; acetabulum triangularem adhuc profunditatem servavit; tuberculum anterius et inferius ossis ilii ab exteriore cariosum offert aspectum, atque tuber ischii extrorsum est incurvatum. Os sacrum ab inferiore parte parum est incurvatum; figura caeterum pelvis vix mutata cernitur. Caput ossis femoris sinistri exesum est imprimis a latere interiore, atque in vertice prominentiam quamdam complanatam monstrat. Infra trochanterem minorem superficies interna leviter est exsecta. Acetabulum vero dextrum insigniter magnitudine auctum prominentibus marginibus, superficiem internam sive articularem habet valde inaequabilem. Huic respondens caput ossis femoris simili ratione etiam magnitudine est auctum, at-

que diametrum longitudinalem habet 70 lin. belg., 2 poll. 8 lin. rhen., nec non transversalem 60 lin. belg., 2 poll. $3\frac{1}{2}$ lin rhen., producens ab inferiore apicem inclusum excisioni semilunari marginis anterioris acetabuli. Tota capitis superficies articularis praeterea est rugosa, aspera, atque foraminibus copiosissimis pertusa; margo superior ultra acetabulum prominens aequabilior est.

CDXLI et CDXLII. Ossa pelvis, os femoris sinistrum foeminae adultae, quae ab utroque latere claudicavit. Femoris osse sinistro sursum retrorsumque luxato produxit in osse ilio sinum admodum notabilem, partim prominentem ex interna superficie ossis ilii, partim exsculptum ex margine crasso inferiore illius ossis, dum tota excavata superficies satis aequabilis est. Os sacrum valde elongatum anchylosi jungitur cum superiore osse coccygis, et aperturam inferiorem pelvis imminuit, dum superior ovalem habet ambitum; caput ossis femoris quodammodo pyramidalem figuram acquisivit, atque vix vestigium offert loci insertionis ligamenti teretis. Acetabulum multum imminutum et triangularis figurae, marginem exteriorem rotundatum atque valde amplum offert, juxta quem os femoris movebatur, quod hinc infra trochanterem etiam in interna superficie parum est exsculptum; situs tuberis ischii nondum mutatus est. Acetabulum dextrum magnitudine valde est auctum, diametrum perpendicularem habet 70 lin. belg., 2 poll. 8 lig. rhen., ipsius margo superior, ac imprimis posterior multum prominet; anterior vero exsectus est; lamina ex callo producta, partim fundus acetabuli repletus fuit; in media parte longitudinalis invenitur superficies, valde polita, ac quasi eburnea, dum in caeteris locis magis est aspera. Crus descendens ossis pubis dextri valde est incurvatum. Os vero femoris hujus lateris deperditum est.

CDXLIII. Ossa pelvis,

CDXLIV. Os femoris dextrum,

CDXLV. Os femoris sinistrum,

CDXLVI. Tibia sinistra,

CDXLVII. Fibula ejusdem lateris foeminae adultae; omnia haec ossa levissima insignem mutationem subierunt, pelvis nimirum tota est difformis ex situ perpendiculari ossis ilii sinistri, atque curvatura insigni introrsum et retrorsum ossis ischii; hinc convexa est superficies externa ossis ilii atque hoc os cum ischio arcum formant; tuber ischii vix notabilis est magnitudinis, si cum tubere alterius lateris comparatur; ramus descendens ossis pubis tenerrimus etiam invenitur; acetabuli figura tota est depravata, et imminuta partim curvatura ischii introrsum, partim superficie articulari magis complanata quam in naturali statu. Figura pelvis minoris est triangularis, ipsius cavitas imminuta, a mutata figura ossis innominati sinistri. Totum os femoris, tibia atque fibula hujus lateris sunt tenerrima; collum femoris valde elongatum, multo magis quam in naturali statu elevat caput supra trochanterem majorem, similiter gracilem; caput ipsum a priore quodammodo complanatum, a pos-

posteriore paululum inaequabile, sinum pro insertione ligamenti teretis offert. Trochanter minor solito major est. Femoris os dextrum, altero ad minimum triplo crassius atque longius, sursum et parum retrorsum fuit luxatum; ipsius caput impositum fuit superficiei parum complanatae in media parte ossis ilii, dum loco trochanteris minoris ampla invenitur superficies ovalis et quodammodo porosa, quae applicata fuit simili superficiei, formatae ab externa superficie ischii, et margine posteriore acetabuli, unde ipsum acetabulum fere totum est deletum. Tibia atque fibula sinistri lateris quam maxime extenuata, multis excrescentiis lamellosis et spinosis callo productis, ab interiore et a posteriore aspera, juxta totam fere longitudinem in contactu veniunt. Superficies articulares genu etiam valde imminutae sunt, et totum hoc membrum non videtur gressui inserviisse. Processus transversalis dexter infimae vertebrae lumborum concrevit cum ala ossis sacri, quod ab inferiore etiam parum dextrorsum est incurvatum.

CDXLVIII. Pelvis ossa cum femorum partibus superioribus ligamentis nexa, viri adulti, qui a latere dextro claudicavit. Os femoris dextrum e sede naturali depulsum, mox pone acetabulum ossi ischio impositum fuit; acetabulum totum est deletum, atque repletum callo valde tuberculoso; novus locus articularis partim deperditione substantiae osseae, partim effuso callo valde inaequali limitatus, recipit caput ossis femoris etiam fere totum detritum, atque inaequabile. Tuber ischii introrsum est flexum hinc apertura inferior pelvis ab hoc latere est imminuta, dum apertura superior transversaliter parum est elongata ex compressis parumper ossibus pubis introrsum. Os sacrum naturalis est formae.

CDXLIX. Ossa pelvis cum vertebris tribus inferioribus lumborum, atque femorum partibus superioribus, ligamentis nexa, foeminae adultae, quae ab utroque latere claudicavit. Pelvis minoris capacitas insigniter est aucta, imminuta simul ipsius profunditate; distant tubera ischiorum a se invicem 183 lin. belg., 7 poll. rhen., ossa ilia fere perpendiculariter sunt posita, et totum innominatum os dextrum paulo magis anterius promotum quam sinistrum, unde obliquitas ipsius pelvis producta est. Os sacrum valde est incurvatum, atque spina dorsi sinistrorsum inflexa fuisse videtur. Femore dextro sursum luxato, deletum fuit acetabulum, atque caput impositum ilio ossi parum retro ipsius tuberculum anterius et inferius. Hoc in loco ex callo effuso nova producta fuit superficies articularis cum prominente margine superiore; illa autem superficies est inaequabilis ac tuberculosa; caput ossis femoris ab inferiore compressum, totum inaequabile ac cariosum, nullum offert vestigium insertionis ligamenti teretis. In latere sinistro caput ossis femoris magnitudine valde est auctum, hinc licet margo superior acetabuli simul fuerit auctus, ipsius cavo tamen recondi amplius non potuit, sed extrorsum multum prominet; margo superficiei articularis est revolutus et multum prominet.

CDL et CDLI. Os innominatum et ossis femoris major pars dextri lateris foeminae adultae, quae ab hoc latere claudicavit. Insigne novum acetabulum obliique sursum tendens cum marginibus valde prominentibus majorem partem acetabuli naturalis occupans, productum fuit, superstite parte anteriore, juxta quam se inflectunt vasa ad acetabulum. Superficies nova articularis in genere satis aequabilis, in posteriore tamen parte multis scatet foraminibus, inter quae nonnulla satis sunt ampla. Cum hoc acetabulo congruit caput ossis femoris, quod ergo valde ampliatum imprimis ab interiore latere est, revoluto quam maxime ipsius margine; media pars, etiam valde porosa, cingitur limbo duriore ac magis polito.

CDLII. Os innominatum dextrum foeminae adultae, quae ab hoc latere claudicavit. Femoris luxatio obtinuit sursum ac nonnihil retrorsum; acetabulum pro parte est deletum, atque novum circulare satis profundum fuit productum, cujus margo posterior ultra superficiem ilii exstat 35 lin. belg., 1 poll. 4 lin. rhen., et anterior margo 26 lin. belg., 1 poll. rhen., tota superficies interna satis aequabilis, a posteriore parum porosa, ubique ceterum magis polita est. Angulus ab osse ilio et pube formatus fere rectus est, elevato parum osse pubis.

CDLIII. Extypon ex gypso pelvis foeminae adultae cujus femur dextrum sursum luxatum, impositum fuit anteriori margini ossis ilii; novum hic productum fuit acetabulum, cohaerens cum anteriore margine ossis ilii et superiore acetabuli deleti, cujus convexa superficies multum intra cavitatem majoris pelvis prominet.

CDLIV. Os innominatum dextrum anchylosi junctum cum osse sacro, foeminae adultae. Luxatio femoris in superiora hic adfuit; acetabulum est deletum, sed alia superficies articularis, ex tribus distinctis superficiebus callo noviter producto fuit formata, ubi os ilium cum ischio cohaeret, adeo ut haec nova articulatio partim margini acetabuli fuerit imposita; callus novum acetabulum formans valde compactum ac durum videtur, dum sulcis in tres partes quasi dividitur. Os sacrum valde rectum oblique anchylosi firmiter junctum est cum osse ilio ante ejus conjunctionem naturalem, deficiente tota parte laterali dextra hujus ossis usque ad foramina in ipsius anteriori facie praesentia. Crassities ossis ilii etiam naturali longe major est, adeo ut haec ossa videantur primo carie affecta, partim consumta fuisse et dein concrevisse.

MORBI OSSIUM A CAUSA INTERNA.

Claudicatio absque luxatione.

CDLV et CDLVI. Os innominatum sinistrum, os femoris ejusdem lateris hominis robustissimi. Acetabulum, licet formam naturalem servavit, magnitudine

ne auctum videtur; superficies ceterum glaberrima articularis est inaequalis, scabra, parva portione in parte inferiore excepta; ipsius margo crassitie est auctus, atque totus inaequabilis. Caput ossis femoris in ambitu marginem revolutum, crassitie auctum, et in vertice circa insertionem ligamenti teretis superficiem cariosam monstrat.

CDLVII et CDLVIII. Os innominatum dextrum, os femoris ejusdem lateris hominis adulti. Acetabulum in toto ambitu magnitudine est auctum, prominente imprimis margine superiore; in fundo nulla apparet differentia inter foveam pro glandula articulari et superficiem semilunarem, quae articulationi proprie inservit, tota nimirum superficies interna valde scabra, ac inaequabilis est, superstite extrorsum lamella, paulo magis polita, atque splendente. Excisio in parte anteriore pro transitu vasorum imminuta cernitur. Caput ossis femoris magis compressum ab anteriore et posteriore quam globosum est, et limbo prominente juxta collum cingitur. Superficies articularis maximam partem porosa, scabra, atque lamella externa orbata est; pars vero hujus lamellae, quae superest, est durissima ac polita. Nullus invenitur sinus pro insertione ligamenti teretis.

CDLIX. Duo ossa innominata cum osse sacro anchylosi nexa, et

CDLX. Os femoris sinistri lateris hominis adulti. Alae ossis sacri firmiter concreverunt cum ossibus iliis. Utrumque acetabulum solito majorem profunditatem acquisivit, prominentibus maxime marginibus; excrevit quasi in fundo superficies articularis, hinc de sinu pro glandula mucipara vix quidquam superest; superficies articulares satis sunt aequabiles, monstrant diversis in locis substantiam quasi politam, atque in aliis deprehenduntur multis poris pertusae. Caput ossis femoris magnitudine etiam auctum convenit cum acetabulo, et a posteriore parumper compressum et cariosum est. Sulcus pro insertione ligamenti teretis valde est profundus.

CDLXI et CDLXII. Os innominatum et os femoris dextri lateris foeminae adultae. Acetabulum ovalis ferme figurae retrorsum quasi remotum est, ante illud cernitur incisura semilunaris, quam intrare solent vasa, una cum sinu pro glandula mucipara, dum fundus novi acetabuli lamella ossea ab illo sinu distinguitur. Caput ossis femoris ampliatum est, et margines revolutos monstrat, prominentes ultra marginem acetabuli. Superficies articularis partim valde est dura ac compacta, partim porosa; margo caput ambiens est inaequabilis.

CDLXIII et CDLXIV. Os innominatum dextrum, os femoris dextrum foeminae adultae. Superficies articularis acetabuli, excreto margine posteriore, valde adaucta est, atque septo osseo pro parte distinguitur a sinu, quo ligamentum teres ac glandula mucipara reconduntur. Tota interna superficies acetabuli, fundo excepto, porosa valde est, ac margo externus inaequabilis ac aspera. Femoris caput in vertice parum compressum, a tabula externa orbatum, totum est po-

rosum. Margo ejus posterior valde auctus laminam inaequabilem revolutam quasi refert.

CDLXV et CDLXVI. Os innominatum dextrum, os femoris ejusdem lateris foeminae adultae. Pars lunata acetabuli in hoc osse innominato maxime est affecta, margo nimirum superior sursum promotus, trituratione ad caput ossis femoris, omnem superficiem glabram amisit, et hac in parte foraminibus numerosissimis, cum punctis glaberrimis maxime politis interspersis, inaequabilem offert faciem; margo inferior, respondens ceterum fundo, sive foveae pro glandula mucipara, excrevit antrorsum, atque cavum oblongo cylindricum ad recipiendum caput ossis femoris constituit, cum valde prominente ac tuberculoso margine anteriore, relicta in sede, pone novum illud acetabulum, fovea cui inhaerebat corpus glandulosum. Caput ossis femoris maxime complanatum in vertice, atque prominentibus marginibus ab inferiore valde ampliatum, totum est scabrum, porosum, ac nonnullis in locis quasi politum, ipso acetabulo non nisi sub angulo valde acuto recipi valet, atque suo margine ultra acetabuli marginem prominet. Nullum praebet vestigium insertionis ligamenti teretis, et motus ipsius ossis valde limitatus est.

CDLXVII. Os innominatum dextrum,

CDLXVIII. Os femoris ejusdem lateris,

CDLXIX. Os innominatum sinistrum,

CDLXX. Os femoris illius lateris foeminae adultae, quae utroque in latere eodem vitio articulationis femoris cum acetabulo laboravit. In utroque nimirum latere pars lunata acetabuli cavum oblongo rotundum format, cujus interna superficies tota inaequabilis ac valde porosa est, et se extendit ante foveam pro glandula mucipara. Capita femorum valde sunt complanata et simul ampliata; dextrum amplam superficiem politam offert, sinistrum magis est cariosum. Omnia haec ossa sunt levissima.

CDLXXI et CDLXXII. Os innominatum sinistrum, os femoris sinistrum viri adulti robustissimi. Totum acetabulum sursum, retrorsumque ampliatum est, atque hinc figuram oblongam acquisivit; margo superior ac posterior multum prominet, atque ab exteriore superficiem inaequabilem monstrat; tota pars lunata superficiem articularem offert valde inaequabilem ac cariosam, cujus margo inferior excrevit ante foveam pro glandula mucipara, adeo ut haec septo distincta sit ab acetabulo. Caput ossis femoris est complanatum, oblongum, cariosum, ac totum intra marginem acetabuli recipitur. Indicium insertionis ligamenti teretis nullum superest. Duritics ac pondus horum ossium est ut in statu sano.

CDLXXIII et CDLXXIV. Os innominatum sinistrum, os femoris ejusdem lateris foeminae adultae. Acetabulum sursum retrorsumque parum remotum cavum

sistit

sistit profundum elevatis maxime marginibus, cujus ambitus fere est circularis, excepta parte anteriore, quae exsecta est, et infra quam cernitur fundus acetabuli deleti; superficies articularis partim est cariosa, partim satis aequabilis. Caput ossis femoris, in vertice complanatum, superficiem habet inaequabilem, ac valde porosam, convenientem cum cariosa superficie acetabuli; reliqua vero pars tegitur crusta ex callo producta, qua latitudo capitis multum est aucta, ipsius margo totus tuberculatus prominet ultra marginem acetabuli.

CDLXXV et CDLXXVI. Os innominatum dextrum, et ossis femoris dextri lateris pars superior viri adulti. Acetabulum cavum format fere orbicularis ambitus, diametri 72 lin. belg., 2 poll. 9 lin. rhen., totum a fovea pro glandula ac ligamento tereti distinctum lamina ossea satis crassa, adeo ut fere totum superficiei ossis impositum videatur; superficies interna est inaequabilis ac porosa. Capitis ossis femoris volumen maximopere est auctum, excrevit totus ipsius margo inferior, qui ab interiore et posteriore est revolutus, sed ab anteriore tali modo cum collo concrevit, ut vix quidquam de hoc conspici valeat, et ab hac parte caput quasi immediate cum trochantere cohaereat; tota facies articularis, quae acetabulo reconditur, vel extra illud prominet, est inaequabilis, tuberculosa, in nonnullis locis cariosa cum superficie glaberrima, eburnea quasi in vertice capitis. Motus ossis femoris in omni sensu satis facilis superest.

CDLXXVII et CDLXXVIII. Os innominatum dextrum, et ossis femoris dextri pars superior viri robustissimi. Acetabulum circularis fere ambitus, diametri 78 lin. belg., 3 poll. rhen., ubique clausum, impositum quasi videtur acetabulo naturali, cujus fovea pro glandula partim superest, ac a novo hoc acetabulo lamella ossea crassissima, ac tuberculosa separata in anteriore margine cernitur. Margines hujus acetabuli valde prominentes profunditatem quam maxime adauxerunt. Facies interna superior, ac posterior licet porosa, monstrat tamen superficiem valde politam, ac splendentem. Caput ossis femoris maximum, globosum in toto ambitu ea ratione adauctum est, ut vix quidpiam de collo ossis conspici valeat. Ipsius superficies, in quantum cavo articulari recipiebatur, est partim polita ac glaberrima, partim porosa, nec non in ambitu tuberculata. Motus valde limitatus est, facilius vero sursum quam deorsum movetur, atque femur sub angulo videtur nexum fuisse cum pelvi; utrumque hoc os ponderosum est.

CDLXXIX et CDLXXX. Os innominatum sinistrum cum osse femoris ejusdem lateris hominis adulti. Acetabulum multum sursum atque retrorsum est propulsum, elevato maxime margine exteriore, figurae est oblongae, atque ambitus irregularis; cavitas ipsa etiam est aucta, dum in fundo tenui lamella partim a fovea pro glandula et ligamento separatur, tota interna facies valde est inaequabilis, tuberculosa ac cariosa. Caput ossis femoris figuram habet inaequabilem, angulosam cum superficie cariosa et insigni excrescentia tuberculosa, callo pro-

ducta in capite et anteriore parte colli. Quum eminentiae atque asperitates omnes in capite conveniunt cum foveis ac sinubus acetabuli, motus vix ullus superstes fuit.

CDLXXXI et CDLXXXII. Os innominatum dextrum cum ossis femoris dextri lateris parte superiore viri adulti. Acetabuli margo externus imprimis a superiore et posteriore excrevit ea ratione, ut profunditas cavi valde sit aucta, ipsius ambitus est ovalis, diameter perpendicularis 72 lin. belg., 2 poll. 9 lin. rhen., diameter transversalis 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen., margo inferior partis lunatae excrevit etiam et septum quoddam constituit, quo a fovea pro glandula articulari distinguitur; superficies interna tota est inaequabilis, erosa quasi sulcis bene multis in fundo cariosis, dum superficies intermediae ac prominentes durissimae sunt ac splendentes. Caput ossis femoris in vertice carie complanatum, in ambitu primo offert marginem eburneum quasi, ac dein limbum inaequabilem, callo valde poroso productum, ac capitis superficiem adaugentem tali tamen modo, ut caput hoc non solum intra acetabulum recondatur, sed acetabuli margo multum ultra illud prominеat.

CDLXXXIII et CDLXXXIV. Os innominatum dextrum et os femoris ejusdem lateris viri adulti. Acetabulum oblique sursum quasi promotum, ab inferiore totum tuberculosum est ex adaucto margine inferiore; excrevit etiam margo ab ilio osse et crure horizontali ossis pubis formatus, unde totus sulcus pro musculo iliaco interno ac tendine psoae periit, et pars incisurae acetabuli pro decursu vasorum, hic fere tota ossea substantia sit clausa; superficies articularis a fovea, cui imponitur corpus glandulosum, non distinguitur. Caput ossis femoris figuram valde oblongatam assumsit, accrevit nimirum insignis portio tuberculosa inter trochanterem majorem et verticem capitis, unde ab interiore vix quidpiam de collo conspicitur; adauctum etiam caput insigniter est ab interiore deorsum, sic ut nullum spatium supersit inter caput ac trochanterem minorem, dum oblique introrsum deorsumque prominet spinae species, quae ubi junguntur ossa, recipitur fovea pro glandula ac ligamento tereti, unde motus articuli fere omnis impeditur, cum ipse situs ossis femoris tali ratione est mutatus, ut superficies articularis patellae tota extrorsum sit versa.

CDLXXXV. Pelvis ossa, artificiali nexu inter se juncta, una cum

CDLXXXVI. Viginti quatuor vertebris viri adulti ac robusti. Acetabulum sinistrum magnitudine valde auctum prominentibus in toto ambitu marginibus, sursum retrorsumque dilatatum, ac separatum lamina ossea, non tamen tota integra, a fovea pro glandula mucipara, offert ab interiore et superiore superficiem glaberrimam, quasi eburneam, ac simul foraminibus pertusam, dum reliqua superficies valde est inaequalis. Margines corporum vertebrarum inferiorum sunt excreti, et ultra corpora prominent, unde latitudo corporum multum est aucta. Superior vertebra lumborum anchylosi jungitur cum infima dorsi, et haec cum sequen-

quen-

quente; concretio autem ea locum habuit effuso callo ex marginibus a latere sinistro, dum simili ratione, sed ab utroque latere concreverunt vertebra dorsi quarta ac quinta ab inferiore, unde his in partibus tuberculosa valde est superficies vertebrarum.

CDLXXXVII. Ossa pelvis hominis adulti artificiali nexu conjuncta. Utrumque acetabulum eodem vitio affectum cernitur; retrorsum imprimis sunt dilatata, atque circumferentiam fere orbicularem habent; prominent margines quam maxime, unde in profundo valde sunt aucta; utroque vero in latere fovea pro glandula mucipara ab ipsa parte lunata non est separata. Superficies internae sunt inaequabiles atque cariosae.

CDLXXXVIII. Os innominatum dextrum,

CDLXXXIX. Os femoris dextrum,

CDXC. Os innominatum sinistrum,

CDXCI. Os femoris ejusdem lateris viri robusti, qui ab utroque latere simili vitio laboravit. Acetabulum dextrum valde dilatatum, marginem offert inaequabilem, tuberculosum, imprimis in anteriore parte. Lunata pars lamella ossea distinguitur a fovea pro glandula ac ligamento tereti. Caput ossis femoris illius lateris latitudine valde auctum, inaequabilem, tuberculosam, scabram, offert superficiem articularem, quae nimis magna est quam ut cavo acetabuli recondi valeat. Acetabulum sinistrum prominentibus marginibus, tenuioribus tamen quam in opposito latere, valde ampliatum est, ab anteriore sulcum superstitem habet, qui penetrat per lamellam osseam, acetabulum a fovea distinguentem, aeque ac si ligamentum teres excretionem lamellae impedierat; margines enim sulci sunt crassi et rotundati; superficies acetabuli inaequabilis est, ut in opposito latere. Caput ossis femoris complanatum, magisque oblongam figuram acquisivit, superficiem articularem valde inaequabilem habet, et nullum adest vestigium insertionis ligamenti teretis in utroque osse. In superficie interna hujus ossis femoris circa partem inferiorem insignis adest exostosis.

CDXCII. Os innominatum dextrum anchylosi cum osse sacro nexum, et

CDXCIII. Os femoris dextri lateris viri robustissimi. Acetabulum circularem fere ambitum offert, deficiente tamen ea parte, quae ligamento solet repleri; superficies lunata quam maxime ampliata est, ab inferiore excrescentia, quae septi ad instar acetabulum distinguit a fovea pro glandula, et a superiore insigni prominente margine; tota superficies articularis porosa quidem in genere, offert partem superficiei valde politam, ac quasi eburneam. Caput ossis femoris in vertice crusta externa orbatum, porosum valde est, sed cingitur in majori parte ambitus margine valde polito, duro ac quasi eburneo, quem rursus ambit limbus, ex callo noviter producto, se circa collum extendens, atque latitudinem capitis maxime adaugens. Parvum superest vestigium insertionis ligamenti teretis.

CDXCIV et CDXCV. Os innominatum sinistrum cum osse femoris ejusdem lateris viri adulti. Acetabulum insignem profunditatem acquisivit, quum in toto ambitu cingitur margine valde elevato, cujus crassities ab anteriore, ubi ceterum deficere solet, satis insignis est, cum superficie externa in toto ambitu inaequabili ac tuberculosa. Superficies interna acetabuli est inaequabilis, scabra, ac in fundo cernitur foramen quo communicat cum fovea pro glandula, a qua caeterum totum est distinctum. Caput ossis femoris luxuriante callo, a priore tuberculoso, et e margine superficiei articularis producto, elongatam figuram acquisivit; articularis superficies rugosa ac scabra est, ac sinus pro insertione ligamenti teretis superstes invenitur. Os femoris circa mediam partem longitudinis antea oblique diffractum fuit, concreverunt rursus partes lateraliter inter se, sub angulo valde obliquo, ita ut ducta linea perpendiculari per mediam genu, et alia juxta longitudinem femoris, haec in genere a se invicem distent 105 lin. belg., 4 poll. rhen., et superficies anterior partis inferioris ossis oblique concreverit cum posteriore superficie partis superioris; hinc prominet quidem maxime utrumque extremum, sed cavitates medullares tamen sunt clausae.

CDXCVI et CDXCVII. Ossis innominati sinistri pars major, serrae ope ablata parte ossis ilii, cum parte superiore ossis femoris hominis adulti. Acetabulum excrescentia marginis superioris et pro parte posterioris profunditatem solito majorem accepit, a priore cingitur etiam limbo osseo, loco ligamenti, quod ceterum defectum marginis acetabuli hic replet, superstite tamen fissura, pro introïtu vasorum. Fundus acetabuli componitur fovea pro glandula ac ligamento teretis, fere ut in naturali statu. Caput ossis femoris vix mutatum observatur, sinum etiam habet pro insertione ligamenti teretis; quum vero margo acetabuli insigniter auctus est, solito magis ab eo circumdatur. Trochanter major ossis femoris post mortem diffractus est.

CDXCVIII. Os ischion ac pubis deficiente osse ilio hominis adulti. Acetabulum fere simili ratione mutatum cernitur quam in praecedente specimine, quamvis margo anterior etiam desideretur. Pars lunata tamen magis glabra superest, partim vero, ut totus fundus, aspera est cum punctis durioribus splendentibus.

CDXCIX. Os innominatum cum femoris osse sinistri lateris foeminae adultae. Simili morbo ac in praecedentibus speciminibus acetabulum affectum fuisse videtur, margo in toto ambitu excretus, etiam in interiore parte ubi ceterum incisura naturalis adest, circa collum ossis femoris se rursus contraxit, atque hac ex causa caput illius ossis acetabulo continetur, intra illud moveri valet, sed e cavo articulari solvi non potest. Acetabulum a fovea pro glandula et ligamento tereti distinctum est, ac in superficie interna ossis ischii prominet. Caput ossis femoris ampliatum atque valde inaequabile videtur.

D. Os innominatum sinistrum hominis adulti. Acetabuli margo a superiore

et

et posteriore parumper extrorsum remotus limbum crassiorem, et superficiem externam paululum magis inaequabilem exhibet quam in statu naturali; pars lunata in genere quidem aequabilis in nonnullis locis tamen superficiem porosam, scabram quodammodo offert. Fovea pro glandula ac ligamento tereti perfecte sana est. In hoc osse primum hujus morbi initium videtur observari.

DI et DII. Os innominatum dextrum, et ossis femoris dextri pars superior puellae vel foeminae junioris. Acetabuli pars lunata paululum dilatata marginem exteriorem minus complanatum, superficiem articularem ab inferiore satis aequabilem, a superiore valde porosam exhibet, dum margo inferior antrorsum excretus hanc partem sepimento, pro majori parte, a fovea pro glandula distinguit. Caput ossis femoris complanatum ac latitudine auctum, leve vestigium ligamenti teretis monstrat.

DIII. Os innominatum sinistrum hominis adulti. Margo acetabuli valde prominens profunditatem cavitatis adauxit, dum tota superficies interna valde scabra ac porosa est, atque pars lunata limbo osseo distinguitur a fovea.

DIV. Os innominatum sinistrum hominis adulti, acetabulum valde sursum est dilatatum prominente margine exteriore; superficies articularis porosa ac scabra, septo osseo distinguitur a fovea pro glandula.

DV. Os innominatum dextrum hominis adulti. Acetabuli margo posterior imprimis insigniter adauctus, extrorsum est incurvatus; superior ipsius pars inaequabilis multum etiam prominet; pars acetabuli articulationi inserviens tota est separata lamella valde crassa a fovea pro glandula. Superior pars superficiei articularis dura est, compacta ac polita.

DVI. Os innominatum dextrum, diffracto osse pubis. Acetabuli margo externus inaequabilis est; fovea pro glandula ac ligamento tereti in ambitu circa marginem partis lunatae reticulata, ac scabra est.

DVII. Os innominatum dextrum hominis adulti, diffracto osse pubis. Tota pars lunata acetabuli valde est aucta; margo externus incrassatus, ac tuberculatus; fundus sive fovea partim ossea substantia est repleta.

DVIII. Os innominatum sinistrum, diffracto osse ischio hominis adulti. Novum quasi acetabulum est formatum, parte lunata multum sursum retrorsumque remota, atque separata in fundo lamina ossea satis crassa et tantopere adscendente, ut ambitus acetabuli circulum integrum referat.

DIX. Os femoris dextrum hominis adulti. Caput a superiore est complanatum, in ambitu vero ampliatum ea ratione, ut oblongam acquisiverit formam; tota ipsius superficies est inaequabilis, cariosa, cum superficiebus glaberrimis ac politis; vertex ultra trochanterem majorem non prominet.

DX. Os femoris dextrum hominis adulti. Totum caput in ambitu ampliatum, ac in vertice complanatum est. Substantia vero videtur dura atque com-

 pacta,

pacta, hinc offert superficiem articularem pro majori parte quasi eburneam, dum reliqua superficies est inaequabilis.

DXI. Os femoris sinistrum hominis adulti. Caput ossis in vertice fere totum deletum est, et hinc supra trochanterem majorem non prominet; margo capitis, ubi collo adjungitur, adauctus est, et a superiore perpendiculariter erectus, ultra ipsum acetabulum procul dubio eminebat. Tota superficies articularis est valde scabra.

DXII. Os femoris sinistrum foeminae adultae. Caput ossis fere totum deletum est, sed novum quasi productum a callo prodeunte ex margine ipsius inferiore, dum a parte superiore sulcus notabilis adest, inter ipsam partem prominentem colli et caput noviter productum, quod infra trochanteris majoris partem superiorem situm est. Diffractum post mortem est extremum inferius hujus ossis.

DXIII. Os femoris sinistrum hominis robusti. Caput triturationе in vertice parum est complanatum, ac hac in superficie porosum, in ambitu autem effuso callo ampliatum. Vestigium insertionis ligamenti teretis superest.

DXIV. Os femoris sinistrum hominis adulti. Totum caput valde est ampliatum, inaequabile, asperum, porosum, ac in nonnullis punctis politam superficiem monstrat.

DXV. Os femoris dextrum hominis adulti. Figura globosa capitis tota periit, in ambitu cingitur copioso callo, qui imprimis in anteriore parte multum prominet, atque ex ipso collo prodire videtur. Superficies articularis est inaequabilis atque tuberculosa. Trochanter major supra caput prominet. Circa extremum inferius olim hoc os fuit diffractum, firmiter vero fragmenta sunt inter se concreta, sed hinc longitudo videtur imminuta.

DXVI. Os femoris dextrum hominis adulti. Caput hujus ossis fere totum deletum videtur, sed novum quasi caput est productum ex callo luxuriante, producto ex margine inferiore, hinc superficies articularis magis oblonga quam globosa est; ipsa substantia est porosa; trochanter major multum ultra caput prominet.

DXVII-DXXVIII. Ossium femorum sinistri lateris partes superiores. Capita omnium horum ossium eodem morbo affecta, similes mutationes subierunt, gradu tantum diversas a praecedentibus speciminibus.

DXXIX-DXXXVI. Ossium femorum dextri lateris partes superiores. Capita omnium ab eodem morbo plus minus similes mutationes subierunt, quam in praecedentibus speciminibus.

DXXXVII et DXXXVIII. Os innominatum et os femoris sinistri lateris hominis adulti qui, ex mala conformatione colli femoris claudicavit. Pars lunata acetabuli est nimis ampla; collum femoris justo brevius, hinc trochanter major supra caput prominet; caput ipsum parum est oblongum, quum superficies articularis per superiorem partem colli extensa est.

Caries

Caries articulorum.

DXXXIX. Cranium cum maxilla inferiore hominis adulti; maxillae superiori inhaerent dentes incisores, deperdito uno incisorum dextri lateris, cuspidati, bicuspidati, sed molares omnes fuerunt evulsi, atque perierunt hac de causa eorum alveoli; ex maxilla inferiore antea evulsi fuerunt dens molaris medius dexter, atque duo ultimi sinistri, superstites vero dentes vel cariosi, et partim diffracti, vel triturationè multum sunt abrasi. Carie fere penitus deleti sunt condyli maxillae inferioris, ut ex superficiebus partium, quae supersunt, etiam constat; sinus articulares in osse temporum integri supersunt, tubercula vero ante sinus posita perierunt, atque superficies cariosas offerunt. Ex defectu condylorum tota maxilla inferior nimis retrorsum recedit, atque margo mentalis oblique retrorsum deorsumque descendit.

DXL et DXLI. Scapula et os humeri sinistri lateris hominis junioris, epiphysi ossis humeri superiore nondum in apophysin mutata. Superficies articularis scapulae tota est cariosa, deleta lamella cartilaginea articulari, dum pus etiam descendisse videtur juxta marginem anteriorem scapulae. Simili ratione superficies articularis capitis ossis humeri carie erosa est, superstite parva tantum portione lamellae cartilagineae articularis in vertice capitis. Superficies interna ossis infra caput etiam erosa se offert.

DXLII-DXLIV. Os humeri, radius et ulna sinistri lateris hominis adulti, qui carie in articulo cubiti laboravit. Tota lamella cartilaginea articularis extremi inferioris ossis humeri est consumta, et superficies, licet formam servaverit, aspera atque cariosa est. Condylus externus etiam affectus est, atque ab anteriore spinulis quasi obsessus, et a posteriore magis est porosa. Radii caput non solum a cartilagine orbatum atque cariosum, sed totum ipsius collum cum parte superiore, usque ad inferiorem partem tuberculi pro insertione tendinis musculi bicipitis, carie affectum est. Ulnae superficies articularis simili ratione cariosa est, hinc ipsius acutiores margines deleti sunt, et imprimis in externa superficie affecta videtur.

DXLV-DXLVII. Os humeri, radius et ulna sinistri lateris hominis adulti, qui simili vitio in articulatione cubiti laboravit. Tota superficies articularis ossis humeri, quae cum radio atque ulna jungitur, carie consumta est, superstite tantum condylo externo atque interno. Supra locum articularem foramen adest, destructa lamella ossea, quae sinum ad recipiendum olecranon distinguit a sinu pro processu coronoïdeo. Radii caput fere totum est destructum, ipsiusque collum in ambitu erosum. Ulnae utraque superficies articularis etiam tota est erosa, atque tria haec ossa in ambitu articulationis plus minus sunt affecta.

DXLVIII-DL. Ossis humeri extremum inferius, radii et ulnae extremum superius hominis, qui carie in articulo cubiti, atque in osse humeri laboravit. Omnis superficies articularis trium horum ossium a lamella cartilaginea est orbata, scabra, atque carie multum erosa. In posteriore superficie ossis humeri caries etiam observatur, dum lamina superficialis necrosi affecta, cum osse adhuc cohaeret, atque alia jam exfoliatione separata est.

DLI. Os innominatum sinistrum cum parte ossis sacri, et

DLII. Os femoris ejusdem lateris infantis, qui coxarthrocace laboravit. Totum acetabulum est difforme, carie a superiore et posteriore affectum, et foramine in fundo pertusum, cujus tamen margines sunt rotundati; paucis tantum in punctis os ischion cum ilio concrevit, atque maceratione periit pars cartilaginea, quae haec ossa inter se et cum osse pubis in hac aetate conjungit. Trochanter major carie fere consumtus videtur; collum admodum est difforme, carie pro parte exesum, pro parte elongatum portione superstite ipsius capitis, haec portio in tota superficie est aspera, cariosa et difformis, atque acetabulo recipiebatur. Epiphysis inferior est deperdita. Licet os sacrum ex separatis ita dictis vertebris spuriis constet, tamen duae superiores jam anchylosi cohaerent cum osse ilio.

DLIII. Os innominatum dextrum, in duas partes adhuc divisum, atque caput ossis femoris alterius lateris ejusdem infantis, in quibus partes articulationis perfecte sanae observantur.

DLIV et DLV. Os innominatum et ossis femoris pars superior dextri lateris juvenis, qui coxarthrocace laboravit. Pars lunata acetabuli, imprimis in parte superiore carie affecta, atque destructa est; hinc capacitas acetabuli multum est aucta; caput ossis femoris totum est destructum, et collum maxime carie erosum.

DLVI. Ossa pelvis viri viginti sex annorum ligamentis conjuncta. In latere dextro luxatio spontanea locum habuisse videtur; novum enim acetabulum, cum naturali fere unam capacitatem constituens productum videtur, cujus fundus est inaequalis, ac satis amplus. In latere sinistro caric affectum est acetabulum et destructione partis lunatae valde ampliatum, atque ab interiore cariosum.

DLVII. Os femoris dextrum ejusdem juvenis, anno ante mortem amputatione ablata parte inferiore ob insignem cariem cruris. Caput valde est ampliatum, sed tamen satis aequabile. Tota pars infra trochanteres superstes est incrassata, inaequabilis, porosa ac indicia praebet necrosis partis interioris ossis. Extremum serra tactum cariosum, insigniter tumentem limbum habet, dum in canali medullari ossis pars necrosi affecta apparet.

DLVIII et DLIX. Os innominatum et ossis femoris pars superior dextri lateris hominis adulti, qui coxarthrocace laboravit. Tota interna superficies acetabuli est erosa, ipsaque cavitas dilatata; in fundo paries valde est extenuatus ac medio in loco penitus consumtus, dum interna superficies ossis ischii etiam carie

rie affecta cernitur. Totus margo partis lunatae inaequabilis est spinulis bene multis a callo productis, quibus simul crassities valde aucta est. In media fere parte ossis ilii superficies etiam affecta observatur, cui caput ossis femoris certo certius impositum fuit. Caput ossis femoris fere penitus carie consumtum est. Collum, et trochanteris majoris superficies externa spinulis, ex callo productis, obsessa cernuntur.

DLX et DLXI. Ossa pelvis et ossis femoris dextri pars superior hominis adulti, qui a latere sinistro coxarthrocace laboravit. Tota fere pars lunata acetabuli est destructa carie, quae etiam penetravit ad os ilium, ejusque partem, supra acetabulum sitam, destruxit. In fundo acetabuli duo adsunt foramina, tenui lamella ossea superstite, a se invicem distincta. Interna superficies ossis ilii etiam est affecta, crassities ossis aucta, atque substantia spongiosa. Ab exteriore in ambitu acetabuli, cui ligamentum capsulare adhaeret, paucae adsunt spinulae ex callo, hic producto. In acetabulo dextro atque collo femoris illius lateris etiam levia indicia cariei inveniuntur, caeterum haec articulatio sana est.

DLXII. Ossa pelvis ligamentis nexa,

DLXIII. Ossis femoris dextri pars superior,

DLXIV. Ejusdem ossis sinistri similis portio hominis adulti, qui a latere dextro eodem vitio laboravit. Omnis superficies articularis hujus acetabuli carie quam maxime est consumta, hinc ipsa cavitas in ambitu est dilatata, ac in fundo penitus erosa, ita ut non tantum fovea sed pars lunata etiam partim sit consumta et foramine magno pertusa. Caput ossis femoris e cavitate expulsum impositum fuit superficiei externae ossis ilii, ad distantiam 26 lin. belg., 1 poll. rhen., supra acetabulum, et paululum retrorsum, ubi fovea callo circumdata invenitur; superficies ossis inter hanc foveam, atque acetabulum, effuso callo valde inaequabilis, aspera ac crassitie aucta est. Ipsum caput ossis femoris totum carie est consumtum; collum, trochanteres et inde descendens planum triangulare in asperam lineam ossis femoris desinens, cariosam etiam monstrant superficiem.

DLXV et DLXVI. Os innominatum, et ossis femoris pars superior sinistri lateris, hominis adulti. Miles, hyeme anni 1795-1796, laborans febre quartana atque scabie, circa finem mensis Februarii a febre sanabatur, quatuordecim diebus dein praeterlapsis brevi scabies disparebat, postquam coelo sereno per aliquot tempus in horto humo incubuerat; mox dolores atroces percipiebantur in articulo femoris cum acetabulo, qui perseverabant per tres vel quatuor hebdomades, quosque febricula concomitabatur, quamvis remedia anti-rheumatica diversa administrarentur.

Mense Augusti Nosocomio recipiebatur, et quum ad trochanterem majorem et circa articulationem in profundo fluctuatio percipi videbatur, cataplasmata aliaque remedia externa applicabantur; dolores dein post aliquot tempus imminuebantur,

tur, et quum fluctuatione manifeste constabat de praesentia humoris supra trochanterem majorem, abscessus aperiebatur eo cum effectu, ut insignis copia puris foetidissimi cum multo humore synoviali evacuaretur; post aliquot septimanas constabat cariem in articulo adesse, et, licet interne et externe remedia ex arte propinabantur, omnia tamen exasperabantur; de tempore in tempus descendebat pus juxta varias directiones, cui debitis incisionibus exitus concedebatur, usque dum tandem marasmo moriebatur aeger.

Carie totum acetabulum affectum cernitur, pars lunata tota exesa, ampliata; acetabuli fundus foramine, diametri 40 lin. belg., 1 poll. 6 lin. rhen, pertusus; totum os ilium ab interiore tumefactum, internam superficiem potius convexam, quam concavam monstrat. Caput ossis femoris carie fere penitus consumtum; collum asperum, atque trochanter major a posteriore spinulis, a callo productis, rugosus atque asper est.

DLXVII. Pelvis ossa cum partibus superioribus ossium femorum ligamentis nexa viri robusti. Acetabulum simili ratione carie destructum est, ac in praecedenti specimine, licet foramen in fundo paulo sit minus. Capitis ossis femoris pars a carie superstes acetabulo continetur, ligamentum capsulare a posteriore integrum, a priore vero apertum est; femoris os situm habet horizontalem et ad alterum femur directum. Totum os ilium sanum deprehenditur.

DLXVIII. Sceletus naturalis juvenis, qui coxarthrocace laboravit. Acetabulum sinistrum carie ab interiore quam maxime exesum, atque in fundo penitus consumtum est, adeo ut hic foramen sat magnum adsit. Os ilium atque ischium ab interiore etiam affecta sunt, ab exteriore circa acetabulum os ischium est inaequabile, ac crassitie auctum a callo noviter producto; tuber ossis ischii carie erosum; ligamenta sacro-ischiadica hujus lateris deficiunt. Caput ossis femoris e cavo acetabuli expulsum, foramini ovali impositum, carie partim destructum est; proserpit ipsa caries per collum, trochanterem majorem atque minorem, adeo ut tota pars superior ossis lamina externa sit privata atque cariosa.

DLXIX. Ossis femoris pars inferior,

DLXX. Ossis tibiae et fibulae pars superior,

DLXXI. Patella dextri lateris hominis adulti, qui tumore albo laboravit. Tota lamella cartilaginea condylorum ossis femoris atque superficiei articularis tibiae, et pro parte patellae est destructa; hinc omnis ea superficies articularis tota est cariosa, sed caries tantum superficiem ossium erosit, neque introrsum penetrasse videtur. Patellae superficies externa pro parte indicia secreti calli monstrare videtur.

DLXXII. Ossis femoris pars inferior,

DLXXIII. Tibiae pars superior sinistri lateris viri adulti, qui simili morbo laboravit. Pars major cartilaginis articularis condylorum ossis femoris ex carie de-

deperdita est, sed ipsa caries minus est superficiaria quam in praecedenti specimine. Simile quid observatur in utraque superficie articulari genu; hic vero tota lamella cartilaginea est consumta, imo ipsa caries in latere externo se longe extendit infra superficiem articularem.

DLXXIV. Ossis femoris pars inferior,

DLXXV. Tibiae pars superior sinistri lateris viri adulti, eodem morbo affecti. Cartilago articularis condylorum femoris in tota parte inferiore est consumta, atque ex carie condyli sunt complanati, in ambitu articulationis, atque parte complanata triangulari ossis tota superficies cariosa se offert. In tibia autem solae superficies articulares cariosae deprehenduntur.

DLXXVI-DLXXIX. Femoris ossis pars inferior, tibia, fibula, atque patella dextri lateris hominis junioris, quorum epiphyses quidem concreverunt cum ossibus, sed tamen vestigia separationis adhuc demonstrant. Ex eodem morbo tota haec articulatio simili ratione quam in praecedentibus speciminibus est affecta; femoris vero os ubique valde porosum se offert, imprimis vero caries magis proserpit a posteriore supra condylum externum, cujus pars major deleta est, quam in opposito latere. Tota ea pars, quae epiphysin tibiae antea constituebat, carie est affecta, atque canalis carie productus ex superficie articulari externa oblique retrorsum descendit; ipsum os a posteriore etiam mox infra caput valde est porosum. Patellae superficies articularis omnino a cartilagine est orbata. Omnia haec ossa valde levia sunt.

DLXXX. Femoris ossis pars inferior,

DLXXXI. Tibiae pars superior,

DLXXXII. Fibulae extremum superius,

DLXXXIII. Patella sinistri lateris hominis ejusdem, ut videtur, aetatis. Ubique tota articulatio genu carie, ex tumore albo enata, omni superficie glabra est privata, atque condylus internus femoris ab interiore, cum patellae portione huic incumbente, caeteris partibus magis est erosus. Omnia haec ossa sunt valde levia.

DLXXXIV. Ossis femoris pars inferior,

DLXXXV. Tibiae pars superior,

DLXXXVI. Fibulae eadem pars,

DLXXXVII. Patella dextri lateris hominis adulti, qui simili morbo laboravit. Pro parte tantum a priore in condylo interno, et in ipsa parte media condyli externi lamella cartilaginea superest, reliqua omnis superficies condylorum atque patellae pagina interna carie sunt erosa, imo pars posterior condyli interni deperdita est. In extremo tibiae etiam a parte interiore major portio est deleta, licet tota articulatio sit erosa.

DLXXXVIII. Ossis femoris pars inferior,

DLXXXIX. Tibiae pars superior,

DXC. Fibulae similis portio,

DXCI. Patella dextri lateris hominis adulti. Ex carie totam articulationem genu occupante, omnis superficies articularis est affecta, sed condyli ossis femoris quam maxime exesi, superficiem valde inaequabilem, cariosam offerunt.

DXCII. Ossis femoris pars inferior,

DXCIII. Tibiae pars superior,

DXCIV. Fibulae pars superior,

DXCV. Patella sinistri lateris hominis adulti, qui simili carie in articulatione genu laboravit. Quamvis totius articulationis superficies glaberrima, superficie patellae excepta, sit deperdita atque carie affecta, tamen condylus internus ossis femoris reliquis partibus magis est consumtus, imo caries non tantum destruxit hac in parte superficiem articularem, sed per lateralem partem ipsius condyli proserpsit.

DXCVI. Femoris pars inferior,

DXCVII. Tibiae pars superior,

DXCVIII. Patella dextri lateris hominis junioris. Ex carie eodem morbo provocata superficies articulares trium horum ossium non tantum sunt erosae, sed totius ossis femoris extremum inferius, ad altitudinem 1 61 lin. belg., 6 poll. 2 lin. rhen., carie in tota superficie est affectum; imprimis vero tabula externa destructa est a priore supra condylum externum, atque a posteriore mox supra totam articulationem, imo ipse locus, cui ligamenta cruciata fuerunt adnexa, carie affectus est.

DXCIX et DC. Os femoris et tibia dextri lateris hominis adulti. Carie fere penitus consumtus est condylus externus femoris, cum tota reliqua superficie articulari; in posteriore ac interna parte granulatio quaedam in substantia ossea observatur; extremum tibiae valde etiam destructum est, superficies articularis interna oblique introrsum tota est deleta, dum superficies externa cavum profundum sistit; in tota illa cariosa superficie et in ambitu granulatio ossis observatur, ita ut procul dubio si diutius vixisset aeger, brevi anchylosis horum ossium fuisset producta. Haec ossa valde levia sunt.

DCI et DCII. Os femoris, et tibia dextri lateris hominis adulti. Tota superficies articulationis genu, deperdita lamella cartilaginea articulari, est scabra, atque a carie excsa, margo vero superficiei articularis imprimis femoris excrevit, atque limbum prominentem inaequabilem format. Tota pars inferior ossis femoris atque superior tibiae valde est porosa.

DCIII et DCIV. Os femoris, et tibia sinistri lateris hominis adulti. Os femoris ad aliquam distantiam supra genu aut diffractum, aut ex emollitione os-

sis

sis affectum fuisse videtur, unde hac in parte corpus ossis ab interiore valde incurvum atque ampliatum est. Condylus uterque, sed imprimis externus, carie quam maxime est erosus in superficie articulari, quae tamen rursus sanata apparet. Caput superius tibiae etiam totum est difforme, tota enim superficies articularis oblique posita introrsum descendit; carie fere penitus deletus est sinus exterior, sed ex callo inaequabiliter producto tuberculosam offert faciem, sinus interior minus affectus fuit. Videtur hoc vitium imprimis in juniore aetate, ubi epiphysis adhuc adfuit, devastationem hanc insignem produxisse, atque hinc formam naturalem tantopere periisse.

DCV. Ossis femoris dextri lateris extremum inferius hominis adulti, qui hydrope articuli genu laboravit. Tota superficies articularis glabra est, sed margo lamellam cartilagineam articularem ambiens excrevit in limbum crassum, prominentem, ac revolutum tam ab interiore, quam ab exteriore parte articulationis.

DCVI-DCIX. Os femoris, tibia, fibula, et patella sinistri lateris hominis adulti, qui eodem vitio in articulatione genu laboravit. Condylus internus solito magis descendit infra condylum externum; superficies articularis condyli externi est compressa, polita, quasi eburnea; condyli externi facies tota tuberculosa; margines etiam superficiei articularis hic maxime excreverunt, atque lamellam latam, extrorsum revolutam constituunt. Caput superius tibiae totum est difforme, oblique enim corpori impositum, ipsum os juxta curvam lineam descendit, hinc femur cum crure sub angulo conjungitur, et genu maxime introrsum est incurvatum. Superficies utraque articularis tibiae oblique retrorsum planum inclinatum format, margines exteriores imprimis excreverunt, superficies articularis interior tuberculosa; exterior a posteriore imprimis trituratione deperdita, vel abrasa, hac in parte sinum offert cujus substantia ossea admodum compacta, glaberrima atque quasi eburnea est. Condyli femoris itaque posterioribus partibus superficierum tibiae impositi fuisse videntur, atque condylus internus subluxatione in latus, ab interiore ultra superficiem tibiae prominet. Fibula in corpore parum incurvata, ac complanata ampliore etiam superficie adjungitur tibiae. In superficie articulari patellae etiam margo exterior imprimis ampliatus est, unde formam naturalem amisit.

DCX-DCXII. Os femoris, tibia, et fibula dextri lateris hominis adulti, qui eodem morbo in articulatione genu laboravit. Insignis et longe major adhuc, quam in praecedenti specimine, differentia observatur inter longitudinem condylorum ossis femoris; internus nimirum quasi sursum tantopere propulsus est, ut externus totus infra illum promineat; hinc superficies articularis tota obliqua est, et cum tibia sub angulo sat magno, genu introrsum prominente, jungebatur. Subluxatio etiam hic locum habuit; ex superficiebus enim, quae quodammodo adhuc articulationi inservierunt, constat condylum externum ferme me-

diae parti tibiae fuisse impositum, atque internum totum ultra tibiam prominuisse. Excreverunt margines superficierum articularium condylorum, atque tamquam lamellae revolutae, inaequabiles in ambitu articulationis prominent; hinc superficies condyli externi ab exteriore mirum in modum est aucta, et superficies condyli interni, qui nunc non nisi pro parva portione articulationi inservivit, imminuta est. Caput tibiae oblique retrorsum, et parum in latus tendit, cum posterior atque media pars imprimis movebatur ad femur, ut constat sinu sat magno, ex osse duro atque compacto, praesente pro parte inter duas superficies glenoïdeas, pro parte in superficie externa, unde partim deleta sunt tubercula, cui ligamenta cruciata inseruntur. Margo interior superficiei glenoïdeae externae valde excretus est, caeterum ipsae illae superficies vix sunt mutatae.

DCXIII et DCXIV. Os femoris, et tibia sinistri lateris hominis adulti, eodem morbo affecti. Duo haec ossa sub angulo acuto, genu introrsum prominente, inter se articulantur. Condylus nimirum internus, simili modo ac in praecedenti specimine, magis prominet quam condylus externus; hic condylus superficiem, quae jungebatur cum tibia, habet totam politam, ac quasi eburneam; margines etiam in ambitu excreverunt, atque hujus extremi faciem reddunt tuberculosam. In tibia sinus glenoïdeus internus vix mutatus, ab exteriore latere parum tuberculosus cernitur, sed externus foveam format profundam, prominentibus extrorsum marginibus inaequabilibus, cujus tota superficies excavata, polita ac quasi eburnea est.

Ossa, qua parte invicem conjunguntur, concreta, sive anchylosis.

DCXV. Cranium hominis adulti anchylosi junctum cum maxilla inferiore. Condylus dexter maxillae inferioris valde complanatus firmiter concrevit cum sinu atque tuberculo ossis temporis, imo harum partium latitudo tantopere est aucta, ut processus coronoïdeus sit extenuatus. Articulatio sinistra est sana. Perierunt omnes dentes, partim evulsi videntur cum deleti sunt alveoli, partim nonnulli alveoli supersunt (1).

DCXVI. Cranium ponderosissimum hominis adulti, concretum cum maxilla inferiore. Adsunt omnes dentes, quatuor incisoribus maxillae superioris, et sinistro ex mediis maxillae inferioris exceptis, quorum tamen alveoli supersunt. Subluxatio maxillae inferioris sinistrorsum locum habuit, qua condylus sinister extrorsum ultra articulationem prominet, et ipsius sinus articularis callo partim est impletus. Condylus dexter valde est extenuatus, a priore quasi concavus, ipsius-

(1) Ed. Sandifort, *Exercit. Acad.* Lib. II. Cap. V. Tab. V. fig. 2. et Tab. VI.

ipsiusque sinus callo oppletus, atque hinc tuberculosus. Ex osse jugali dextro exostosis insignis producta fuit, quae concrevit cum processu coronoïdeo maxillae inferioris, atque tuber insigne in gena prominens format; ex subluxatione maxillae, facies quodammodo est obliqua.

DCXVII. Conceptaculum cerebri, deficientibus omnibus ossibus faciei hominis adulti. Atlas firmiter cohaeret cum osse occipitis, concretione condylorum cum sinubus, atque processus transversalis dextri cum osse occipitis. Diffracta est pars sinistra arcus atlantis.

DCXVIII. Cranium hominis adulti absque maxilla inferiore. Concreverunt condyli ossis occipitis cum sinubus atlantis, atque hujus arcus cum parte sinistra marginis foraminis magni.

DCXIX. Vertebrae duae cervicales, quarum corpora inter se concreverunt, margo inferior corporis infimae vertebrae excrevit in limbum, quo procul dubio concrevisset cum sequente, si diutius vixisset aeger. Processus obliqui adscendentes superioris vertebrae sunt cariosi in superficiebus articularibus.

DCXX. Quatuor vertebrae inferiores cervicales inter se corporibus firmiter concretae. In externa superficie ex callo effuso, durissimo, superficies complanata aequabilis producta est; inferior vertebra cum pene infima etiam concrevit in arcu atque processubus articularibus.

DCXXI. Octo inferiores vertebrae dorsi cum omnibus vertebris lumborum, ex quibus tertia, quarta, et quinta vertebra dorsi ab inferiore inter se a latere dextro, prominentiis productis callo ex marginibus, concreverunt. Omnium reliquarum vertebrarum corpora margines plus minus prominentes exhibent, qui tractu temporis procul dubio concrevissent, si diutius supervixisset aeger.

DCXXII. Vertebrae duae dorsales in ambitu corporum inter se concretae.

DCXXIII. Vertebrae duae dorsales ab exteriore, et imprimis a latere dextro corporum, effuso callo, inter se concretae.

DCXXIV. Tres vertebrae dorsales in media parte corporum ab exteriore exigua quantitate calli inter se concretae.

DCXXV. Tres vertebrae dorsales simili ratione conjunctae, sed paulo major copia calli hic effusa est.

DCXXVI. Quatuor vertebrae dorsales inferiores. Ex latere dextro copiose effuso callo margines corporum vertebrarum concreverunt, adeo ut callus in singulorum corporum nexu insigniter promineat.

DCXXVII. Vertebrae quatuor dorsales ex inferioribus, simili modo a latere dextro, et infima cum penultima etiam a latere sinistro, concretae.

DCXXVIII. Vertebrae quinque dorsales ex inferioribus in toto latere dextro, effusa lamina ex callo, inter se concretae, adeo ut spatia inter corpora vertebrarum satis magna supersint.

DCXXIX. Vertebrae sex dorsales inferiores cum suprema vertebra lumborum. Concreverunt margines corporum a latere dextro copioso callo, valde prominente ad singulas vertebrarum uniones. Concreverunt praeterea duae dorsales vertebrae simili ratione a latere sinistro; inter singula vertebrarum corpora spatia inania supersunt.

DCXXX. Vertebrae octo dorsales inferiores simili ratione a latere dextro marginibus corporum concretae.

DCXXXI. Vertebrae quatuor inferiores cervicales, ac undecim sequentes dorsi. Concreverunt corpora vertebrarum cervicis plenarie inter se, reliquarum vero omnium corpora in superioribus adhuc cohaerent a parte anteriore, sed in sequentibus a parte dextra. Callus ad singulas uniones valde prominens, ac tuberculosus, inaequabilem reddit superficiem anteriorem et lateralem dextram totius hujus columnae, sed tamen in collo anterior superficies magis in genere est complanata, quam in dorso.

DCXXXII. Vertebrae quatuor dorsales firmiter inter se marginibus, callo effuso valde prominentibus, in toto fere ambitu inter se, et cum costa dextri lateris concretae.

DCXXXIII. Vertebrae quinque dorsales ex superioribus inter se simili ratione, et cum costa dextri lateris concretae.

DCXXXIV. Vertebrae octo dorsales ex inferioribus in toto ambitu corporum inter se, et cum tribus costis a latere dextro, et totidem a latere sinistro concretae. Costae quatuor a latere sinistro antea anchylosi cohaerebant, sed ex his infima fuit diffracta.

DCXXXV. Vertebra infima dorsi cum suprema lumborum cohaerens anchylosi processuum articularium dextri lateris, et marginum corporum.

DCXXXVI. Vertebrae duae lumbares firmiter corporum superficiebus, atque lamella ex callo producta, in anteriore facie inter se anchylosi junctae.

DCXXXVII. Vertebra infima lumborum cum osse sacro concreta unione processuum transversalium ampliatorum, atque marginum corporum a latere dextro.

DCXXXVIII. Vertebrae duae inferiores inter se, et cum osse sacro anchylosi processuum articularium cohaerentes. Spina dorsi parum in latus inflexa fuit.

DCXXXIX. Tota columna vertebrarum atlante excepto, os sacrum, ossa innominata, et undecim costae ab utroque latere, inter se concreta ex viro robusto. Omnes vertebrae non tantum marginibus corporum, sed processubus obliquis adscendentibus, atque descendentibus, nec non plurimis in locis arcubus concreverunt; excipienda tamen est unio vertebrae lumborum tertiae ab inferiore cum quarta, quum hae vertebrae, licet hic copiosior callus quam ad caeteras vertebras fuerit excretus, non tamen plenarie anchylosi cohaerent. In genere corpora omnium vertebrarum solito sunt latiora, sed satis aequa-

bi-

bilem superficiem externam offerunt, quae circa infimas vertebras colli valde est complanata. A latere dextro deficit costa tertia, reliquae omnes capitibus suis, et plurimae praeterea tuberculis cum vertebris sunt concretae, imo costa quinta et sexta cohaerent inter se, a parte interiore prope columnam vertebrarum. In latere sinistro desideratur costa suprema; reliquae simili ratione ac costae dextrae cum columna vertebrarum anchylosi cohaerent. Costa quarta duplici extremo ab anteriore terminatur. Os sacrum ab utroque latere firmiter concrevit cum osse innominato, et haec ossa praeterea etiam cohaerent cum processubus transversis infimae lumborum vertebrae.

DCXL. Sterni pars superior cum utraque costa suprema concreta, adeo ut nihil de partibus cartilagineis supersit.

DCXLI. Sterni pars superior simili ratione concreta cum utraque costa superiore. Costae ipsae sunt latissimae, atque nullum plane vestigium superest, haec ossa antea fuisse dissoluta.

DCXLII. Sternum, ex osse superiore et medio inter se concretis compositum, atque ossificatione cartilaginum costae quintae dextri lateris, et quartae sinistri lateris cum ipsis costis concretum ex homine adulto, qui scoliosi laboravit, ut ex curvatura costarum manifestum est. Cartilagines costarum superiorum etiam pro parte theca ossea, cum sterno cohaerente, circumdatae fuerunt.

DCXLIII. Duae costae dextrae spuriae hominis adulti, qui scoliosi laboravit, a posteriore inter se concretae.

DCXLIV. Costa spuria dextra, cujus cartilago in os fuit conversa.

DCXLV. Costae duae spuriae, quarum cartilagines in os conversae inter se concreverunt.

DCXLVI. Anchylosis partis superioris sterni cum parte media ex homine adulto.

DCXLVII. Anchylosis ossis medii sterni cum ossiculo inferiore, valde elongato, atque perforato in extremo inferiore.

DCXLVIII. Anchylosis ossis medii sterni cum inferiore ossiculo, duplici extremo satis elongato terminato.

DCXLIX. Anchylosis eorumdem ossium sterni.

DCL Anchylosis trium ossium sterni. Totum hoc sternum, valde inaequabile, ac spinulis obsessum est in superficie interiore. Margines sinuum, pro recipiendis costarum cartilaginibus valde etiam excreti sunt.

DCLI. Viri adulti os innominatum dextrum, anchylosi junctum cum osse sacro. Concrevit margo alae dextrae ossis sacri firmiter cum osse innominato, caeterum superficies articularis intacta mansit, superstite spatio inter duo ossa, maceratione deperditis cartilaginibus.

DCLII. Os innominatum dextrum simili ratione junctum cum osse sacro hominis adulti. Concrevit callo firmo, atque tuberculum formante anterior pars

marginis alae ossis sacri cum osse innominato, ubi duo haec ossa formant marginem pelvis minoris; paululum magis deorsum duplici adhuc in loco concreverunt margines duorum horum ossium; ipsae vero superficies articulares intactae manserunt. Ubi musculus iliacus internus juxta acetabuli marginem superiorem descendere solet, calli quaedam lamella satis crassa, media sulcata, et multum ante acetabulum prominens observatur, quae sustentaculum praebuit dicto musculo. Ipsum acetabulum sanum est.

DCLIII. Os innominatum dextrum viri adulti. Extremum posterius, et inferius ossis ilii cum osse sacro concretum est, superstite tota reliqua superficie articulari sana. Anchylosi jungitur etiam os sacrum cum supremo osse coccygis. Omnia haec ossa sunt levissima.

DCLIV. Utrumque os innominatum viri adulti, anchylosi junctum cum osse sacro. Concreverunt haec ossa marginibus superioribus alarum ossis sacri cum ossibus iliis. Inter ossa pubis spatium superest, maceratione deperditis partibus cartilagineis.

DCLV. Duo ossa innominata viri robusti firmissime concreta cum osse sacro, adeo ut non tantum marginibus superficierum articularium, sed pro parte ipsis illis superficiebus cohaereant. Ossa pubis valde a se invicem distant. Pondus hujus pelvis est satis insigne.

DCLVI. Duo ossa innominata, os sacrum, atque infima vertebra lumborum inter se concreta. Ab utroque latere processus transversalis vertebrae lumborum insigniter dilatatus concrevit cum osse ilio, et alis ossis sacri, quae praeterea etiam cum ossibus iliis videntur cohaerere, quamvis superficies articulares caeterum sanae observentur. In utroque latere margo corporis ultimae vertebrae concrevit lamella ossea, parum tantum prominente, cum anteriore superficie ossis sacri. In ossis sacri posteriore superficie desiderantur omnes processus spinosi, adeo ut ipse canalis ossis hic totus apertus sit. Disjuncta sunt ossa pubis a se invicem.

DCLVII. Duo ossa innominata cum osse sacro viri adulti. Licet corpora ossium pubis inter se spatium relinquant, deperditis cartilaginibus, atque ligamentis, tamen haec duo ossa inter se concreta sunt lamella ossea, superiorem ac pro parte posteriorem faciem hujus nexus tegente. Os sacrum ab ossibus iliis solutum est.

DCLVIII. Duo ossa innominata foeminae adultae, cujus ossa pubis firmissime inter se concreta sunt substantia ossea crassa, atque lata totum spatium caeterum inter corpora post separationem ligamentorum superstes adimplens. Anterior superficies utriusque corporis ossis pubis, ut et margo superior totius unionis spinis obsessa est.

DCLIX. Extypon ex gypso pelvis viri robusti, cujus os sacrum ab utroque la-

latere cum ossibus innominatis, et ossa pubis, ut in specimine N°. DCLVII. descripto, inter se anchylosi junguntur.

DCLX. Scapula sinistra hominis adulti. Superficies articularis in summo humero pro conjunctione cum clavicula, excreto callo, valde est aucta, atque amplam, ac porosam exhibet superficiem, cum qua concreta fuisse videtur clavicula.

DCLXI. Scapula, et os humeri sinistri lateris, ut videtur, foeminae adultae. Sinus articularis cum capite ossis humeri quam firmissime concretus est, osse humeri parum introrsum verso.

DCLXII. Scapula, et os humeri dextri lateris viri adulti. Globo sclopetario laesa articulatione humeri cum scapula, omnis superficies articularis utriusque ossis scabra reddita est, et caput concrevit cum sinu scapulae, globus vero aliquamdiu inhaesisse videtur anteriori superficiei ossis humeri, mox infra caput, quum hic fovea rotundata, atque cariosa superest, dum in ambitu parva copia calli prodiit. Os humeri in corpore praeterea fuit diffractum, et licet extrema quidem rursus conferruminata sint, tamen callus, quo junguntur, videtur morbosus. Ipsius ossis situs parum est introrsum versus.

DCLXIII. Ossis humeri pars inferior cum ossibus cubiti, atque manus sinistri lateris viri adulti. Globo e sclopeto emisso diffracta fuit tota pars superior ulnae, cujus fragmenta quidem inter se fuerunt unita, sed simul anchylosi radius, ulna, et os humeri inter se concreverunt. Antea digitus index amputatione ablatus est, atque inde enatum vulnus ossis sanatum fuit.

DCLXIV. Ossis humeri pars inferior cum superioribus partibus radii, et ulnae dextri lateris hominis adulti. Diffracto globo sclopetario osse humeri prope articulationem cubiti, caries in ambitu, et in cavo articuli fuit enata, callo dein tuberculosa reddita est pars inferior ossis humeri; quamvis fractura ossis non fuerit sanata, concrevit tamen extrema superficies articularis ab uno latere cum radio, et ab altero cum ulna, dum pars media partim carie destructa est, et superficies articulares radii, et ulnae etiam affectae, rugosae, et a cartilagine orbatae sunt.

DCLXV. Os humeri, et ulna sinistri lateris foeminae adultae. Extrema duorum horum ossium, quae articulum cubiti componunt, fere tota sunt destructa, hinc loco articuli cavum invenitur, ab exteriore totum cariosum, dum extrema ossium valde difformia, atque extenuata cavum circumdantia in tribus punctis concreverunt, et duo haec ossa sic sub angulo fere recto cohaerent.

DCLXVI. Os humeri sinistri lateris hominis adulti, anchylosi junctum, juxta lineam rectam, cum ulna; videntur totae superficies duorum horum ossium inter se concrevisse, quamvis caries supermanserit in articulo cum radio. Ulna infra anchylosin diffracta est.

DCLXVII. Os humeri sinistri lateris hominis adulti, sub angulo acuto firmiter concretum cum ulna. Carie affecta videntur haec ossa a parte exteriore articulationis, qua ulna etiam adhuc perforata est circa radicem processus olecrani. Articulatio radii fuit libera, ossa vero haec valde tenuia sunt.

DCLXVIII. Radius dextri lateris concretus cum ossibus carpi atque metacarpi quatuor digitorum. Subluxatio ossium carpi ad radium retrorsum hic locum habuisse videtur. Omnia haec ossa penitus inter se sunt concreta. Caries adfuisse videtur inter os multangulum minus, et capitatum, quum foramen sat magnum hic superest, cujus margines tamen sunt sanati.

DCLXIX. Radius sinistri lateris, ut videtur, foeminae adultae, anchylosi conjunctus cum osse naviculari, lunato, multangulo majori, minori, capitato, unciformi, atque ossibus metacarpi indicis, et digiti medii.

DCLXX. Ossa metacarpi quatuor digitorum cum ossibus secundi ordinis carpi, et naviculari firmiter inter se concreta. Omnia haec ossa valde sunt tenera ac levia.

DCLXXI. Os innominatum dextrum hominis adulti concretum cum osse femoris sub angulo recto. Caput ossis femoris in toto ambitu concrevit cum acetabulo, atque externa superficies in toto ambitu satis aequabilis est. Os sacrum videtur etiam anchylosi junctum fuisse cum margine superficiei articularis in osse ilio, hac enim in parte lamella ossea adhuc superest. Haec ossa sunt valde ponderosa.

DCLXXII. Ossis femoris pars inferior cum superiore parte tibiae hominis adulti. Globo sclopetario diffractum, vel fissum fuisse videtur extremum superius tibiae, et quamvis unio fragmentorum locum habuerit, tamen canalis, tribus aperturis hians in osse remansit; praeterea condylus internus ossis femoris concrevit cum sinu tibiae, flexo genu sub angulo recto; totus habitus hujus ossis probare videtur, hoc vulnus diu sanatum fuisse.

DCLXXIII. Femoris os concretum cum tibia, atque patella sinistri lateris hominis adulti, ac robustissimi. Cohaerent haec ossa sub angulo obliquo, ita ut genu parum flexum sit. Concreverunt ossa in superficiebus articularibus, adeo ut vestigia separationis quodammodo adhuc supersint, et spatium inter condylos femoris, et tibiam observetur.

DCLXXIV. Femoris os concretum cum tibia, et patella sinistri lateris hominis adulti. Concreverunt haec ossa mirum in modum post luxationem cruris in posteriora et exteriora. Totum extremum tibiae est difforme. Condylus externus femoris partim adhaeret superficiei articulari internae tibiae, partim externae, condylus internus totus superficiei internae tibiae infra caput ipsius supremum est impositus; uterque condylus callo duro atque compacto cum dictis partibus tibiae cohaeret, hinc crus multum quidem fuit contractum, sed situs pedis non valde est mutatus. Patella tam firmo nexu cohaeret, ut vix a condylis distinguatur.

DCLXXV. Femoris os cum tibia dextri lateris hominis adulti, flexo maxime genu, concretum. Crus paululum extrorsum fuit flexum, hinc condylus externus partim imminet parti tibiae, quae inter superficies articulares est. Spatium inter condylos et tibiam superest.

DCLXXVI. Femoris os, et tibia dextri lateris hominis adulti, inter se juxta lineam fere perpendicularem anchylosi juncta. Concreverunt haec ossa imprimis in partibus anterioribus articulationis. Spatium magnum inter condylos et tibiam superest.

DCLXXVII. Os femoris cum tibia, atque patella sinistri lateris hominis robusti, quorum extrema firmiter inter se concreverunt sub angulo valde obliquo.

DCLXXVIII. Tibia, et fibula dextri lateris hominis adulti, inter se firmiter ad malleolum externum, et in articulatione pedis cum osse talo concreta. Caries adfuisse videtur in nexu calcanei cum talo.

DCLXXIX. Tibia, fibula, talus, et calcaneus dextri lateris hominis adulti; licet haec ossa firmiter inter se anchylosi cohaereant, tamen distincta apparent vestigia articulationum. Os tibiae juxta totam longitudinem, imprimis a posteriore et exteriore affectum fuisse videtur ulcerationibus partium incumbentium.

DCLXXX. Tibia et fibula sinistri lateris hominis adulti, anchylosi juncta cum talo, et calcaneo, cum quibus rursus concreverunt os naviculare, atque tria ossa cuneiformia. Firmissime omnia haec ossa sunt concreta, ita ut vix constet ubinam antea articulis juncta fuerint, sed tamen omnis superficies externa satis est aequabilis. Calcaneus ab exteriore parum est laesus.

Ossa animalium morbis articulationum affecta.

DCLXXXI et DCLXXXII. Os innominatum, et ossis femoris pars superior sinistri lateris Suis. Acetabulum a posteriore et superiore cingitur luxuriante, tuberculoso, satis crasso strato calloso, et ab interiore tota pars lunata videtur cariosa. Caput ossis femoris totum etiam scabrum, et carie affectum est.

DCLXXXIII et DCLXXXIV. Tibiae pars inferior, ossa tarsi, et superior pars ossis metatarsi sinistri lateris Equi. Omnia ossa hujus articulationis superficiem inaequabilem, rugosam, spinis bene multis ex callo enatis obsessam habent.

DCLXXXV et DCLXXXVI. Tibia, calcaneus, talus, ac naviculare dextri lateris Equi. Omnia haec ossa sunt dissoluta, sed in toto ambitu aspera, callo tuberculoso obsessa.

DCLXXXVII. Ossa tarsi, et metatarsi sinistri lateris Equi, inter se anchylosi nexa. A latere interiore superficies in ambitu articulationis est valde inaequabilis, atque aspera; a posteriore vero, et exteriore longe aequabilior.

DCLXXXVIII. Tibia, et fibula cum ossibus tarsi, atque metatarsi sinistri lateris

Equi, ligamentis lateralibus juncta. Omnia ossa in superficiebus, quae diversas conjunctiones ambiunt, sunt aspera ex callo tuberculoso, qui exostoses notabiles a parte interiore format. Ossa primi ordinis tarsi sunt dissoluta, reliqua inter se, et cum metatarso concreta.

DCLXXXIX. Ossa omnia digiti pedis ejusdem extremitatis, ligamentis inter se nexa. Partes cartilagineae laterales, imprimis externa, ultimae phalangis in processus osseos mutatae sunt.

DCXC. Tibia, et fibula cum tarso, metatarso, atque ossibus digiti dextri lateris Equi, quae videntur ejusdem animalis quam praecedentia, inter se ligamentis nexa. Ossa omnia tarsi inter se, et cum metatarso sunt concreta; totus ambitus articulationis est inaequabilis, atque asper; exostoses vero sunt majores a parte interiore in tibia, atque tarso, quam in praecedente specimine.

DCXCI. Ulna cum nonnullis ossibus carpi dextri lateris Equi, anchylosi juncta. Exostoses insignes in toto ambitu hujus articulationis ex callo valde luxuriante fuerunt productae, unde latitudo ossium in articulo triplo major est quam latitudo ulnae.

DCXCII. Ossa secundi ordinis carpi cum metacarpi ossibus dextri lateris Equi, inter se firmiter concreta; a latere interiore parva exostosis ex osse metacarpi excreta est.

DCXCIII. Similia ossa Equi, anchylosi etiam concreta, sed ex luxuriante callo insignis exostosis ab anteriore et interiore latere producta fuit.

DCXCIV. Ossa metacarpi ac digitorum dextri lateris Equi, qui ex vitio in articulatione digiti cum metacarpo per biennium, flexo digito, apici ultimae phalangis innitebatur. Prima phalanx digiti, et extremum metacarpi a posteriore superficiem inaequabilem habent exostosibus, callo luxuriante productis; imprimis vero ossa sesamoïdea exostosen insignem formant, unde tota posterior superficies admodum difformis est, et digitus extendi non potuit. In posteriore superficie simili ratione articulatio primae, et secundae phalangis est inaequabilis, sed callus hic longe minori copia productus fuit. Quum per biennium semper innitebatur apici digiti, os ultimae phalangis ab anteriore fere totum est deperditum, et porosam monstrat superficiem.

DCXCV. Ungula ejusdem digiti, cujus forma tota est mutata, apex enim obtusus est, et planta solito magis repleta.

DCXCVI. Quinque concretiones osseae diversae magnitudinis, quarum duae satis insignes sunt, ex bursis mucosis tendinum digiti Equi.

DCXCVII. Dimidia pars digiti Equi, perpendiculariter serrae ope secti, constans ex osse secundo, et tertio cum sesamoïdeo, ab exteriore luxuriante callo concreta. Sectione constat superficies articulares esse sanas, sed in ambitu ossa tantum esse concreta.

DCXCVIII. Ultima phalanx digiti Equi, cujus laterales cartilagineae lamellae in ossa lata, ac complanata versae sunt.

DCXCIX. Quinque vertebrae dorsales Equi corporibus, atque processubus spinosis inter se concretae; ipsae vero superficies articulares corporum non inter se sunt conjunctae, sed exostoses ex marginibus enatae, ex quibus duae valde protuberant, conjungunt ipsa corpora.

DCC. Septem vertebrae dorsales, cum totidem costis dextri, et sex costis sinistri lateris Equi. In ambitu omnium conjunctionum exostoses insignes fuerunt productae, quibus inter se concreverunt corpora vertebrarum, media tamen vertebra excepta, cujus exostoses nondum cum vicinis vertebris conjunctae sunt. Duae anteriores costae in utroque latere etiam anchylosi cohaerent cum vertebris, sed reliquae, licet articulationes circumdentur insignibus lamellis osseis tamen dissolutae manserunt. Duarum posteriorum vertebrarum processus spinosi etiam sunt concreti.

DCCI. Sex posteriores vertebrae lumborum Equi, ex quibus tres processubus transversis inter se concretis cohaerent.

DCCII. Vertebrae viginti septem caudales Piscis cum insigni exostosi ab uno latere.

DCCIII. Duae vertebrae Boae constrictoris, callo tuberculoso concretae.

Morbi ossium ex causa scrophulosa.

DCCIV. Ossis humeri dextri lateris pars inferior cum superioribus partibus radii et ulnae.

DCCV. Radius, et ulna cum ossibus carpi et metacarpi sinistri lateris ejusdem militis, viginti et octo annorum, habitus corporis proceri et robusti. Postquam tribus vel quatuor annis praeterlapsis tumor, procul dubio ex metastasi, circa articulationem cubiti dextri se manifestaverat, qui sensim sensimque auctus, et tandem sponte disruptus fuit, die 9 Martii 1799 in Nosocomio Militari, quod Bergae ad Zomam erat, recipiebatur; insequente mense Maji caries in ipso articulo cubiti observabatur cum febre lenta hectica; vires erant satis vegetae, et appetitus bonus; post aliquot tempus tumor circa carpum sinistrum producebatur, qui disruptus in ulcus mutabatur cum carie ossium; eodem tempore tumebat maxime glandula submaxillaris sinistra, unde etiam ulcus proveniebat, effundens pus consistentiae unctuosae, ac caseosae, et brevi simile ulcus in femore sinistro aderat. Ex praegressis, atque durante morbo observatis symptomatibus constabat, causam esse scrophulosam, quod sectione cadaveris etiam dein confirmabatur, postquam marasmo consumtus, die 24 Januarii 1801 diem supremum obierat. In ambitu cubiti dextri inveniebatur massa satis crassa, dura, ac lar-

dacea, nec musculi, nec eorum tendines distinguebantur; omnis superficies articularis glabra deficiebat, et ossa hac in parte erant cariosa. Processus olecranon concreverat cum osse humeri. Circa articulationem manus sinistrae destructae fere omnes erant partes. Nonnullis in locis eadem materies lardacea articulum tegebat, sed ab interiore omnia ossa carpi, metacarpi, et extrema ossium cubiti erant denudata, atque cariosa. Phalanges digitorum adeo erant emollitae ut digitis comprimi potuerint. Cavitates medullares omnium ossium longorum erant dilatatae, atque medulla sanguinolenta repletae; ipsa substantia ossea tenerrima, ac fragilis, serrae ope ut lignum mollius dividebatur, dum haec etiam, sed minori gradu in ossibus cranii observabantur. Ulcerosa erat glandula submaxillaris sinistra, atque parotis tumefacta, et dura. Plurimae glandulae mesentericae erant induratae, atque repletae substantia caseosa, atque unctuosa. Hepar erat durum, ac pallidi coloris; vesicula fellea, bile valde distenta; tunicae ventriculi, atque intestinorum facillime disrumpebantur; inferior pars intestini ilii valde erat inflammata. Pulmones erant indurati, atque in cavitate sinistra pectoris insignis quantitas humoris serosi praesens observabatur.

Extremum inferius ossis humeri dextri insigniter ampliatum cariosam superficiem a latere interiore, et exteriore offert, cum marginibus inaequalibus ex effuso callo. Tota superficies articularis carie pro parte consumta est; radii caput, caeteris ossibus quidem minus affectum, in superficie articulari est cariosum. Ulnae extremum totum maxime tumefactum, carie circa articulum valde exesum, concrevit interventu processus olecrani, atque ab interiore latere cum osse humeri.

Radii, atque ulnae sinistri lateris pars inferior valde tumefacta, inaequabilis est, partim effuso callo, crustam tuberculatam formante, partim inaequabili distensione cavitatis cellularis ossis, post ejusdem emollitionem, in articulatione carie affecta concrevit cum osse carpi lunato, quod ab altera parte rursus concrevit cum capitato; carie consumta sunt naviculare atque triquetrum; ossa secundi ordinis carpi ex eadem causa difformia sunt reddita, et concreta pro parte cum ossibus metacarpi, quorum capita superiora etiam partim cariosa, partim tumefacta, et tota ossa valde emollita sunt. Omnia haec ossa levissima sunt.

DCCVI et DCCVII. Tibia et fibula dextri lateris hominis junioris, qui carie in media parte tibiae laboravit.

S. V. H. miles viginti trium annorum habitus corporis scrophulosi et cachectici, a prima infantia laboravit ulceribus ad tibiam dextram; anno aetatis decimo quarto, ulceribus sanatis, alienatio mentis observabatur, quae perseverabat usque dum ulceratio denuo ad tibiam dextram restituta fuisset. Die 16 Febr. 1814 in Nosocomium Militare admissus ulceratio magnitudinem habebat palmae manus, satis bonae erat conditionis, sed parum flaccida, quo in statu diu perseverabat. Tandem accedebat febris intermittens, quae brevi in continuam mutabatur.

Aeger

Aeger erat morosus et ulceratio, sensim sensimque in omni ambitu aucta; gangraena humida afficiebatur, et superficiem exhibebat sordidam, secernentem mucum tenacem cum liquamine omnium partium mollium, ut musculorum, tendinumque, neque mutandam remediis internis, ut cort. Peruv. cum arnica, valeriana, acido vitrioli, elixire acido Halleri, vel externis, ut salice, scordio, aqua Thedenii, arnica, sp. vini camphorato, similibusque. Denudatio ossis hinc obtinebat ad duas tertias partes totius longitudinis, atque fere in toto ambitu cum carie proserpente, et quamvis nonnunquam aliqua spes sanationis superesse videretur, haec tamen omnis disparebat, quando vires tandem erant exhaustae, et postquam per plures dies doloribus atrocissimis cruciatus, atque inquietudine affectus, mense Maji ejusdem anni moriebatur.

Media pars tibiae carie penitus consumta substantiam ossis valde porosam; emollitam offert, et sursum et deorsum necrosi affecta multas exhibet partes, quae plus minus a caeteris jam sunt separatae, dum in ambitu callus pravae indolis hic atque illic secretus est. Fibulae corpus etiam juxta totam fere longitudinem ampliatum, in plurimis locis tegitur tenui crusta callosa, atque hinc inaequabile est.

DCCVIII et DCCIX. Tibiae pars major inferior, et fibulae similis pars sinistri lateris militis, qui carie scrophulosa in his ossibus cum febre hectica, atque cachexia, superstite post hydropem universalem, laborans, amputatione cruris tali cum successu a memorato morboso statu fuit liberatus, ut vulnus die duodecima ab operatione sanatum fuerit, et aeger brevi post ad plenariam sanitatem redierit.

Tibia ad altitudinem transversae manus supra articulationem cum pede valde tumefacta, superficiem ovalem cariosam, valde prominentem monstrat. Fibulae fere totum extremum inferius tumefactum, inaequabile, porosum, spinulisque obsessum est. Cavum medullare maxime ampliatum est, superstite tantum tenui crusta ossea.

DCCX et DCCXI. Tibia, et fibula dextri lateris juvenis, scrophuloso morbo affecti. Fibulae pars dimidia superior offert insignem ovalem tumorem, ambitus in media parte 281 lin. belg., 10 poll. 9 lin. rhen., spinosum, ab omni parte cariosum, ac inaequabilem, dum tota inferior ossis pars tumefacta solito etiam latior est. Tibia etiam valde ampliata, latus internum imprimis complanatum monstrat a compressione tumoris fibulae, imo quodammodo excavata est in superficie huic ossi opposita. A superiore pars insignis necrosi affecta, ab una parte ab epiphysi separata est, sed ab altera parte cum corpore ossis adhuc firmiter cohaeret, dum limbo revoluto, calloso, structurae cellularis, pro parte tegitur. Utrumque hoc os levissimum est.

DCCXII. Os femoris sinistrum juxta totam fere longitudinem cariosum, et in parte superiore tumefactum ex eadem causa. Collum ferme perpendiculariter ex

corpore ossis adscendit, unde multum supra trochanterem majorem prominet. In capite ab exteriore et interiore excavationes satis profundae adsunt, ubi cartilago articularis non tantum deficit, sed ossis facies se monstrat ut observari solet post sanatam cariem. Infra trochanterem majorem canalis est introrsum ducens, parietibus satis glabris; ad aliquam distantiam deorsum totum os est tumefactum, superficiem partim inaequabilem, partim tuberculosam, atque substantiam quodammodo spongiosam ex multitudine foraminulorum exhibens, dein a posteriore etiam erosum est in superficie complanata supra articulationem genu. Ipsa articulatio genu etiam affecta videtur, dum condyli a posteriore sunt carie erosi, et patella concreta est cum superficie articulari in anteriore parte femoris. Pondus hujus ossis est imminutum.

DCCXIII. Radius atque ulna cum omnibus ossibus manus dextri lateris hominis adulti. Radius ab inferiore valde tumefactus, atque inaequabilis concrevit cum ulna, et ossibus carpi, atque horum interventu cum ossibus metacarpi, post sanatam cariem scrophulosam.

Morbi ossium ex scirrho et cancro.

DCCXIV. Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore, plurimisque dentibus maxillae superioris; maxillae inferiori ab utroque latere inhaeret unus dens molaris, dum reliqui omnes perierunt. Tota anterior pars maxillae est erosa, ita ut de margine alveolari inter memoratos dentes nihil supersit; superstes margo inferior maxillae in toto ambitu cariosam monstrat superficiem. Tota haec destructio provocata est cancro labii inferioris. Cranium hoc valde ponderosum est.

DCCXV. Cranium viri adulti cum maxilla inferiore, nec non dentibus omnibus sinistri lateris, atque duobus molaribus dextris maxillae superioris.

M. Z. Polonus die 10 Aprilis 1800 in Nosocomium Militare, quod Leidae erat, receptus, laborabat ulcere carcinomatoso, magnitudinis floreni Hollandici, ad labium inferius, cum febricula hectica. Ulceris margines indurati, ac revoluti, facillime sanguinem fundebant; dolores erant vehementes, et tenuis ichor foetidus, partes, juxta quas effluebat, erodens, ex ulcere sat copiose prodibat. Glandulae submaxillares, imprimis vero dextra, maxime erant tumefactae, tuberculosae, induratae, dolentes, et maculis lividis, ac rubris obsessae.

Nulla probabilis causa ab aegroto indicabatur. Referebat vero, quotannis durante hyeme, in labio inferiore adfuisse fissuras, facile sanguinem fundentes cum dolore labii, quae initio aestatis disparebant. Hyeme vero proxime praeterlapso hocce vitium sat cito jam pravae indolis se manifestaverat, et tandem in dictum statum pervenerat.

Men-

Mense Maji ad finem vergente, ulcus labii insigniter, et intra breve tempus augebatur. Glandula submaxillaris dextra indurata, ubi maculis tincta erat, aperiebatur, et emittebat ichorem tenuem, foetidum, aeque ac ulcus labii. Margines hujus ulceris etiam erant revoluti, et dolores lancinantes atque intolerabiles. Glandulae submaxillares sinistrae, et utraque parotis erant induratae. Ulcera sensim sensimque adaucta circa finem mensis Augusti confluebant, et ante illud tempus jam caries maxillae observata fuerat eo in loco, ubi nunc ulcera confluebant. Partes molles sensim consumebantur, et tandem infra maxillam inferiorem ulcus ad cavum oris penetrabat, ita ut esculenta ac potulenta, quae hucusque quamvis summa cum difficultate assumserat aeger, nunc etiam ex ulcere effluerent. Ad omnia remedia rebellis hicce morbus, morte die 18 Octobris 1800 terminabatur, postquam febre hectica, sensim adaucta, omnes vires penitus erant consumtae.

Caric destructa est magna pars lateris dextri maxillae inferioris, nec non margo alveolaris maxillae superioris, cui infixi fuerant dentes incisores, cuspidatus ac bicuspidatus primus hujus lateris. Ab exteriore ramus adscendens maxillae, et os jugale dextri lateris innumeris foraminibus pertusa sunt; ab interiore autem pars maxillae usque ad radicem processus coronoïdei, et processus articularis carie penitus consumti sunt. Additi sunt dentes incisores, cuspidatus, ac duo bicuspidati superioris et inferioris maxillae, qui fungoso ulceri gingivae, durante vita, inhaerebant.

DCCXVI. Cranium viri adulti cum maxilla inferiore, qui cancro labii inferioris cum carie maxillae inferioris laborans, in Nosocomium Militare receptus, post quinque menses, anno 1806 obiit.

Maxillae superiori pauca tantum fragmenta nonnullorum dentium inhaerent, reliqui omnes dentes fuerunt evulsi, et alveoli sunt deleti. In maxilla inferiore nullus dens invenitur. Carie totum hoc os consumtum est ab insertione musculi masseteris sinistri lateris usque ad foramen mentale alterius lateris. Superstite parte, sed valde cariosa, prominentiae mentalis.

DCCXVII. Maxilla inferior viri adulti carie consumta a latere sinistro, ab insertione musculi masseteris usque ad dentem cuspidatum dextrum, ex carcinomate labii inferioris. Margini alveolari dextro inhaerent dens cuspidatus, duo bicuspidati, atque duo molares ultimi; primus dens molaris fuit evulsus, ejusque alveolus est clausus.

Morbi ossium a Tinea capitis.

DCCXVIII. Cranium cum maxilla inferiore infantis, durante secunda dentitione mortui, ac tinea capitis affecti. Utrumque os verticis pro majori parte tumefactum offert tabulam externam innumeris foraminulis totam spongiosam, ac elevatam supra reliquam ossium superficiem.

DCCXIX. Os verticis dextri lateris infantis paullo junioris; totum hoc os tu-

mefactum, tabulam externam simili ratione spongiosam offert, interna vero ossis superficies sana videtur.

Morbi ossium a causa venerea.

DCCXX. Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore, omnibusque dentibus, excepto unico molari lateris sinistri maxillae inferioris, antea evulso. Ex carie venerea foramen oblongum in ossibus palati prope marginem posteriorem enatum est, atque posterior et inferior ossis vomeris pars erosa cernitur.

DCCXXI. Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore, omnibusque dentibus in utraque maxilla. Os vomeris ex eadem causa totum est deperditum, latera narium, ex maxillaribus ossibus composita, una cum ossibus spongiosis sunt erosa, atque haec penitus destructa; palatum durum duplici foramine, in medio, et in margine posteriore est perforatum. Superficies externa ossis frontis est inaequabilis, sed tamen absque indicio cariei.

DCCXXII. Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore, plurimisque dentibus. Totum os vomeris, ossa spongiosa inferiora, atque palatum carie venerea sunt consumta. Os frontis sutura sagittali descendente in duas partes divisum est.

DCCXXIII. Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore, omnibusque dentibus in utraque maxilla, cujus palatum totum erosum fuit ex lue venerea, superstite vero integro margine posteriore, ut et totum ferme os vomeris, atque pro parte os spongiosum inferius dextrum. Mortuus vero est ex ulcere maligno glandulae parotidis dextrae, quo levis caries producta fuit in osse temporis supra et pone meatum auditorium, in articulatione maxillae inferioris, in hujus ossis capite articulari, et in processu zygomatico.

DCCXXIV. Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore, atque dentibus nonnullis maxillae superioris, omnibusque maxillae inferioris, duobus molaribus, antea evulsis, exceptis. Lue venerea erosus est processus alveolaris dentium incisorum, ac cuspidatorum, pone quem palatum a latere sinistro etiam est exesum; destructa porro est pars posterior dextra lamellae palatinae ossis maxillaris, totum os palati illius lateris cum processu alveolari dentium molarium, dum partes superstites processus pterygoïdei hoc in latere crassiores deprehenduntur. A latere sinistro erosa est basis ossis palati, et quod de palato superest, scabrum atque inaequabile invenitur; deficit etiam processus alveolaris dentium molarium hujus lateris. In cavitate narium deficiunt ossa spongiosa inferiora. Totus vero habitus ossium carie affectorum probare videtur, hanc cariem maximam partem jam fuisse sanatam.

DCCXXV. Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore, atque huic inhaeren-

rentibus dentibus incisoribus, cuspidatis, bicuspidatis, atque molaribus ultimis, evulsis antea reliquis, nec non in maxilla superiore dentibus cuspidatis, bicuspidatis ultimis, deficientibus molaribus, et incisivis sinistris, diffractis dextris. Ex lue venerea destructus est margo alveolaris dentium incisorum sinistri lateris. Penitus consumta sunt omnia ossa, quae nares internas constituunt, lamina cribrosa ossis cribriformis sola superstite; deficiunt porro ossa nasi, processus nasales ossium maxillarium superiorum, atque ossa plana. Media pars ossis frontis caric a tota tabula externa orbata est; hinc parietes posteriores sinuum frontalium toti quanti in conspectum veniunt. Ab utroque latere suturae sagittalis ossa verticis etiam ad diploën usque carie sunt erosa. Tota vero haec late diffusa caries videtur jam fuisse limitata, atque sanatio inchoata.

DCCXXVI. Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore, cui tantum tres inhaerent dentes molares, reliqui omnes sunt deperditi. Ex lue venerea tota pars dextra faciei destructa est; carie nimirum deperditum est totum os maxillare superius dextrum cum osse nasi, totum latus dextrum ossis cribriformis cum parte septi, adeo ut foramen adsit, quo communicat conceptaculum cerebri cum naribus internis, porro totum os jugale cum ea parte processus lateralis ossis multiformis, cui adjungitur. Superest hoc in latere margo posterior basis ossis palati cum portione processus pterygoïdei ossis multiformis. A latere sinistro deficit margo alveolaris dentium incisorum, et palati pars anterior. Omnes reliqui dentes, excepto cuspidato, hic fuerunt evulsi, et alveoli sunt clausi.

DCCXXVII. Cranium hominis adulti, cujus omnia ossa faciei a latere sinistro carie consumta sunt. Superest tantum a latere dextro os maxillare superius cum osse palati, atque reliquis ossibus, quae orbitam componunt. Quum nasi ossa, et glabella etiam deficiunt, sinus frontales penitus sunt aperti. Carie perforata est lamella cribrosa ossis cribriformis, erosi sunt processus prior, atque totus processus lateralis ossis multiformis cum anteriore parte portionis squamosae ossis temporis, adeo ut in basi, et in latere conceptaculi cerebri amplissimum foramen adsit. Perierunt alveoli omnes in superstite osse maxillari dextro.

DCCXXVIII. Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore, plurimisque dentibus. Ipsum conceptaculum cerebri serrae ope horizontaliter est apertum, et partes superiores orbitarum sunt cunei ope diffractae. Ex lue venerea omnia ossa, quae ad nares internas atque palatum pertinent penitus sunt consumta; deficiunt partes inferiores ossium nasi, processus alveolaris a dente bicuspidato posteriore dextri lateris ad bicuspidatum secundum oppositi lateris, erosa etiam sunt ossa unguis. Omnia probant totam hanc cariem fuisse sanatam, dum simul apertura anterior narium margine integro cingitur, et ovalis est figurae, cum intropressis ossibus nasi, in quantum haec supersunt. Sinus sphaenoïdales etiam toti perierunt, sed fundus eorum a carie liber fuit.

DCCXXIX. Ejusdem viri reliquiae oculorum cum nervis opticis, atque thalamis eorumdem spiritu vini reconditae, postquam per decem annos caecitate ex causa venerea laboraverat. Tenues admodum sunt nervi optici, et de ipsis globis oculorum nihil superest nisi partes posteriores membranarum scleroticarum, quibus inserti sunt dicti nervi.

DCCXXX. Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore, omnibusque dentibus in utraque maxilla, incisoribus maxillae superioris exceptis; molares autem ultimi maxillae inferioris intra alveolos adhuc reconduntur.

Carie venerea antea fuerunt destructa ossa spongiosa inferiora, vomer, margo alveolaris dentium incisorum mediorum, atque palatum, excepta parva portione a parte priore, nec non majores partes ossium nasi. Caries aliquo tempore ante mortem sanata fuit. Ossium maxillarium margines, qui aperturam anteriorem narium in hoc cranio valde elongatam limitant, nec non ambitus foraminis in palato superficiem rotundatam, atque aequabilem exhibent. Os frontis sutura sagittali ad nasum usque descendente, in duas partes dividitur.

DCCXXXI. Cranium hominis adulti, absque maxilla inferiore, cum dentibus molaribus quinque, atque duobus bicuspidatis, deperditis reliquis. Postquam omnia ossa nares internas componentia a caric venerea fuerant consumta, longo tempore ante mortem aeger sanatus fuisse videtur. Apertura narium anterior formae rotundatae, crasso, nec non aequabili margine cingitur. Ossa nasi, et superstites partes ossis cribriformis crassitie quam maxime sunt aucta. Ipsum palatum non fuit affectum.

DCCXXXII. Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore, atque nonnullis dentibus. Ex lue venerea pars anterior septi narium fuit erosa, atque fundus narium foramine, pone processum alveolarem dentium incisorum dextri lateris, pertusum est. Ossium nasi margines inferiores, imprimis a latere sinistro, etiam fuerunt erosi, sed omnis haec caries rursus sanata videtur. Os frontis est inaequabile, ubique fere levia indicia cariei praebens. Ex eadem causa consumta est pars tabulae externae ossis frontis prope orbitam sinistram; praeterea in osse verticis sinistro indicia praesentis cariei in parte interiore adsunt. Totum hoc cranium valde est ponderosum.

DCCXXXIII. Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore, atque fere omnibus dentibus. In media parte ossis verticis sinistri caries adest, qua tabula externa, et interna destructae sunt, sed diploë tamen adhuc superest. Interna vero lamina magis consumta est quam externa; in ambitu cariei ossea substantia porosa cernitur.

DCCXXXIV. Cranium hominis adulti, Bohemiensis, serrae ope horizontaliter apertum, cum maxilla inferiore; omnes dentes molares, exceptis dentibus lateris dextri in maxilla inferiore, qui tamen vix alveolis adhuc inhaerebant, antea fuerunt evul-

evulsi, et perierunt eorum alveoli; incisores vero, et cuspidati supersunt.

Postquam hic vir diu arthritide venerea laboraverat exostosis in osse frontis se manifestabat, cui, sponte disruptis integumentis communibus, ob praesentem cariem in hoc loco, corona trepani fuit applicata, atque portio quaedam ablata; infelici tamen cum successu haec operatio instituebatur, quum insequenti die facultates animae erant turbatae, summa inquietudo, motus enormes, declamationes, aliaque erethismum universalem indicabant, et aeger quinto vel sexto die post operationem moriebatur. Sectione cadaveris instituta omnes membranae cerebri, ipsumque hoc organon inflammatione affecta inveniebantur. Multis in locis jam suppuratio adfuit; ventriculi cerebri purulenta materie turgebant, et pus in ipsius cerebri substantia nonnullis in locis detegebatur. In ambitu foraminis, corona trepani producti, in media parte ossis frontis, nec non in osse verticis cariosa deprehenduntur ossa non tantum in superficie externa, sed etiam in interna.

DCCXXXV. Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore, atque plurimis dentibus. Carie ex lue venerea perforatum est os frontis supra orbitam sinistram, cujus foraminis margines tamen sanari inceperunt, destructa antea videtur tabula externa hujus ossis, et fossae temporalis, ubi parvum foramen etiam praesens est in nexu ossis frontis cum processu laterali ossis multiformis, sed et haec caries sanata videtur. In media parte ossis verticis dextri tabula externa etiam est erosa, interna valde porosa. In apice ossis occipitis similis erosio observatur. Caries porro adest in anteriore parte ossis maxillaris dextri, qua dens cuspidatus, atque incisor ceciderunt; dum in maxilla inferiore duo dentes bicuspidati illius lateris perierunt ex destructa illa parte maxillae, superstite tamen lamina interna eorum alveolorum.

DCCXXXVI. Conceptaculi cerebri pars superior, sectione horizontali a cranio separata. In media parte ossis verticis dextri a latere suturae sagittalis carie ex causa venerea foramen exesum est, diametri 20 lin. belg., 9 lin. rhen., atque in ambitu ossa sunt porosa.

DCCXXXVII. Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore, omnibusque dentibus. Carie erosa est externa tabula ossis frontis, ubi haec duobus musculis frontalibus tegitur, nec non in media parte, sive glabella; hinc variis in locis hiant sinus frontales; tabula vero interna ossis nondum affecta est. Corpus ossis jugalis sinistri tumefactum, et valde porosum cernitur; totum vero os jugale dextrum cum processu supercilii carie fere penitus destructum est, superstite tantum lamina interna. In vertice cranii etiam pars tabulae externae utriusque ossis verticis carie destructa est.

DCCXXXVIII. Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore, eique inhaerentibus omnibus dentibus, nec non dentibus maxillae superioris, exceptis incisoribus, cuspidato, atque bicuspidatis lateris sinistri. Totum fere os frontis, ma-

jores partes ossium verticis, os squamosum, ossis multiformis pars dextra, os jugale, et processus zygomaticus dextri lateris carie affecta sunt, sed ipsa substantia in latissime extensa hac carie tamen ubique granulis quasi compressis obsessa est, ita ut sanatio exspectari potuisset. Carie porro destructa sunt fere totum palatum, pars ossis vomeris, utrumque os spongiosum inferius, margo alveolaris, cui inhaeserunt dentes incisores, cuspidatus, et duo bicuspidati lateris sinistri, atque anterior pars corporis ossis maxillaris, dum ipse processus nasalis, atque os nasi hujus lateris etiam affecta fuerunt, sed etiam in his partibus sanatio videtur inchoata. Addita sunt nonnulla fragmenta necrosi separata.

DCCXXXIX. Cranium foeminae absque maxilla inferiore. Totum os verticis dextri lateris, pars ossis verticis alterius lateris, et portio occipitalis ossis occipitis ex lue venerea cariosa sunt; nullibi tamen penetravit caries ad tabulam internam; externa vero ubique fere est destructa vel tuberculosa.

DCCXL. Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore, atque omnibus dentibus, excepto incisore medio. Ossis frontis ferme tota pars frontalis carie venerea est exesa; in multis locis deficit utraque tabula, cum diploë intermedia, in aliis cribro simile redditum est hoc os; proserpit caries per mediam partem ossis verticis dextri, dum et os verticis oppositi lateris duobus in locis etiam carie partim erosum est. Deleta est sutura sagittalis. Ossa, quae ad nares internas pertinent, superioribus partibus ossis cribriformis exceptis, tota quanta sunt consumta. Ossium nasi et processuum nasalium partes exiguae tantum supersunt; os unguis sinistrum perforatum est, sed haec omnia sanata videntur.

DCCXLI. Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore, plurimisque dentibus. Ex lue venerea tota ferme pars frontalis ossis frontis cum partibus ossium verticis, quae illi adjunguntur, ubi in juniori aetate fontanella adest, in utraque tabula necrosi sunt affecta, atque in toto ambitu crena admodum manifesta pars mortua separata est a viva, ita ut paucis in punctis amplissima haecce portio ossis emortui adhuc cum reliquis partibus cohaereat. Tota ipsius superficies externa est erosa. Margines, in osse vivo crena producti, sunt partim acutissimi, partim vero rotundati. Uterque sinus frontalis hiat, quum eo usque necrosis se extendit.

DCCXLII. Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore; horizontaliter ipsum conceptaculum cerebri serrae ope est divisum, atque sectione constat, solidam admodum esse substantiam omnium ossium, atque diploën ubique desiderari, unde pondus hujus cranii solito etiam majus est. Os frontis in plurimis locis cariem monstrat, qua tabula externa erosa est, diploë vero, atque nonnullis in locis tabula interna necrosi sunt affecta; ubique in toto fere ambitu partes necrosi affectae crena separatae sunt a vicino osse vivo, sed plurimis in locis tamen adhuc adsunt, dum in iis, ubi emortuae partes exfoliatione fuerunt separatae, os cicatri-

ce

ce quasi tegitur, superstite sola tabula interna. In osse verticis sinistro etiam pars necrosi periit; in ambitu frusta nonnulla adhuc separanda supersunt; in medio tabula interna granulationem ossis demonstrat. A parte conceptaculi cerebri tabula interna valde est porosa et tumefacta.

DCCXLIII. Pars anterior conceptaculi cerebri hominis adulti. Tabula externa cum diploë partis mediae ossis frontis, glabellae, ac superciliorum necrosi periit, atque exfoliatione separata est; nonnullis in locis etiam tabula interna destructa est; cujus superficies nunc externa jam satis aequabilis est, interna vero tota quanta porosa. Margines tabulae externae, ubi separatio obtinuit, sunt rotundati.

DCCXLIV. Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore, deficientibus plurimis dentibus molaribus. In osse frontis, utroque osse verticis, osse jugali sinistro, et angulo posteriore sinistro maxillae inferioris, caries ex causa venerea observatur. In omnibus vero affectis locis ad sanationem pervenisse videtur caries. In osse verticis dextro maxima omnium destructio locum habet, hic enim periit insignis portio tabulae externae, et diploë necrosi affecta cernitur; pro parte vero exfoliatio obtinuit, et granulatio ossis prodire incepit. In maxilla inferiore pars affecta est tumefacta, atque effusus callus valde porosus est.

DCCXLV. Cranium militis Alsatici cum maxilla inferiore, omnibusque dentibus. A media fronte, et supercilio sinistro insignis portio tabulae externae carie venerea fuit antea separata, sed integra superest tota tabula interna, cujus superficies, ut et margines, ubi emortua pars separata est, probant amplam hanc cariem fere penitus fuisse sanatam. Omnes nimirum asperitates, parva admodum portione adhuc necrosi affecta superstite, perierunt, et noviter productus callus superficiem aequabiliorem jam reddidit. Maxillae inferioris ramus horizontalis sinister valde est tumefactus, atque adhuc leve indicium cariei praebet.

DCCXLVI. Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore, et omnibus dentibus. Tabula externa ossium, quae epicranio musculo teguntur, ex lue venerea fuit affecta, et in osse frontis fere tota cum diploë consumta est, dum in media hujus ossis parte, et in vertice cranii parva portio etiam tabulae internae exfoliatione est separata, et sinus frontalis dexter ample hiat. Ubique vero ipsa sanatio ossis manifesta est. Omnes asperitates atque acutiores margines sunt deleti, granulosa est superficies ossium omnium, dum os frontis magis est tuberculosum a prominentibus partibus superstitibus tabulae externae.

DCCXLVII. Superior pars conceptaculi cerebri horizontali sectione ab inferiore parte separata. A media parte ossis frontis oblique retrorsum ad mediam partem ossis verticis dextri lateris caries ex lue venerea adfuit in tabula externa, quae tamen sanata est, superstite foramine in osse frontis, ubi suturam corona-

lem cum verticis osse componit, quum totum os hic destructum fuerit. Margines vero hujus foraminis sunt extenuati, atque rotundati.

DCCXLVIII. Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore, plurimisque dentibus. In media parte ossis frontis ex carie consumta fuit tabula externa ossis, sed ad plenam sanationem perducta fuit; hinc leve vestigium tantum superest.

DCCXLIX. Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore, deperditis, durante vita, omnibus dentibus, processus alveolares penitus perierunt. In media parte ossis verticis dextri foramen parvum superest ex antea praesente carie, qua tabula externa magis quam interna destructa fuit.

DCCL. Pars conceptaculi cerebri posterior, dissecto cranio perpendiculariter per mediam partem processuum mammillarium. In posteriore parte ossis verticis dextri ex antea praesente, sed sanata, carie superficies ossis est inaequabilis; in toto vero ambitu tabula externa est porosa, ac plus minus inaequabilis.

DCCLI. Pars superior conceptaculi cerebri hominis adulti, qui diutissime lue venerea laboravit. Omnis fere superficies externa hujus partis carie est affecta, quae tamen tabulam externam solam erosit. In vertice vero amplum admodum fuit foramen ad duram matrem penetrans, cujus margines sunt rotundati, aequabiles, crassi, et quod producto callo jam multum est imminutum. In osse frontis etiam cicatrix sanatae cariei adest. Dura mater ab interiore in situ servata est, atque hanc nullibi fuisse affectam manifeste constat.

DCCLII. Cranium hominis adulti absque maxilla inferiore, horizontali sectione apertum. Deleta est tota sutura sagittalis; in utroque osse verticis, ubi sagittalis sutura cum lambdiformi jungitur, foramen, procul dubio carie productum adfuit, quod tamen regenerato osse imminutum est, utriusque foraminis margines sunt valde aequabiles; substantia omnium ossium est compacta, et in ambitu utriusque foraminis cernitur, imprimis ab exteriore, qualis pars noviter fuerit producta.

DCCLIII. Pars superior conceptaculi cerebri militis, qui post moram trium annorum et quod excurrit in Nosocomio militari, quod Leidae fuit, ex febre nervosa periit. Per insigne temporis spatium, antequam in Nosocomium recipiebatur, lue venerea, atque ulceribus in diversis corporis partibus laboraverat. Omnia ossa totius sceleti videbantur plus minus affecta, sed imprimis ossa cranii. In fronte atque occipite saepius caries observabatur, quae post exfoliationem fragmentorum sanabatur; in osse frontis hac de causa duo adfuerunt foramina, per quae continuis aliquot mensibus, pulsatio cerebri manifeste observabatur. Tandem et haec foramina innato callo sensim sunt clausa, et aeger diu ab omni symptomate venereo liberatus fuit. Foveae duae in osse frontis, atque similis in osse verticis dextro adsunt, ubi tabula interna tota est regenerata, ut in interna superficie etiam apparet; margines tabulae externae sunt laevigati.

DCCLIV. Cranium foeminae adultae cum maxilla inferiore atque omnibus dentibus. In osse frontis, supra glabellam fovea superest, regenerata etiam hic tabula ossis interna, postquam carie totum os in hac parte fuerat destructum.

DCCLV. Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore, omnibusque dentibus. In osse frontis similia vestigia supersunt sanatae cariei, qua tamen tabula interna non videtur erosa fuisse.

DCCLVI. Cranium foeminae adultae, quae morbo venereo laboravit, cum maxilla inferiore, atque omnibus fere dentibus. Totum hoc cranium ponderosum admodum est, atque ossa solidissima offert. Perierunt cum dentibus molaribus sinistri lateris maxillae superioris alveoli; totus vero ille processus cum parte posteriore ossis maxillaris valde intumuit, atque ossis substantia solito magis videtur compacta.

DCCLVII. Cranium hominis adulti luetici cum maxilla inferiore, atque vertebris cervicalibus ligamentis nexis. Utraque lateralis pars conceptaculi cerebri sectione perpendiculari, et horizontali est ablata ad processus durae matris, atque vasa cerebri, idonea materie repleta, demonstranda. Sectionibus vero illis constitit, os frontis, atque duo ossa verticis crassitie quam maxime fuisse aucta, prominente introrsum tabula interna; hinc quum margines ossium suturas componentes immutati supersunt sulci ab interiore, satis profundi observantur, ubi suturae adsunt. Externa superficies cranii immutata est; interna vero, imprimis fornicata pars, tota est inaequabilis, diploë autem maxime increvit in plurimis locis; hinc capacitas conceptaculi cerebri imminuta est.

DCCLVIII. Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore, omnibusque dentibus. Conceptaculum cerebri quodammodo est difforme, quum latus sinistrum dextro paulo majus sit. Totum cranium valde est ponderosum ex crassitie ossium aucta; externa superficies est sana.

DCCLIX. Extypon ex gypso cranii insignis magnitudinis ab aucto volumine omnium ossium viri, qui procul dubio morbo venereo laboravit. Faciei ossa valde tumefacta omnem formam naturalem amiserunt, et cavitates narium, atque orbitarum multum sunt imminutae. Pars conceptaculi tolli potest, quo constat, ossa inaequabiliter, atque imprimis ossa verticis in insignem crassitiem excrevisse. Ipsum cranium antea Bonnae asservabatur in Musaeo Electoris Coloniae, (1).

DCCLX. Os humeri sinistri lateris. Tota lamella cartilaginea articulationis cubiti periit, atque superficiem cariosam reliquit; posterior pars capitis pro articulatione cum radio necrosi affecta est. Totum os ad aliquam distantiam supra

(1) A. J. Dezallier D'Argenville, *l'Histoire naturelle éclaircie dans une de ses parties principales, l'Oryctologie. Paris 1755.* in 4°. pag. 330. Tab. 17. fig. 3.

pra articulationem superficiem habet inaequabilem, spinosam, tuberculosam, atque vasis periostii quam maxime perforatam.

DCCLXI. Ulna ejusdem lateris, cujus articularis superficies interior simili ratione est cariosa, dum spinulis, lamellisque ex callo productis totum caput superius difforme est redditum.

DCCLXII. Radius ejusdem lateris, simili ratione in extremo superiore affectus, atque degeneratus.

DCCLXIII et DCCLXIV. Tibia et fibula dextri lateris. Fibula immutata superest. Tibia vero monstrat cariem a latere interiore tuberculi, pro insertione ligamenti patellae, qua erosa est superficies externa, et foramen oblongum productum, in cujus fundo pars necrosi affecta tota mobilis conspicitur. In ambitu superficies partim est porosa, partim squamosa. A latere exteriore superficies articularis, ut et externa ossis ante articulationem cum fibulae capite superiore etiam erosa est, et imprimis ab anteriore spinulis haec plaga limitatur.

DCCLXV et DCCLXVI. Tibia et fibula sinistri lateris. Tibiae caput superius ab exteriore et interiore superficiem monstrat valde inaequabilem, spinulis atque squamis quasi ampliatum, dum in fundo infra sinum articularem internum substantia magis est erosa, atque necrosi affecta.

Haec ossa a N°. DCCLX ad DCCLXVI sunt ejusdem viri, qui lue venerea diu laboravit.

DCCLXVII. Os humeri sinistri lateris, carie in media parte corporis, et in facie posteriore supra articulationem cubiti, ad longitudinem 105 lin. belg., 4 poll. rhen., exesum, atque tumefactum, ab anteriore spinulis, tuberculisque totum asperum est.

DCCLXVIII. Ulna sinistri lateris circa partem inferiorem valde tumens atque cariosa.

DCCLXIX. Radius ejusdem lateris simili ratione in parte magis superiore corporis affectus.

DCCLXX. Ulna dextri lateris juxta totam longitudinem corporis valde tumefacta, inaequabilis, porosa, spinulis, ac squamulis quasi obsessa.

DCCLXXI. Os femoris dextri lateris in media parte corporis imprimis a priore tumefactum, superficiem exhibet reticulatam, tuberculosam, atque valde aequabilem. Circa asperam lineam in facie posteriore tota superficies est quasi hirsuta.

DCCLXXII. Os femoris sinistri lateris ad eandem altitudinem simili ratione affectum, cum prominente squama satis magna, ex callo teneri, ac cellularis nimis substantiae.

DCCLXXIII. Tibia dextra in superficie externa et interna, ad mediam partem longitudinis valde tumens ex substantia ossea valde tenui, atque lamellaris formae.

DCCLXXIV. Fibula ejusdem lateris valde tumefacta, et in superficie externa monstrans duas cavitates, oblongae figurae, quae tenui ac cellulari, noviter generata, ossea substantia circumdantur; pars quaedam necrosi affecta partim separata est, dum pars alia a superiore adhuc ei inhaeret.

DCCLXXV. Tibia sinistri lateris in corpore ossis parum tumefacta, ac inaequabilis superficiei.

DCCLXXVI. Vertebra suprema lumborum in processu spinoso carie affecta.

DCCLXXVII. Costa dextra spuria in extremo anteriori carie degenerata.

DCCLXXVIII. Costa sinistra vera in extremo anteriori foramine magno, oblongae figurae ex carie pertusa.

DCCLXXIX. Costa sinistra spuria prope curvaturam carie affecta.

Haec ossa, a N°. DCCLXVII. descripta, sunt ex viro adulto, cujus cranium N°. DCCXXXVIII. descriptum invenitur, et ex carie venerea mortuus est.

DCCLXXX. Os humeri sinistri lateris a capite ad mediam partem longitudinis leviter tumefactum, substantia ossea valde spongiosa est in parte superiore, in parte inferiore substantia ossea solidissima, et ponderosa est.

DCCLXXXI. Os humeri dextri lateris ejusdem hominis, ponderosum, atque ex substantia admodum dura compositum.

DCCLXXXII. Scapula, clavicula, et os humeri sinistri lateris ligamentis nexa foeminae adultae. In superficie externa mediae partis ossis humeri tumor appareret, ab exteriore cellularis, vel reticularis texturae.

DCCLXXXIII. Tibia sinistri lateris hominis adulti, quae ad distantiam trium transversorum digitorum infra insertionem ligamenti patellae parvum tumorem, cujus superficies externa porosa est, exhibet, dum pondus partis superioris ossis simul auctum est.

DCCLXXXIV. Os femoris dextrum hominis adulti, juxta longitudinem solito magis antrorsum incurvatum. Ipsius pars inferior est tumefacta usque ad aliquam distantiam supra genu, substantia ossis est dura, compacta, ac ponderosa.

DCCLXXXV. Os femoris sinistrum hominis adulti, a trochanteribus ad mediam usque partem tumefactum; pro majori parte superficies externa est aspera, spinosa, ac foraminibus parvis numerosissimis pertusa; in reliqua parte substantia est dura atque compacta.

DCCLXXXVI. Tibia sinistri lateris hominis adulti, in media parte corporis tumens ex substantia lamellaris formae.

DCCLXXXVII-DCCLXXXIX. Os humeri, ulna, et radius dextri lateris hominis adulti, qui carie in articulo cubiti laboravit. Totum extremum inferius ossis humeri ab interiore valde est erosum; superficies articulationis pro majori parte consumta, atque supra eam os foramine pertusum est; facies ossis externa partim erosa, partim spinulis obsessa est. Ulnae superficies articulares, quae ad

cubitum pertinent, destructae sunt, atque in ambitu obsessae squamulis, spinisque ex callo productis. Radii caput etiam partim consumtum est, ejusque collum, atque tuberculum substantia ossea valde porosa obducta sunt.

DCCXC-DCCXCII. Ossis humeri extremum inferius, ulna, et radius dextri lateris hominis adulti, qui simili carie in articulatione cubiti laboravit. Extremum inferius ossis humeri, ex tuberculis compressis, spinulisque callo productis, totum inaequabile est. Superficies articularis carie fere consumta est, et supra eam parvum adest foramen. In ulna articulationis superficies carie etiam consumta, olecranon necrosi affectum, pro parte cum superficie articulari crena jam a reliqua parte separatum est. Infra illam separationem os intumuit, inaequabilem, ac spinosam monstrat superficiem. Radii pars superior in superficie articulari cariosa, atque infra hanc tumefacta, et inaequabilis est. Perierunt epiphyses inferiores.

DCCXCIII et DCCXCIV. Tibia, et fibula dextri lateris hominis adulti. Tibiae pars inferior, articulatione excepta, ex lue venerea est affecta, ab interiore superficies quasi striata, ab exteriore latere tenui callosa lamina obducta est. Fibula juxta totam fere longitudinem figuram naturalem amisit, inaequabiliter enim tumefacta, superficiem monstrat reticulatam, spinulis tuberculisque totam rugosam, atque inaequabilem.

DCCXCV et DCCXCVI. Tibia, et fibula dextri lateris hominis adulti. Juxta totam fere longitudinem tibia est tumefacta, superficies ejus tamen satis est aequabilis, sed pondus ossis multum est imminutum.

DCCXCVII. Tibia sinistri lateris hominis adulti. Tota hujus ossis superficies est scabra, sed imprimis ipsius pars inferior est tumefacta, atque in toto ambitu valde cariosa. Pondus ossis auctum est.

DCCXCVIII et DCCXCIX. Tibia, et fibula dextri lateris hominis adulti. Corpus tibiae in parte media inaequabiliter tumefactum, superficiem inaequabilem monstrat, ipsa autem ossis substantia valde est porosa. Fibulae vero crassities longe magis est aucta, extremum nimirum superius solum immutatum superest. Substantia autem est porosa, et minime compacta; utriusque ossis, sed imprimis tibiae, pondus auctum est.

DCCC-DCCCIII. Os femoris sinistrum, os femoris dextrum, tibia, et fibula ejusdem lateris hominis adulti. Femoris os sinistrum circa inferiorem corporis partem intumuit; ipsa autem substantia hac in parte est compacta, et in posteriori superficie aspera. Os femoris alterius lateris juxta totam longitudinem inaequabiliter tumefactum, ejusque substantia satis compacta est. Tibiae superficies parum est affecta, sed fibula nonnullas excrescentias monstrat.

DCCCIV. Tibia dextri lateris, quae juxta totam fere longitudinem superficiem habet valde cariosam, intumuit imprimis ipsius pars inferior, et circa malleolum ab in-

interiore, et a posteriore omnium maxime degenerata est.

DCCCV et DCCCVI. Tibia, et fibula sinistri lateris hominis adulti. Tibia volumine est aucta; hinc margines in naturali statu superficies diversas separantes solito magis sunt rotundati. Superficies ossis in genere quidem est aequabilis, sed porosa. Fibula in media parte superficiem porosam habet, sed ipsius pondus valde est imminutum.

DCCCVII et DCCCVIII. Tibiae, et fibulae sinistri lateris pars magna inferior. In tibiae superficie interna tumor cernitur oblongus, ubi pars superficici ossis necrosi affecta, atque partim jam exfoliatione separata videtur, dum in ambitu substantia ossea noviter generata indolem morbosam offert. Fibulae tota pars inferior tumefacta, rugosa, aspera, necrosi ab interiore affecta, et ex hac causa etiam perforata est.

Hujus viri cranium descriptum est N°. DCCXLIV.

DCCCIX. Tibia dextra hominis adulti, cujus superficies externa, imprimis media in parte ubi totum os intumuit, ex carie erosa est.

DCCCX. Tibia dextra hominis adulti, inter extrema volumine aucta, ab exteriore valde porosa, ac nonnullis in locis aspera prominentibus parvis spinulis.

DCCCXI. Tibia sinistri lateris infra insertionem ligamenti patellae adeo tumefacta, ut superficies a se invicem vix distingui valeant, atque inferior pars fere rotundam habeat formam. Superficies externa est inaequabilis, atque variis in locis porosa. Pondus ossis valde est auctum.

DCCCXII. Tibia sinistra simili ratione affecta; tota vero pars superior ex innumeris poris inaequabilis, atque aspera est; inferior autem pars substantiam offert magis solidam, atque inaequabiliorem superficiem habet.

DCCCXIII. Fibula sinistri lateris hominis adulti, ab uno ad alterum extremum adeo tumens, ut forma naturalis juxta longitudinem ossis perierit. In toto ambitu superficies est inaequalis, porosa, ac spinulis quasi obsessa.

DCCCXIV. Fibula dextri lateris hominis adulti, ubique sed imprimis a superiore, et inferiore tumefacta, a superiore et interiore cavitatem oblongam exhibet, de qua procul dubio pars necrosi affecta separata est. Reliqua superficies satis est aequabilis.

DCCCXV. Tibia dextra hominis adulti, inter superficies articulares tota tumefacta, ita ut fere ubique eandem crassitiem offerat; margines prominentes in statu sano sunt rotundati. Tota superficies est aspera, atque valde porosa.

DCCCXVI. Os femoris dextri lateris hominis adulti, inaequabiliter juxta totam longitudinem tumefactum, atque imprimis in facie anteriori poris, atque foraminibus, quae transitum concesserunt vasis sanguiferis, diversae capacitatis, pertusum. Pondus aliquantum est auctum.

DCCCXVII. Os femoris ejusdem lateris hominis adulti, in parte interiore tu-

mefactum; circa mediam partem longitudinis ab anteriore parvum foramen ad interiora tendens conspicitur, quod communicat a posteriore cum foramine majori, destructa necrosi tota parte medullari; supra condylos in superficie triangulari plana aliud foramen invenitur, ibique interna pars necrosi affecta cernitur. Superficies articularis condylorum etiam carie erosa, atque tota superficies externa ossis valde scabra est.

DCCCXVIII. Os femoris dextrum hominis adulti. Totum corpus est tumefactum, ab exteriore inaequabile, squamulis diversae magnitudinis quasi obsessum. Posterior vero superficies tota est scabra, et ab inferiore cariosa. Pondus ossis est auctum.

DCCCXIX. Os femoris sinistrum hominis adulti; intumuit valde corpus inter trochanteres et condylos, sed ab anteriore complanatum latitudinem insignem acquisivit. Externa superficies est inaequabilis, squamosa, poris atque foraminibus pertusa, et licet substantia ossis in genere videatur satis compacta, tamen pondus potius imminutum quam auctum est.

DCCCXX. Os femoris sinistrum hominis adulti. Juxta totam longitudinem corpus hujus ossis praecedente longe magis est tumefactum, rugosum, squamosum, foraminibus pro transitu vasorum in cortice pertusum, atque praeterea valde est ponderosum.

DCCCXXI. Tibia dextri lateris hominis adulti valde tumefacta, ac juxta longitudinem serrae ope divisa, qua sectione constat, corticem ossis ex substantia solidissima constare, deleta fere tota canali medullari; in inferiore parte os degeneratum non est. Superficies externa ubique valde est porosa.

DCCCXXII. Tibia dextri lateris hominis adulti, cujus figura corporis fere penitus est mutata ex crassitie valde adaucta totius ossis; externa superficies est inaequabilis, porosa, aspera, verrucis quasi complanatis, spinulis, squamis, sulcis aeque ac si cicatrices adessent, obsessa. Corona trepani mediae parti fuit applicata, qua manifestum est necrosi canalem medullarem fuisse affectam.

DCCCXXIII. Tibia, et fibula inter se concreta, dextri lateris hominis adulti. Duo haec ossa superficies articulares exhibent naturales, verum caeterum tantopere intumuerunt, ut crassities tibiae sit 70 lin. belg., 2 poll. 8 lin. rhen.; superficies externa tota est rugosa, sed tamen singulae superficies in genere adhuc a se invicem distinguuntur. Concreverunt haec ossa per duas tertias partes longitudinis, atque in tota hac unione spinis quasi obsessa est fibula.

DCCCXXIV et DCCCXXV. Tibia, et fibula sinistri lateris hominis adulti. Volumen atque pondus utriusque hujus ossis mirum in modum est auctum. Ex tumefacto insigniter corpore tibiae exsurgit in superficie exostosis insignis oblonga, media in parte compressa, valde tenuis texturae; reliquae superficies totae sunt inaequabiles, et spinulis satis magnis obsessae. Ex tota superficie fibulae excre-

crevit insignis massa calli valde luxuriantis, quae antrorsum retrorsumque se valde extendit; hujus ossis superficies tota est squamosa.

DCCCXXVI. Tibia, et fibula sinistri lateris hominis adulti, inter se juxta longitudinem concretae. Licet superficies posterior, ac externa tibiae tota spinis, ac squamulis obsessa sit, tamen latitudine imprimis aucta est fibula, ea in parte, quae tibiam respicit, dum tres naturales superficies fibulae ampliores, atque magis excavatae, quam in statu naturali, supersunt, et omnis callus noviter generatus, juxta ligamentum interosseum quasi effusus, concretionem duorum ossium produxit.

DCCCXXVII. Tibia, et fibula sinistri lateris hominis adulti, simili ratione, sed juxta minorem longitudinem concretae. Duo haec ossa tumefacta, asperrima in omni fere superficie, horridam faciem offerunt, quum spinulis acutissimis, nonnullis erectis, aliis inflexis, ubique fere obsita sunt.

DCCCXXVIII. Os femoris sinistrum hominis adulti, juxta asperam lineam in facie posteriore, atque ab exteriore, ex luxuriante callo spinulis, atque squamis obsessum, superficiem valde asperam offert, dum simul pondus ossis imminutum est.

DCCCXXIX. Tibia, fibula, calcaneus, ac talus sinistri lateris ejusdem hominis. Juxta longitudinem totam tibia et fibula concreverunt, et anchylosi praeterea cohaerent cum talo et calcaneo; latitudo fibulae mirum in modum est aucta ex luxuriante, et valde poroso callo, qui se diffudit per telam cellulosam inter musculos cruris eorumque fibras, atque horum nonnullos circumdans, canales quasi constituit. Carie erosa est tota articulatio cum talo; ab interiore, et posteriore luxuriante eodem callo concreverunt tibia, fibula, talus, atque calcaneus, ita ut ipsum extremum tuberis calcanei cohaereat cum tibia et fibula. Quamvis massa ossea hic praesens insignis sit, tamen levissima haec sunt ossa.

DCCCXXX. Pars inferior tibiae dextri lateris, ad distantiam trium transversorum digitorum supra articulationem cum talo tumefacta. Sectione longitudinali constat tumorem constare ex substantia ossea valde compacta, quae non tantum extrorsum prominet, sed et partem cavitatis medullaris occupat; medio autem loco juxta longitudinem spatium quoddam superest, quo continetur fragmentum osseum necrosi affectum, atque totum liberum. Superficies externa tumoris est porosa.

DCCCXXXI. Os femoris dextrum hominis adulti, in parte inferiore juxta longitudinem tumefactum; superficies posterior est aspera, anterior partim glabra, partim porosa. Supra condylum internum detegitur foramen ad interiora tendens, satis amplum, atque parietibus rotundatis, ac aequalibus instructum. Sectione longitudinali partis inferioris hujus ossis conspicitur, substantia ossea, ubi tumet os, valde solida, atque compacta, cavitas medullaris

ris a superiore adeo adimpleta, ut nonnisi angustus canalis supersit, cum foramine in superficie posteriore communicans, ubi maxima intumescentia ossis observatur, et cujus paries interna cellulas, ut videtur, necrosi affectas continet.

DCCCXXXII. Os femoris dextrum hominis adulti, in media parte tumefactum, a priore, et posteriore complanatum; ab exteriore valde porosum est imprimis in parte tumente, quae carie etiam affecta est. Serrae ope totum hoc os divisum est in partem anteriorem et posteriorem, quo constat, substantiam duram, atque solidam tumorem componere, atque medullarem cavitatem eo valde esse imminutam.

Tumores ossei solidi.

DCCCXXXIII. Pars superior conceptaculi cerebri hominis adulti, in osse frontis quatuor tumores solidos, verrucas aemulantes monstrans.

DCCCXXXIV. Pars superior conceptaculi cerebri hominis adulti. Ex media parte ossis frontis exsurgit tumor osseus 4 lin. belg., 2 lin. rhen., altus; in ambitu autem os est porosum.

DCCCXXXV. Pars superior conceptaculi cerebri hominis adulti. Ex parte media ossis verticis tumor ossis solidus adscendit ad altitudinem 6 lin. belg., 3 lin. rhen.

DCCCXXXVI. Pars superior conceptaculi cerebri, tumorem tuberculosum, solidum, altitudinis 13 lin. belg., 6 lin. rhen., atque diametri 24 lin. belg., 11 lin. rhen., in fronte gerens; in ambitu superficies ossis frontis est porosa.

DCCCXXXVII. Os femoris sinistrum duobus in locis tumorem solidum offerens; horum alter serrae ope divisus substantiam monstrat admodum duram, canalis medullaris immutata superesse videtur.

DCCCXXXVIII. Os femoris dextrum hominis proceri. Ex media parte corporis ab exteriore latere exsurgit squama ossea, solida, a superiore ex osse procedens, atque ab inferiore parum ab eo remota, longitudinis 89 lin. belg., 3 poll. 5 lin. rhen., atque retrorsum ad lineam asperam se extendens.

Morbi ossium a morbo rheumatico, atque affinibus morbis.

DCCCXXXIX et DCCCXL. Os innominatum, et ossis femoris pars superior dextri lateris militis viginti sex annorum, qui die 27 Octobris 1803 in Nosocomium Militare receptus, laborabat febre hectica, cum tumore a parte interiore, et superiore femoris, fluctuationem indicante, atque cum cavitate abdominis communicationem infra ligamentum Poupartii habente. Ex anamnesi constabat praegaes-

gressam fuisse inflammationem chronicam musculi Psoae. Per annum laboraverat doloribus arthriticis, atque rheumaticis imprimis in regione lumborum, et ante quinque menses tumor infra ligamentum Poupartii se manifestaverat. Licet remedia diversa antimonialia, mercurialia, extractum aconiti, camphora, cortex Peruvianus, similiaque una cum externis remediis, ut linimenta resolventia, volatilia etc. administrarentur, tamen vires sensim diminuebantur cum augmento tumoris. Ut nimia tensio atque dolor in parte tumente imminueretur, die 4 Decembris acu triquetra pertundebatur tumor, atque evacuebantur librae ij puris bonae notae, cum levamine insigni; sed post quatuor dies tumor rursus increverat ad magnitudinem majorem, atque duas tertias partes femoris occupabat. Altera vice acu triquetra evacuebantur librae ij puris, minus bonae indolis; sed iterata vice ad idem volumen augebatur femur, atque ex vulnere primo inflicto, insignis copia puris tenuis effluebat. Subinde ex vulnere illo emittebatur purulenta materies, quae sensim in ichorem foetidum mutabatur; gangraena afficiebantur labia vulneris, atque die 7 Januarii 1804 moriebatur aeger.

Abdomine aperto a latere dextro detegebatur abscessus repletus materie sanguinolenta, atque foetidissima; totus musculus Psoas, atque Iliacus internus gangraena erant consumti; abscessus infra ligamentum Poupartii, partim etiam destructum, cum tumore in femore communicabat. Abscessu femoris continebatur materies minus sanguinolenta, sed omnes musculi femoris, gluteis exceptis, a superiore ad duas tertias partes longitudinis destructi erant cum ipsa fascia lata. Corpora vertebrarum lumborum carie erant affecta; ubi musculus iliacus internus juxta superiorem marginem acetabuli procedit exostosis producta est, deorsum descendens ex callo valde cellulari; collum ossis femoris mox infra caput, nec non posterior superficies hujus ossis infra trochanterem minorem carie sunt erosa.

DCCCXLI. Os sacrum cum duabus vertebris lumborum anchylosi nexum, cariem in parte inferiore offerens, militis, qui febre atque doloribus rheumaticis lumborum laborans recipiebatur in Nosocomium Militare; breve post tumor infra ligamentum Poupartii enascebatur, quo aperto evacuebantur pintae ij puris bonae notae; sed marasmo consumtus post aliquot hebdomades moriebatur.

DCCCXLII. Os sacrum atque septem inferiores vertebrae militis ex ingenti abscessu musculi Psoae mortui. Vertebra lumborum secunda, tertia, ac quarta ab inferiore in latere sinistro corporis, superficiem scabram habent, ex callo foliaceae formae hic producto. Ex his suprema in superficie, quae adjungitur vertebrae lumborum supremae, carie est exesa, atque a latere dextro perforata, quamvis et hac in parte lamina a callo noviter producta sit.

DCCCXLIII et DCCCXLIV. Os sacrum, et vertebrae lumborum quatuor inferiores hominis adulti, qui abscessu ad lumbos laboravit. Corpus vertebrae in-

fimae, ubi ossi sacro adnectitur, pro dimidia parte carie est consumtum. Superficies ossis sacri huic respondens valde etiam est destructa imprimis dextrorsum. Omnis vero superficies cariosa praebet indicia, destructionem ulteriorem fuisse impeditam, atque sanationem inchoatam; ex margine vertebrae etiam jam productus cernitur callus, ad os sacrum tendens.

DCCCXLV-DCCCXLVI. Scapula, clavicula, et ossis humeri pars superior sinistri lateris militis.

J. S. 42 annos natus, a juvenili aetate Veneri et Baccho deditus, autumno anni 1795 prima vice medici auxilium implorabat, quum jam per octennium laboraverat doloribus rheumaticis in brachio sinistro, atque nucha, qui semper applicatione vesicatorii ad locum dolentem, pro tempore disparuerunt. Denuo cum successu vesicatorium applicabatur, atque simul administrabantur laxantia, atque dein diaphoretica remedia, sed vernali tempore insequente intra quatuor menses bis redibant dolores, et licet vesicatoria varia applicarentur, ab illo tempore motus in articulo humeri impediebantur; dolor dein verno tempore anni 1797 magis fixus erat in ipso articulo, et motus imminuebatur, neque applicatione vesicatoriorum disparebat. Post aliquot menses, licet dolores perdurarent, atque omnem motum brachii evitaret aeger, tamen externe nihil praeternaturale observabatur; fomentationes calidae, frictiones volatiles, et cum tinctura cantharidum, nec non diversa remedia interna frustra administrabantur. Post applicationem exutorii dolores imminuebantur, et motus reddebatur liberior; aeger vero nunc rursus sibi commissus post sextam hebdomadem exutorii sanationem provocabat, et mox dolores longe vehementiores quam antea producebantur, dum simul se manifestabant duo tumores, alter ad mediam partem externam, alter a parte interiore humeri, qui brevi ad magnitudinem ovi anserini augebantur, atque in abscessus terminabantur. His apertis, ex posteriore pus, sed bonae notae cum tela cellulari dissoluta, ex anteriore magis fluidus humor evacuabatur, atque specilli ope duo canales, ad ipsam articulationem tendentes, observabantur. Tussis sicca, qua per decem annos laboraverat, augebatur; febris hectica sensim increscebat, subinde diarrhaeae colliquativae, vel sudores se manifestabant, quibus vires magis et magis imminuebantur, adeo ut tandem mense Aprilis 1798 mors vitae finem imponeret.

Brachio dissecto constabat, sinum ab apertura posteriore in media parte brachii sursum adscendere ad ipsam articulationem, pone musculum bicipitem, atque ipsum os humeri; alterum ab apertura interiore ante dictum musculum adscendere ad processum coracoïdeum, et capsam articularem perforare prope caput longum musculi bicipitis. Tota superficies articularis scapulae carie est erosa; ipsius margo, ac superficies interna est rugosa, ex spinulis, lamellisque e callo tenui, et cellulari productis. Processus coracoïdeus ab inferiore, et superficies clavi-

claviculae quae processui incumbit cariem monstrant. Tota superficies articularis capitis ossis humeri, et ipsum os a posteriore ad insignem profunditatem caric consumta sunt.

DCCCXLVIII. Portio totius cylindri ossis femoris dextri, longitudinis 157 lin. belg., 6 poll. rhen. juvenis sedecim et quod excurrit annos nati, post susceptum refrigerium aestuante valde corpore necrosi separata. Totum corpus ossis immutatum superest; extrema sunt inaequabilia, aspera, ut semper locum habet, ubi os emortuum a viva parte separatur.

DCCCXLIX. Portio longitudinis 131 lin. belg., 5 poll. rhen., separata a tibia dextra ejusdem juvenis; hujus fragmenti superficies externa est sulcata, ac inaequabilis; addita sunt bene multa fragmenta exfoliatione ab eodem crure separata (1).

DCCCL. Pes cum parte inferiore tibiae, ac fibulae sinistri lateris, cujus digiti omnes mirum in modum ex rheumatismo distorti sunt.

Morbi ossium a labe scorbutica.

DCCCLI. Tibia sinistri lateris militis triginta annorum, habitus scorbutici, qui die 8 Januarii 1795 in Nosocomium Militare recipiebatur, laborans febre continua, a qua sanatus afficiebatur scabie, atque ulceratione in crure sinistro; brevi vero haec ulceratio ad sanationem disposita videbatur, ita ut sola cicatrix desideraretur, sed denuo febre corripiebatur, atque post paucos dies ulceratio, quae superficiaria videbatur, crusta livida coerulescente tegebatur; absque ullo successu remedia diversa interna et externa propinabantur; ambientes partes omnes corrodebantur, dolores evadebant intolerabiles, febris increscebat cum amissione virium. Ulceratio subinde sanguinem fundebat, ac plenaria humorum dissolutio observabatur. Postquam os tibiae ad longitudinem pollicis rhen. denudatum erat, omnia videbantur in meliorem statum vergere; amplitudine non ulterius augebatur ulceratio, pus melioris erat indolis, et febris diminuebatur. Ossi denudato perforatorium applicabatur ad exfoliationem promovendam, sed quamvis prognosis per aliquod tempus magis fausta videretur, die 16 Maji ulceris facies denuo sordida se manifestabat, in ambitu dein augebatur, dolores ac foetor erant intolerabiles cum copioso effluente ichore, febris erat aucta, et in periculosa conditione versabatur aeger. Ulceratio quotidie aucta ab articulatione cum pede ad duas tertias partes longitudinis in toto ambitu sursum se extendebat, et totum crus tumebat prae-

(1) Vid. J. D. Seedorff, aanmerkelijk gevolg van eene *Spina Ventosa*, of zoogenaamde Been-eter van het *os femoris*, waargenomen en genezen. Amstel. 1786. cum fig.

praeter modum. Os ad longitudinem 182 lin. belg., 7 poll. rhen., erat denudatum, et nigerrimi coloris; dolores erant atrocissimi, se diffundentes usque ad articulationem genu. Amputatio anceps hoc in casu, sed tamen unicum superstes remedium, die 28 Maji 1795. in inferiore parte femoris instituebatur. Tertio ab amputatione die febris jam valde erat imminuta, et die sexto tota fugata, adeo ut dein post sextam hebdomadem plane sanatus fuerit aeger, cujus totus habitus optimam nutritionem indicabat.

Tibia in toto ambitu ab uno extremo ad alterum praesentiam cariei in externa superficie monstrat. Supra malleolum internum duobus in locis caries magis ad interiora penetravit, et exfoliatio partis necrosi affectae inchoata est.

DCCCLII. Fragmenta duo maxillae inferioris cum diversis dentibus puellae sex annorum, carie ex ulcere noma separata. Alterum fragmentum longitudinem habet 37 lin. belg., 1 poll. 5 lin. rhen., alterum 20 lin. belg., 9 lin. rhen., utrumque totam altitudinem maxillae monstrat. Eodem tempore febre putrida afficiebatur, a qua etiam feliciter fuit sanata; maxilla inferior tota est restituta.

DCCCLIII. Cranium viri adulti cum maxilla inferiore, atque dentibus, ex ulcere noma mortui. Maxillae inferioris tota ea pars, quae est inter dentem incisorem medium dextrum, atque molarem pene ultimum sinistrum est destructa, atque extrema valde sunt cariosa; utraque portio superstes maxillae tenui crusta ex callo generato obducitur.

DCCCLIV. Extypon ex gypso cranii ejusdem viri exhibens degenerationem partium mollium.

DCCCLV. Cranium cum maxilla inferiore, atque dentibus militis Gallici, ex ulcere noma extincti. Post febrem putridam ulcus se manifestabat circa mediam partem labii superioris, et quatuor mensibus praeterlapsis totum labium erat affectum, atque degeneratio se extendebat usque ad utrumque os jugale; non obstante tali destructione chirurgus consultum ducebat totum labium cultri ope auferre, et post sex septimanas vulnus fere totum cicatrice clausum videbatur, quando fungus in centro se manifestabat, quo abscisso post octo dies alter prodibat, quo denuo ablato cauterium actuale vulneri applicabat. Quatuor vel quinque diebus praeterlapsis glandulae parotides, et submaxillares intumescebant, atque brevi totum cranium tantopere tumebat, ut solito duplo majus evaderet; a tumentibus imprimis glandulis venae jugulares, et oesophagus comprimebantur, adeo ut deglutiendo penitus impar esset aeger, atque juscula carnis per tubum elasticum oesophago injici debuerint; tandem octavo mense post invasionem morbi apoplectice moriebatur aeger.

Carie destructa tabula externa ossis maxillaris dextri, antrum Higmori hujus lateris hiat totum, ceciderunt dentes incisores, ac cuspidatus hujus lateris, partim destructis eorum alveolis. Os maxillare sinistrum etiam ad dentem cuspidatum ca-

carie exesum est, sed dentes tamen omnes in alveolis continentur.

DCCCLVI. Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore, atque plurimis dentibus. Necrosi affecta sunt ossa, quae nasum, ac nares internas componunt. Linea separationis partis emortuae utroque in latere adscendit a dente bicuspidato secundo ad orbitas, hinc inter ossa plana, atque ungues adscendens, ad ossa nasi terminatur; in ipso palato ossa palatina maximam partem integra supersunt, sed totum reliquum palatum necrosi periit, atque separatum est a processu alveolari usque ad memoratos dentes bicuspidatos. Intra nares pro parte ossa maxillaria et ipsa spongiosa etiam affecta sunt; perierunt dentes medii maxillae superioris.

Morbi ossium a morbo Rhachitico, vel affinibus morbis.

DCCCLVII. Sceletus naturalis infantis cujus omnia ossa rhachitico morbo sunt affecta. Cranium non valde est auctum; in latere sinistro maxillae superioris, et in maxilla inferiore ab utroque latere bicuspidatus dens prodiit, sed reliqui omnes extra alveolos non conspiciuntur. Spina dorsi ab inferiore parum sinistrorsum est incurvata. Costae magis sunt rectae, quam quidem incurvatae. Sternum diversa puncta ossificationis, inter se nondum concreta, monstrat. Pelvis ossa, ubi ab exteriore acetabula sunt, introrsum sunt pressa, hinc ejus apertura superior triangularem acquisivit figuram; os sacrum valde est incurvatum. Haec pelvis ossa, ut et omnia artuum sunt tumefacta. Superioris extremitatis ossa parum tantum incurvata sunt; ossa femoris extrorsum curvaturas monstrant satis insignes, adeo ut extrema inferiora quam maxime tumefacta rursus ad se invicem accedant. Tibiae, et fibulae valde tumentes antrorsum, imprimis ab inferiore, curvatae sunt, adeo ut linea perpendicularis inter extrema sit = 110 lin. belg., 4 poll. $2\frac{1}{2}$ lin. rhen., et horum ossium longitudo fere sit = 160 lin. belg., 6 poll. $1\frac{1}{2}$ lin. rhen. Longitudo totius sceleti = 732 lin. belg., 28 poll. rhen.

DCCCLVIII. Cranium infantis cum maxilla inferiore, qui eodem morbo laboravit, atque instante secunda dentitione mortuus est. Cranium imprimis circa medias partes ossium verticis maxime dilatatum est, adeo ut hae partes valde promineant; suturae omnes sunt clausae, atque superficies externa imprimis ossium verticis porosa apparet.

DCCCLIX. Pelvis ossa cum femoris partibus superioribus, atque vertebris quatuor lumborum, ligamentis nexa, hominis adulti. Omnia haec ossa imprimis pelvis, atque spinae valde fuerunt emollita, hinc tota forma naturalis periit; ossium iliorum partes posteriores cum mediis partibus angulum acutum formant; ossium pubis rami horizontales in parte media valde introrsum sunt flexi, unde proxime ad se invicem accedunt, licet in unione ossium pubis antrorsum promi-

neant. Ossis sacri promontorium antrorsum prominet, dum inferior pars hujus ossis cum superiore fere angulum rectum constituit; figura orae superioris pelvis minoris est triangularis, ipsiusque capacitas valde imminuta. Diameter conjugata est 91 lin. belg., 3 poll. 6 lin. rhen. Diameter transversalis 109 lin. belg., 4 poll. 2 lin. rhen., obliqua ab unione ossis sacri cum ilio dextro ad os ischion sinistrum 105 lin. belg., 4 poll. rhen., obliqua altera 109 lin. belg., 4 poll. 2 lin. rhen., apertura inferior in duas quasi partes est divisa; tubera enim ossium ischiorum ab anteriore, ubi ramis descendentibus ossium pubis adjunguntur, semet tangunt, distant vero a se invicem a posteriore, ubi iis adjunguntur ligamenta sacro-ischiadica per 50 lin. belg., 1 poll. 11 lin. rhen. Rami descendentes ossium pubis, licet fere perpendiculariter decurrant, media in parte a se invicem parum distant, adeo ut constituant fissuram longitudinis 40 lin. belg., 1 poll. 6 lin. rhen., atque latitudinis in parte media 13 lin. belg., 6 lin. rhen.

DCCCLX. Extypon ex gypso alius pelvis, quae eodem vitio simili ratione difformis est reddita.

DCCCLXI et DCCCLXII. Os femoris dextrum, et sinistrum hominis adulti. Utrumque hoc os media in parte longitudinis est extrorsum incurvatum, atque ab anteriore complanatum.

DCCCLXIII. Os femoris dextrum hominis adulti, simili ratione incurvatum, atque complanatum, sed ipsa curvatura paulo major est.

DCCCLXIV. Tibia sinistra parumper introrsum incurvata.

DCCCLXV. Tibia dextra hominis adulti introrsum atque parum extrorsum media in parte incurvata, hinc superficies minus quam in statu naturali distinguuntur.

DCCCLXVI. Tibia sinistra hominis adulti, longe magis introrsum incurvata, atque valde complanata.

DCCCLXVII. Tibia sinistra hominis adulti, valde etiam introrsum incurvata, eodemque loco complanata.

DCCCLXVIII. Tibia, et fibula sinistri lateris hominis adulti, inter se concretae. Tibia parum antrorsum est incurvata.

DCCCLXIX. Tibia dextri lateris hominis adulti, introrsum curvata, atque quam maxime ampliata.

DCCCLXX. Fibula sinistri lateris hominis adulti, paulo minus incurvata, sed in media parte etiam ampliata.

DCCCLXXI-DCCCLXXIII. Ossa pelvis, os femoris dextrum et sinistrum feminae adultae. Omnia haec ossa sunt levissima, sed simul satis rigida, ut formam naturalem servaverint; extenuata vero sunt quam maxime, et hinc ossa ilia variis foraminibus sunt pertusa, et manifesta indicia praebent absorptione multum de substantia esse deperditum. Acetabulum sinistrum cariosam offert superficiem internam, imprimis in parte lunata. Caput ossis femoris hujus lateris simili ra-

ratione etiam est affectum, et ex collo prope caput excrevit callus spongiosae admodum texturae. In acetabulo, atque capite femoris dextri etiam superficies articulares sunt valde porosae, atque scabrae.

DCCCLXXIII. Ossa trunci cum claviculis atque scapulis, ligamentis nexa foeminae adultae, quae emollitione ossium laboravit, adeo ut ossa cerae adinstar flecti potuerint. Spina dorsi in parte superiore thoracis parum dextrorsum est flexa, haec vero curvatura ex duabus tantum vertebris componitur, dum reliquae vertebrae parumper sinistrorsum sunt flexae. Costae fere omnes circa extrema anteriora angulo fere recto introrsum sunt incurvatae, quin tamen fractura locum habuerit; hinc thoracis capacitas ab exteriore valde deformis, et ab interiore multum angustata est. Sterni os supremum fere perpendiculariter situm est; os medium, ex quatuor adhuc partibus constans, primo antrorsum dein introrsum flexum linea arcuata antrorsum prominet. Claviculae etiam circa articulationes cum sterno ad angulum rectum flexae, primo descendunt, dein ad scapulas tendunt. Scapulae ad costarum formam accommodatae, ab exteriore sunt convexae, sed praegressa hic videtur fractura. Pelvis capacitas est angusta; ossa ilia fere perpendiculariter posita antea fissa videntur; ossa ischia parumper introrsum sunt pressa, unde forma aperturae superioris pelvis minoris est triangularis. Rami descendentes ossium pubis fracturas subierunt, et hinc flexuosi sunt. Os sacrum sub angulo fere recto est incurvatum.

DCCCLXXIV-DCCCLXXIX. Spina dorsi, os innominatum dextrum, et sinistrum, scapula dextra, costae quatuor dextrae, costae octo sinistrae hominis adulti, qui emollitione omnium ossium laboravit. Omnia haec ossa valde spongiosa, sunt levissima. Spina dorsi media in parte antrorsum flexa cyphosin format. Os sacrum ad angulum rectum est incurvatum. Ossa innominata ad mediam partem ossium iliorum sunt incurvata, adeo ut cristae introrsum potius quam extrorsum sint flexae. Rami descendentes ossium pubis fuerunt diffracti, et callo valde spongioso rursus concreti. Scapula dextra sana, sed valde tenuis, sinistra ab exteriore prope marginem anteriorem intropressa est. Costae omnes introrsum compressae, variis in locis antea videntur fuisse diffractae.

Curvatura spinae.

DCCCLXXX. Tota columna vertebrarum hominis adulti, qui scoliosi laboravit. Ab osse sacro vertebrae lumborum primo parumper sinistrorsum adscendunt; quarta, quinta atque infima dorsi vertebra anchylosi in parte posteriore junctae, mox insigniter dextrorsum incurvantur, complanatis imprimis tantum duobus corporibus a latere dextro; inde rursus adscendunt, ita ut, licet curvatura valde sit insignis, inferiores vertebrae colli perpendiculariter adscendant.

DCCCLXXXI. Pelvis ossa cum omnibus vertebris spinae dorsi, hominis junioris, qui simili curvatura spinae laboravit. Ad supremam lumborum partem spina quodammodo sinistrorsum incurvata est, vertebrarum inferiorum dorsi corpora tria, nimirum quartae, quintae et sextae a latere sinistro valde imminuta, insignem satis curvaturam dextrorsum prominentem producunt, unde rursus in oppositum latus incurvantur, imminutis corporibus sequentium vertebrarum in latere opposito, usque dum tandem collum perpendiculariter adscendit.

DCCCLXXXII. Omnes vertebrae colli, dorsi, et sex lumborum hominis adulti, qui in parte superiore dorsi scoliosi laboravit. Inferiores dorsi vertebrae sensim in latus dextrum curvantur, dein corpora septimae, octavae et nonae vertebrae a latere sinistro ita imminutae sunt, ut margo sinister septimae vertebrae cohaereat cum margine inferiore corporis vertebrae nonae, atque corpus octavae a latere sinistro totum deficiat; hinc curvaturam componunt valde acutam, dum simul ipsae vertebrae circa axin quodammodo sunt inversae, et superiorum vertebrarum corpora se rursus antrorsum extendunt, ut collum recte adscendere possit.

DCCCLXXXIII. Os sacrum cum vertebris lumborum dorsi, ac tribus inferioribus colli hominis adulti, qui scoliosi a latere dextro laboravit. Ipsa curvatura in parte media dorsi observatur; hac nimirum in parte vertebrarum processus transversi sinistri semet tangunt, et ipsae vertebrae circa axin inversae, prominentiam spinae insignem constituunt, dum superiores vertebrae dorsi rursus introrsum inflexae adscendunt.

DCCCLXXXIV. Duodecim vertebrae dorsi, atque duae superiores lumborum, ligamentis nexae hominis adulti, qui scoliosi laboravit. Curvatura vertebrarum dorsi adest, praecedentibus tamen longe minor; a quinta ad octavam dorsi vertebram margines corporum a latere sinistro excreverunt, et inter quintam et sextam principia concretionis adsunt. Superiores vertebrae multum antrorsum prominent.

DCCCLXXXV. Vertebra infima dorsi cum quatuor superioribus lumborum hominis adulti. Concreverunt corpora vertebrarum marginibus externis, processus articulares a latere dextro inter se, atque infima vertebra cum penultima tota superficie corporum. Trium superiorum vertebrarum lumborum corpora a latere sinistro valde imminuta curvaturam produxerunt, dum suprema vertebra rursus a latere dextro paulo latior quam a sinistro, ad perpendiculum adscendere incipit.

DCCCLXXXVI. Quatuor vertebrae lumborum cum infima dorsi, atque costa sinistri lateris hominis adulti. Corpora et processus articulares omnium harum vertebrarum firmiter inter se sunt concreta. Spina in latus dextrum inflexa est conversis valde in posteriora lumbis. Superficies externa corporum vertebrarum a latere dextro exostosibus circa margines valde tuberculata est.

DCCCLXXXVII.

DCCCLXXXVII. Os sacrum, quinque vertebrae lumborum, decem vertebrae dorsi, atque costae duae inferiores lateris sinistri hominis adulti, inter se anchylosi nexa. Primo a lumbis spina retrorsum tendit, atque vertebrae superiores lumborum circa axin in latus sinistrum sunt inversae, dein incurvantur in latus dextrum, imminutis corporibus ab hoc latere; postea denuo sensim adscendentes tandem superiores in linea perpendiculari sunt cum media parte ossis sacri.

DCCCLXXXVIII. Septem vertebrae dorsales mediae cum costis quatuor spuriis lateris dextri, atque duabus veris oppositi lateris hominis, qui ingenti scoliosi laboravit, inter se concreta. Corpora vertebrarum non solum ingentem formant curvaturam, sed simul inversa thoracis capacitatem sinistram imminuerunt, ita ut costae sinistrae ad parvam distantiam a corporibus antrorsum procedant, atque solito rectiores sint; costae dextrae valde sunt extenuatae et elongatae, a posteriore proxime ad se invicem accedunt, et imbricatim sibimet invicem impositae nondum vero inter se concretae sunt.

DCCCLXXXIX. Sex vertebrae dorsi cum tribus costis dextri lateris, et quinque sinistri lateris hominis adulti, qui ingenti etiam scoliosi, sed in dextro latere, laboravit. Omnia haec ossa anchylosi sunt conjuncta; corpora insignem formant curvaturam, et tantopere conversa sunt, ut curvatura costarum dextri lateris maxime prominentem dorsi partem constituat. Hinc costae dextrae complanatae, ac antrorsum procedentes ipsa corpora vertebrarum tangunt, et inter se prope processus transversos concretae sunt; costae sinistrae elongatae, atque extenuatae sunt, sibi invicem ante processus transversos tantopere sunt appressae, ut hic concreverint, dum tres inferiores imbricatim sibi invicem incumbunt.

DCCCXC. Decem inferiores vertebrae dorsi cum costa quarta dextri, quinta, sexta, septima et octava costa sinistri lateris hominis adulti, eodem morbo affecti. Anchylosi etiam juncta sunt omnia haec ossa; curvatura sinistrorsum ab omnibus vertebris componitur, unde haec columnae pars arcuatam figuram habet. Costae sinistrae a posteriore satis a se invicem distant, sed antrorsum semet tangunt, et superiores introrsum, inferiores extrorsum tendunt.

DCCCXCI. Ossa trunci hominis junioris cum capite, ligamentis cohaerentia. Pelvis ossa capacitatem justo minorem componunt; ossa ilia, marginibus sive cristis introrsum flexis, superficies externas convexas habent, internas autem valde concavas; hinc capacitas pelvis majoris valde est imminuta; pelvis minor aperturam superiorem habet triangularem; os sacrum valde est incurvatum; ischia ab inferiore introrsum tendunt, atque imminuunt aperturam inferiorem. Ossa innominata ubique valde sunt extenuata. Spina dorsi ab osse sacro mox parum in anteriora, dein multum in latus dextrum tendit; hinc lumborum vertebrae sunt conversae; in suprema parte lumborum spina rursus tendit in latus sinistrum, et in superiore dorsi parte, parva flexura facta, rursus perpendiculariter adscendit.

Thoracis capacitas dextra hinc est imminuta; costae hujus lateris anterioribus suis partibus ad columnam vertebrarum valde accedunt. Costae inferiores sinistri latéris introrsum tendentes, excavationem in regione lumborum majorem reddunt, et sub angulo acuto prominente cum cartilaginibus suis junguntur. Sternum, cujus medium os adhuc ex tribus partibus constat, perpendicularem habet situm.

DCCCXCII. Truncus hominis adulti, cum superioribus partibus ossium femorum. Pelvis minoris capacitas aperturam habet superiorem oblongam; compressis enim ossibus pubis diameter conjugata est 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen., transversa 137 lin. belg., 5 poll. 3 lin. rhen., ossis sacri promontorium non prominet, ejusque superficies anterior vix excavata est. Spina dorsi ab osse sacro mox in latus sinistrum convertitur, hinc partes dextrae corporum vertebrarum pro majori parte ab anteriore conspiciuntur; dein flectitur tota spina in latus dextrum, adeo ut mediae dorsi vertebrae angulum acutum forment, descendentibus rursus sequentibus; circa octavam vertebram denuo incurvantur, et perpendiculariter dein adscendunt. Ex insigni hac spinae curvatura cum conversione conjuncta, septem costae dextrae inferiores acutissimo angulo, ubi processubus transversis adjunguntur, prominent in media parte dorsi, et mox antrorsum inflectuntur; costa quinta, sexta, septima et octava valde dilatatae tantopere incurvantur, ut singulae in contactu veniant cum collo et capite sequentis costae, nec non cum lateralibus corporum vertebrarum partibus, imo quinta et sexta costa hoc in loco antea diffractae cum ipsis corporibus concretae videntur; mediae itaque hae costae caeteris rectiores sunt. Costae sinistrae, in ipso angulo curvaturae semet tangunt, et inferiores a posteriore imbricatim sibi incumbunt; omnes valde sunt extenuatae, et curvatura introrsum latus hoc excavatum reddunt.

Arteria aörta cum suis ramis cera impleta, in situ est conservata; ipsam curvaturam spinae sequitur, et hinc circa curvaturam majorem angulo acuto flectitur. Curvatura superiore spinae arcus tantopere descendit, ut truncus innominatus Löweri ex descendente jam parte proveniat. Infra curvaturam in dorso sat sito sensim sensimque angustatur.

DCCCXCIII. Truncus foeminae adultae. Pelvis ossa nullam subierunt mutationem, nisi quod ossa ilia solito magis in latera sint flexa, et hinc pelvim majorem amplissimam reddunt. Spina dorsi ab osse sacro, fere perpendiculariter descendente, statim antrorsum flectitur; hinc lumborum vertebra tertia et quarta situm habent horizontalem. Quinta sive suprema lumborum vertebra, tota contorta anteriore corporis superficie respiciens latus sinistrum, perfecte cunei figuram habet; hinc margo superior corporis quartae vertebrae cum margine inferiore infimae dorsi jungitur, cujus pars lateralis excrescentiis osseis aspera, brevi concrevisset cum dicta lumborum vertebra suprema. Penultima dorsi vertebra rursus antrorsum, et in latus sinistrum convertitur, et nunc sequentes omnes adscendentes duas

leves

leves adhuc curvaturas producunt, antequam collum perpendiculariter erigitur. Hac singulari spinae inflexione totum pectus in latus sinistrum est conversum, et sternum, juxta longitudinem valde incurvum, est in linea perpendiculari cum acetabulo sinistro. Capacitas vero thoracis satis est ampla.

DCCCXCIV. Truncus foeminae adultae cum claviculis atque scapulis, sex vero superiores vertebrae colli deficiunt. Spina dorsi in lumbis parvam curvaturam in latus sinistrum format. Sternum vero valde est incurvatum et margines cartilaginei costarum spuriarum primo excavati, dein convexi totam anteriorem thoracis partem deformem reddunt.

DCCCXCV. Omnia ossa trunci ligamentis nexa infantis junioris. Carie consumta sunt corpora quatuor vertebrarum, scilicet vertebrae dorsi undecimae, decimae, nonae et octavae, ita ut duo intermedia corpora plane sint consumta, atque non nisi parvae lamellae corporis vertebrae superioris et inferioris supersint. Hinc spina dorsi a superiore antrorsum inflexa, processus spinosi acuto angulo prominent.

DCCCXCVI. Quatuor superiores vertebrae lumborum cum sequentibus novem vertebris dorsi infantis adultioris. Vertebrarum quatuor inferiorum dorsi corpora penitus carie perierunt, corpus vertebrae lumborum supremae pro parte destructum a posteriore solitam altitudinem habet, ab anteriore autem non nisi margo inferior superest. Simili ratione perierunt corpora vertebrae dorsi octavae et nonae, et superiore corporis parte antrorsum inflexa cyphosis producta fuit; concreti inter se sunt arcus vertebrarum, quarum corpora sunt destructa, ita ut sub angulo recto superiores vertebrae cum inferioribus cohaereant. Costa in parte infima dextra etiam anchylosi jungitur cum parva superstite portione illius vertebrae.

DCCCXCVII. Vertebrae tres superiores lumborum cum omnibus vertebris dorsi, et quatuor inferioribus cervicis pueri, qui insigni cyphosi laboravit. Omnium vertebrarum dorsi corpora maximam partem carie sunt consumta, penitus vero perierunt corpora vertebrarum in media parte dorsi, unde superiores suis superficiebus cariosis ferme in contactu veniunt cum inferioribus, et processus spinosi acutissimum angulum faciunt. Vertebrae cervicis sursum rursus elevatae, caput in pectus inclinatum sustinuerunt. Arcus omnium vertebrarum dorsi inter se sunt concreti, quemadmodum etiam costarum capita anchylosi junguntur cum partibus vertebrarum, post cariem rursus concretis. Omnes vero costae ad aliquam a spina distantiam sunt diffractae.

DCCCXCVIII. Vertebrae quatuor superiores lumborum hominis adulti. Carie corpus vertebrae secundae fere totum est consumtum, superstite non nisi parte posteriore, quae etiam jam perforata est; hinc duae superiores antrorsum sunt incurvatae.

DCCCXCIX. Vertebrae tres superiores lumborum atque omnes dorsi hominis adulti, qui cyphosi laboravit. Carie penitus consumtum est corpus vertebrae tertiae, atque insequentis non nisi parva portio superest, affecto etiam parum corpore vertebrae secundae et quintae. Hinc corpore antrorsum curvato sub angulo obliquo, concreverunt processus articulares vertebrae tertiae et quartae, atque initium adest anchylosis inter processus articulares vertebrae secundae et tertiae, sed post depurationem ossium hi nexus rursus sunt dissoluti.

CM. Vertebrae tres superiores lumborum cum novem vertebris dorsi hominis adulti, qui eodem vitio laboravit. Eadem prorsus destructio hic in vertebra dorsi secunda et tertia locum habet, quam in praecedenti casu; concreverunt etiam illarum vertebrarum arcus atque processus articulares, sed prominentia processus spinosi paulo acutior est, flexa magis parte superiore corporis in anteriora.

CMI. Ossa pelvis cum sequentibus septem vertebris viri adulti. Consumta carie parte majore corporis vertebrae tertiae lumborum, et fere toto corpore vertebrae quartae, superior pars corporis parum antrorsum inclinatur, dum ex eadem vertebra quarta et quinta callus prodire incipiebat, quo corpora fuissent concreta, si diutius supervixisset aeger.

CMII. Os sacrum cum vertebris lumborum, atque decem vertebris dorsi hominis adulti, simili morbo affecti. Omnia haec ossa valde sunt porosa ac levia. Superficies anterior corporum vertebrarum quatuor lumborum, atque ossis sacri antea fuit erosa, sed ubique indicia praebent sanationis; maxima destructio observatur inter vertebram secundam et tertiam, quarum corpora sunt minus lata, et inde hac in parte lumbi parumper antrorsum inflectuntur. Corpus vertebrae tertiae et quartae dorsi penitus est deletum, et vertebrae secundae et quintae pro parte; exinde tota superior pars columnae vertebrarum sub angulo recto antrorsum incurvata est. In his vero partibus nullum adest indicium sanationis.

CMIII. Vertebrae duae superiores lumborum, atque octo sequentes dorsi cum costa decima et nona dextri lateris hominis adulti, qui insigni cyphosi laboravit. Carie nimirum fere penitus consumta fuerunt corpora vertebrarum dorsi, excepto corpore vertebrae infimae, licet in hoc et in corpore supremae vertebrae lumborum reliquiae antea praesentis cariei supersint. Superior vero pars tantopere antrorsum est inflexa ut suprema hic praesens vertebra sua superficie superiore deorsum spectet, atque pro parte haereat a latere corporis vertebrae infimae dorsi. Concreverunt omnes vertebrae, quae cyphosin formant, inter se corporibus, processubus articularibus et arcubus. Costae memoratae etiam cum iis vertebris anchylosi cohaerent.

CMIV. Vertebrae quatuor dorsi hominis adulti, qui cyphosi laboravit. Cor-

po-

pora antea consumta carie, inter se rursus sunt concreta; ita ut superficies superioris vertebrae perpendiculariter sit posita, et tota reliqua superior columnae pars sub angulo recto antea cohaerebat cum his vertebris.

CMV. Vertebrae quinque dorsi, quae simili ratione a forma naturali recedunt.

CMVI. Tres vertebrae superiores lumborum cum novem sequentibus vertebris dorsi hominis adulti, cujus columna vertebrarum antrorsum fuit incurvata. Omnes hae vertebrae corporibus inter se concretae arcum formant antrorsum tendentem, dum processus spinosi convexam carinam producunt. Anterior vertebrarum superficies ad singulorum corporum conjunctiones parum est elevata ac inaequabilis.

CMVII. Sceletus naturalis adolescentis, qui cyphosi laboravit. Corpus vertebrae ultimae et penultimae dorsi penitus carie fuit consumtum; hinc superficies anterior vertebrae tertiae dorsi imposita est superficiei superiori supremae vertebrae lumborum, atque quatuor haec vertebrarum corpora in hac positione sunt concreta. Antrorsum itaque maxime incurvata est corporis pars superior, prominente omnium maxime processu spinoso vertebrae infimae dorsi, licet carie etiam affectus, atque partim deletus fuerit. Laboravit praeterea coxalgia a latere sinistro, hinc acetabulum ab interiore erosum, atque foramine hiat intra capacitatem pelvis, et capitis femoris superficies articularis omnino a lamella cartilaginea est destituta, ipsumque collum etiam leviter erosum.

Ossa animalium emollitione vel aliis morbis affecta.

CMVIII. Sceletus naturalis Simiae junioris, cujus pleraque ossa tumefacta, et incurvata sunt, capitis atque totius spinae ossibus exceptis. Costae plurimae introrsum pro parte sunt flexae; ossa ilia crassa, ab exteriore convexam habent superficiem; scapulae atque claviculae etiam crassitie auctae sunt, sed omnia ossa imprimis quae artus componunt, formam naturalem amiserunt, imo ossa cubiti, atque cruris omnino formam arcuatam habent.

CMIX. Sceletus naturalis Canis junioris, cujus ossa pelvis et femoris dextri lateris ex eodem morbo sunt tumefacta: ossa cubiti ejusdem lateris fuerunt antea diffracta, sed sub angulo rursus conferruminata, latitudine sunt aucta.

CMX. Ossa soluta cranii Hystricis cristatae, quae omnia tenerrima, spongiosam monstrant fabricam, similem ei, quae observatur quando hominum ossa osteo-sarcosi affecta, maceratione in aqua depurantur. Dentes immutati supersunt.

CMXI-CMXV. Os femoris dextrum, et sinistrum, os humeri dextrum, et sinistrum, ulna sinistra Galli Gallinacei, quae omnia crusta ossea morbosa vesti-

ta, valde tument; superficies vero articulares immutatae supersunt.

CMXVI. Spina dorsi piscis flexura sigmoïdea incurvata.

CMXVII. Spina dorsi piscis duplicem flexuram sigmoïdeam exhibens.

CMXVIII. Pars spinae dorsi piscis, cujus vertebrae nonnullae deformes, atque sibimet invicem nimis arcte appositae sunt.

CMXIX. Sceletus naturalis Simiae, cujus ossa frontis et verticis in tabula externa antea carie erosa, innato callo granuloso rursus sanata videntur.

Crania Hydrocephalo affecta.

ex hominibus.

CMXX. Pars superior conceptaculi cerebri infantis rhachitici, qui hydrocephalo laboravit. Forma totius conceptaculi valde est elongata, compressis introrsum fossis temporalibus. Licet duae ossis frontis partes, atque hoc os cum verticis ossibus jam concreta sint tamen fontanella frontalis insignis superest, et distant valde a se invicem ossa verticis juxta totam longitudinem; similis distantia inter haec ossa et os occipitis adfuisse videtur, quum vero maceratione in aqua hoc cranium est depuratum, partes membranaceae omnes perierunt. Os frontis valde spongiosum est, et caeteris longe crassius; superficies interna omnium ossium est, ut in iis, qui tinea capitis laborarunt.

CMXXI. Cranium hominis adulti absque maxilla inferiore, serrae ope horizontaliter apertum; duo dentes bicuspidati, atque unus molaris supersunt, reliqui omnes fuerunt evulsi, atque perierunt vel penitus, vel pro majori parte eorum alveoli. Capacitas conceptaculi cerebri valde est aucta, ita ut diameter longitudinalis sit 160 lin. belg., 6 poll. $1\frac{1}{2}$ lin. rhen., transversalis in media parte ossium verticis 144 lin. belg., 5 poll. 6 lin. rhen. Perpendicularis linea a vertice ad marginem posteriorem foraminis magni ossis occipitis 142 lin. belg., 5 poll. 5 lin. rhen., conceptaculum cerebelli vero auctum non est. Crassities omnium ossium conceptaculi cerebri etiam est aucta et substantia valde compacta. Sinus frontales sunt satis ampli. Forma externa est regularis, ab anteriore et posteriore solito magis tamen rotundata; supersunt omnes suturae; facici ossa solito quidem videntur solidiora, sed magnitudine aut figura non sunt mutata. Condyli ossis occipitis valde sunt complanati.

CMXXII. Cranium hominis adulti absque maxilla inferiore, eodem morbo ad eandem magnitudinem volumine auctum, conveniunt enim omnes dimensiones. Os frontis et occipitis tamen minus est rotundatum, unde figura totius cranii magis est naturalis; pondus etiam non videtur auctum, ratione

ne habita magnitudinis; omnes suturae distinctae supersunt, sagittali in medio vertice excepta, sed haec prolongata os frontis totum dividit. Perierunt omnes dentes.

CMXXIII. Cranium infantis octo annorum absque maxilla inferiore, eodem morbo valde auctum. Ossa quae cameram cerebri componunt in toto ambitu valde sunt aucta; diameter longitudinalis, ut et transversalis in media parte ossium verticis est 185 lin. belg., 7 poll. 1 lin. rhen. Forma conceptaculi hinc ab exteriore est valde rotundata; ultra radicem nasi vero non prominet; in occipite autem complanata est, quum superior pars hujus ossis fere perpendiculariter adscendit. Omnes suturae supersunt, atque in lambdiformi bene multa ossicula Wormiana inveniuntur. Camera cerebelli, et ossa faciei immutata sunt.

Ex Animalibus.

CMXXIV. Cranium Equi recens nati, cum maxilla inferiore, cujus conceptaculum cerebri ex hydrocephalo etiam valde est auctum. Superior pars fere tota est membranosa, excepta parte media; ab ossibus enim frontis retrorsum tendit lamina ossea sensim latescens, atque ab anteriore emittens aliam perpendicularem lamellam, componentem partem processus falciformis, qui dein ultra mediam partem longitudinis totus est membranosus. Diameter longitudinalis conceptaculi cerebri est 200 lin. belg., 7 poll. 8 lin. rhen., transversalis in media parte = 179 lin. belg., 6 poll. 10 lin. rhen., linea perpendicularis e vertice ad marginem anteriorem foraminis = 215 lin. belg., 8 poll. $2\frac{1}{2}$ lin. rhen.; orbitae et foveae temporales a depressa, atque ampliata basi conceptaculi cerebri valde sunt imminutae, imo inter ossa jugalia et squamosa vix spatia supersunt; hinc etiam maxillae inferioris partes adscendentes extrorsum sunt incurvatae, et processus coronoïdei valde tenues.

CMXXV. Cranium Vituli, qui eodem morbo laboravit, et cujus spina dorsi parum sinistrorsum erat incurvata. Conceptaculi cerebri forma magis est globosa, quam in praecedenti specimine; in vertice etiam ossa valde a se invicem distant, et membrana nectuntur, in media vero parte rursus lamella ossea invenitur, quae tamen a posteriore nondum cum ossibus cohaeret, sed in membranam terminatur, et cui processus falciformis durae matris ab interiore adhaeret. Diameter longitudinalis est 190 lin. belg., 7 poll. 3 lin. rhen., transversalis 180 lin. belg., 6 poll. $10\frac{1}{2}$ lin. rhen.; orbitae et foveae temporales valde etiam sunt imminutae, unde etiam maxillae inferioris partes laterales extrorsum sunt conversae et extenuatae.

MORBI OSSIUM, ATQUE DEGENERATIONES ALIARUM PARTIUM, QUAE AD PRIORES SECTIONES REFERRI NON POTUERUNT.

Ex metastasi.

CMXXVI. Sceletus naturalis militis, qui mense Julio anni 1796 in Nosocomium Militare receptus, referebat se ante biennium a morbo reconvalescentem, primo dolorem percepisse ad genu dextrum, dein ad os ilium illius lateris, quem abscessus eo in loco fuit insecutus, et quum hunc abscessum sanare non potuerunt, sibi relictum fuisse usque dum dicto tempore rursus in Nosocomium fuit admissus. Hoc tempore totum crus valde erat emaciatum, atque retrorsum in genu flexum; in femore tres ulcerationes aderant, continuo insignem quantitatem puris, nunc bonae notae, nunc sanguinolenti atque foetidi fundentes; maxima ulceratio circa trochanterem majorem, duae reliquae magis in anteriore femoris parte observabantur, atque totum femur sinuositatibus longitudinalibus inter musculos erat excavatum. Quamvis interne et externe debita remedia, ex arte praescripta, administrarentur, vires aegrotantis magis et magis imminuebantur, purulentae materiei copia quotidie augebatur, cum periodica pectoris anxietate; accedebat subinde diarrhoea cum imminuta puris quantitate, et ultimo tempore universali anasarca afficiebatur cum gangraena in variis partibus, dum tandem 30 Novembris mors finem vitae imponebat.

Sectione cadaveris inveniebantur pectoris atque abdominis capacitates humore aquoso acri repletae, sed ipsa viscera sana. Os ilium dextrum ab interiore crusta ex callo morboso est tectum, et incrassatum; acetabulum ab interiore et in fundo carie totum exesum, ampla apertura intra pelvim hiat; caput ossis femoris cariosum est, et ipsum os infra trochanterem majorem carie consumtum, atque hinc fractum; totum ipsius corpus ab anteriore complanatum ubique indicia praebet pure fuisse circumdatum; articulatio genu sanum est, sed Tibiae pars superior infra superficiem articularem etiam diffracta est. Tota haec extremitas altera brevior est.

CMXXVII. Cranium militis ex Alsatia cum maxilla inferiore, omnibusque dentibus, qui carie in processu mammillari, febrem intermittentem insecuta extinctus fuit.

In basi cranii a latere interiore processus mastoïdei dextri, os temporis, ubi ortum praebet musculo biventri maxillae inferioris cariosum deprehenditur. Ipsam tabulam externam, atque diploën ossis tantum fuisse affecta, sectione horizonta-

li conceptaculi cerebri constat, quum tabula interna est sana. Os frontis procurrente sutura sagittali media in parte dividitur.

CMXXVIII. Pars major rami horizontalis dextri maxillae inferioris necrosi separata. Foemina quadringentorum annorum, temperamenti cholerici, atque in affectiones rheumaticas disposita, tribus ultimis mensibus graviditatis taedio consumebatur, et tribus ante partum hebdomadibus afficiebatur, post valetudinem quamdam dversam, dolore vehementi mammae sinistrae absque aliquo tumore. Pridie ante partum post paroxysmum febrilem dolor ille transferebatur ad maxillam inferiorem, quem insequebatur manifesta inflammatio cum tumore capitis. Tertio post partum die mammae parvam lactis copiam secernebant, sed insequente die tota haec secretio cessabat, neque lochiorum fluxus solito more observabatur. Die duodecimo caries ossis maxillaris manifesta erat; laborabat febre continua, et valde debilis erat; post quatuordecim dies totum hoc maxillae fragmentum, dilatato parumper vulnere, facile auferebatur, permanente tamen dein fluxu immodico materiei ichorosae. Post applicationem vero remediorum sensim tumor atque effluxus ichoris imminuebantur, prodibat pus bonae notae, atque viginti tribus diebus a separatione ossis praeterlapsis vulnus fuit clausum, atque totum os reproductum, superstite parva tantum fistula, quae nondum claudebatur, nisi evulso ultimo dente molari. Omnis superficies hujus fragmenti est cariosa, atque caeterum convenit cum omnibus ossibus necrosi affectis. Dentium alveoli nonnisi pro parte tantum supersunt.

CMXXIX. Ossa pelvis cum duabus infimis vertebris lumborum viri adulti, triginta duorum annorum, qui anno 1796 in Nosocomium Militare recipiebatur, laborans insigni abscessu metastatico ad os sacrum, quo aperto, inveniebatur os a periostio orbatum. Dein ex descensu puris infra musculos gluteos fistulae in vicinis partibus, atque perinaeo se manifestabant. Post tres annos eodem in statu adhuc aversabatur, sed dein sanabantur fistulae in ambitu ossis sacri; quavis hyeme afficiebatur febricula lenta; aestate vero meliori gaudebat sanitate, sed totus ipsius habitus erat cachecticus, tumebant artus inferiores, atque ulcerationes denuo aperiebantur. Subinde ad varias corporis partes, imprimis a latere dextro abdominis producebantur abscessus, qui sinuositatibus diversis ansam praebebant, usque dum aeger totus exhaustus moriebatur initio anni 1803.

Sinus diversi solas partes molles occupabant, sed unus ad cavitatem pelvis penetrabat, atque hac cavitate insignis copia purulenti humoris continebatur, caeterum abdominalia viscera nondum erant degenerata.

Licet carie consumta fuerit tota inferior pars ossis sacri cum ossibus coccygis, ita ut non nisi tres vertebrae spuriae supersint, hujus tamen externa atque anterior superficies rursus sanata est, atque pro parte producto callo tegitur.

DMXXX. Os humeri dextrum necrosi juxta totam longitudinem affectum.

Juvenis viginti annorum durante captivitate in Anglia corripiebatur febre tertiana, quae, postquam paroxysmi aliquoties redierant, assumtis nonnullis remediis, sanata videbatur. Post aliquot vero septimanas conquerebatur aeger dolorem atque tumorem abdominis cum dolore obtuso in osse humeri dextro, et ex improviso hydrope universali afficiebatur; sensim insigniter tumefactum brachium, nunc sub atrocissimis doloribus ulcerationes innumerabiles monstrabat. Aeger quam maxime debilitatus, ac febre continua laborans, alvo pertinacissime clauso, nec non ischuria, deferebatur in Nosocomium Militare, et paucis diebus praeterlapsis moriebatur. Tota diaphysis ossis necrosi affecta, ab omni adhaesione libera, circumdata cernitur theca ex callo noviter producto. Substantia calli dura est, ac inaequalis, et plura adsunt foramina marginibus crassis, inaequalibus, ac rotundatis terminata, qua pars ossis emortui in conspectum datur.

CMXXXI. Fibula fere integra infantis quinque annorum, longitudinis 118 lin. belg., 4 poll. 6 lin. rhen., necrosi affecta, atque exfoliatione separata.

Puer hic sanissimus corripiebatur febre irregulari, cujus paroxysmi sensim imminuti, tandem sponte disparuerunt, sed eodem illo tempore rubor observabatur ad malleolum externum, cum dolore, non tamen constanti; sensim sensimque cum rubore intumescebat malleolus, atque dolores brevi evadebant intolerabiles; abscessus dein enatus circa malleolum sponte disrumpebatur, atque exitum praebebat insigni quantitati materiei ichorosae, absque ullo tamen levamine symptomatum; inflammatio sensim sensimque adaucta usque ad superiorem partem cruris se extendebat, et nunc a superiore, et ab inferiore plura oriebantur ulcuscula. In hac rerum conditione aeger febre hectica corripiebatur, usque dum ab invasione morbi anno praeterlapso tandem medicamenta ex arte praescripta, tam interne quam externe administrabantur, eo cum effectu, ut exfoliatione totum hoc corpus fibulae solutum, educi potuerit, atque brevi, ulceribus sponte sanatis, aeger sanitatem recuperaret.

CMXXXII. Ossicula duo metacarpi per necrosin soluta, ex colluvie a causa interna ad manum in corpore scabioso determinata. Superficies horum ossium, quorum extrema inferiora deficiunt, est inaequabilis atque cariosa.

Caries ex errore loci.

CMXXXIII. Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore atque plurimis dentibus, cujus barba non bene erat evoluta. Tota fere maxilla inferior, sed imprimis ejus pars horizontalis cariosa est, deficiente a latere sinistro parte majore substantiae, ac superstite tantum lamina posteriore; caries haec provocata videtur ex barba, cellulas ossis occupante; ubique enim in ossis substantia, et in ipsis alveolis copiosissimi pili, in omni directione positi, observantur; plura fragmenta

jam

jam exfoliatione pericrunt, alia adhuc separari debuerunt; ubique erosio ad ultimam usque partem penetravit. Ex poris nonnullis maxillae superioris prodeunt etiam pili.

A causa minus cognita.

CMXXXIV. Sceletus naturalis hominis adulti, mediae aetatis, cujus ossa femoris in partibus inferioribus solito plus tument, atque foraminibus paulo majoribus quam naturales pori, pro transitu vasorum periostei, quam maxime perforata sunt. Inflammatio chronica periostei causa videtur hujus degenerationis.

CMXXXV. Os humeri dextri lateris hominis adulti, cujus tota pars superior a superficie articulari superiore ad mediam usque partem longitudinis, in ambitu carie erosa est.

CMXXXVI-CMXXXVIII. Ossis humeri dextri pars inferior, ulnae et radii pars superior hominis adulti, qui carie in parte inferiore ossis humeri laboravit, hinc totum extremum illius ossis inaequabile, porosum, et eminentiis, ex callo productis, asperum se monstrat, atque praeterea foramine rotundo supra articulum ulnae perforatum est. Ulnae et radii extremum superius, licet ipsae superficies articulares immutatae supersint, simili modo affectum est.

CMXXXIX. Os humeri hominis adulti, singularis formae in utroque extremo. Caput superius totum consumtum est; in vertice superficies est porosa, limbo duriori cincta, quem rursus ambit margo spinis, atque iis interpositis sinubus valde inaequabilis. Extremum inferius est bifidum, internum valde tenue, externum crassius atque a posteriore tuberculosum, dum fissura satis ampla ea separat. Utrumque extremum quamdam superficiem articularem offert in parte inferiore.

CMXL. Manus sinistra cum radii et ulnae parte inferiori, amputatione sublata propter cariem ossium carpi. Carie affecta sunt ea ossa in nexu inter se, et cum ossibus metacarpi, adeo ut superficies articulares sint erosae, et ipsa extrema ossium nimis a se invicem distent; excrescentiis osseis omnia carpi et metacarpi ossa, nec non extremum radii, deformia, atque aspera quodammodo rursus inter se sunt juncta, et concreta.

CMXLI. Os humeri sinistri lateris hominis adulti, quod juxta totam fere longitudinem incrassatum, atque ab inferiore cariosum, solito etiam ponderosius est. An ex causa venerea?

CMXLII. Pelvis ossa cum duabus inferioribus vertebris lumborum viri robustissimi. Totum os ilium dextrum ab interiore crassitie est auctum, superficies callo poroso, sed ut videtur, satis duro, tegitur; in posteriore vero parte atque latere dextro superficiei anterioris, et alae ossis sacri caries adhuc praesens est.

Ossis ischii hujus lateris superficies interna etiam affecta est; adfuit procul dubio abscessus ad musculum iliacum internum dextrum.

CMXLIII. Os sacrum cum tribus vertebris lumborum viri adulti, firmiter inter se concreta. Tota media pars ossis sacri et corporum vertebrarum inferiorum carie valde erosa fuit, ex callo vero innato, atque luxuriante deformia reddita sunt ossa ab anteriore.

CMXLIV. Os femoris sinistri lateris hominis junioris, perierunt nimirum epiphyses; tumet quam maxime totum extremum inferius, adeo ut ipsius circumferentia ad distantiam trium transversorum digitorum a genu sit 275 lin. belg., 10 poll. 6 lin. rhen., tumor ossis ubique tuberculosus, asper, cariosus se offert, et licet porosae videatur naturae, tamen pondus admodum insigne est. Supra tumorem corpus ossis est cariosum, et lamina externa exfoliatione deperdita videtur.

CMXLV. Tibia, atque fibula dextri lateris hominis quinquaginta annorum, qui imprimis abusui spirituosorum liquorum a longo tempore fuerat deditus, atque cachexia afficiebatur cum ulceribus cruris ex carie insigni tibiae. Necrosi periit insignis portio tibiae, quae circumdatur nova substantia ossea satis dura, adinstar thecae enatae ex superficiebus lateralibus, et ab anteriore nondum clausae. Superficies posterior tibiae valde est inaequabilis a superiore dilatata, et plura foramina monstrans, ad interiora thecae tendentia. Pars calli, durante vita, videtur ablata, ad exfoliationem promovendam.

CMXLVI. Pars ejusdem tibiae ante mortem exfoliatione separata in omni superficie valde erosa, longitudinis 180 lin. belg., 6 poll. 10½ lin. rhen.

CMXLVII. Tibiae sinistrae hominis adulti pars inferior, de cujus superficie insignis lamella ossea necrosi affecta, exfoliatione est deperdita. Relicta superficies cellularem offert texturam, ejusque ambitus est ampliatus ex callo innato.

CMXLVIII. Tibia sinistri lateris hominis adulti, ex cujus superficie interna circa malleolum lamella insignis ex callo foliaceae quasi naturae excrevit, quae retrorsum tendens ambiit tendines musculorum flexorum, eosque vagina quasi continebat. Ad ortum musculi solei etiam crena ex callo producta cernitur.

CMXLIX. Fibula ejusdem lateris ejusdemque hominis, juxta totam longitudinem asperae lineae, quae respicit tibiam, callo spinoso inaequabilis reddita.

CML. Ossa tarsi et metatarsi dextri lateris hominis adulti, inter se anchylosi juncta. Carie deperditum est os cubiforme, atque cuneiforme medium, sed haec caries sanata videtur, si ad superficies articulares attendimus quum vicinia ossa etiam, quoad figuram, parum mutata sunt; concrevit etiam os metatarsi pollicis cum osse primi ordinis, post cariem in extremitatibus duorum illorum ossium, qua fissura, cujus tamen margines sunt rotundati et sanati, juxta longitudinem in duobus his ossibus producta fuit. Capita priora reliquorum ossium metatarsi sunt valde porosa.

CMLI. Ossa tarsi et metatarsi sinistri lateris hominis adulti; carie affecta sunt os tali, naviculare, atque cuneiformia, quae pro parte in superficiebus articularibus tota erosa sunt.

CMLII. Ossa digiti manus, cujus intermedia phalanx carie destructa, in quatuor fragmenta secessit, et ultima valde erosa est.

CMLIII. Sceletus dissolutus Aethiopis ex Indiis Occidentalibus, cujus ossa diversa carie sunt affecta, ex morbo, inter eas nationes aliquando grassante.

Ossa conceptaculi cerebri superficiem externam monstrant inaequabilem, non tamen rugosam; perierunt suturae verae; in osse frontis a latere dextro, et in osse verticis sinistro carie consumta est tabula externa, atque pro parte diploë, ipsa tabula interna foraminibus multis cribro similis reddita est. In osse verticis dextro foramen adest notabile, cujus margines valde cariosi sunt. Superius atque medium os sterni carie valde erosum est. Concrevit suprema costa cum ipso manubrio sterni. Os humeri sinistri lateris ad parvam distantiam infra caput superius penitus fere destructum, in reliqua parte primo crassitie auctum, sed valde spongiosum, dein in anteriore imprimis facie carie exesum est. Ulnae caput superius simili ratione affectum est, et alia bene multa ossa tuberculosam illam superficiem monstrant, quae in conceptaculi cerebri ossibus etiam notata est.

CMLIV. Cranium Russi cum maxilla inferiore omnibusque dentibus. In palato pone dentes bicuspidatos, cuspidatum, atque adstantem incisorem dextri lateris fovea cernitur in processu alveolari ad fundum narium adscendens, cujus interna superficies aspera atque porosa se offert. Tabula externa tumet valde, unde quodammodo deformis est facies, atque fissura observatur inter radices dentis cuspidati et incisoris; alveoli perierunt, et radices dentium intra foveam prominent; fovea vero cum sinu maxillari nullum alit commercium.

CMLV. Cranium cum maxilla inferiore atque dentibus, in quantum alveoli supersunt, militis mortui ex foedo atque maligno oris ulcere, cujus prima causa statuebatur ab aegro in evulsione dentis; carie erosum est palatum durum a latere sinistro, atque totus processus alveolaris, hinc sinus maxillaris juxta totam longitudinem hiat, qui fungosa carne fuit investitus.

CMLVI. Fragmentum osseum longitudinis 105 lin. belg., 4 poll. rhen., et latitudinis 30 lin. belg., 1 poll. 2 lin. rhen., separatum a tibia viri, qui per plures annos ulceribus phagedaenicis in cruribus laboraverat.

CMLVII. Fragmenta quatuor exfoliatione separata a tibia viri, viginti trium annorum, qui diu ulcere in crure laboraverat.

CMLVIII. Fragmenta duo ossea separata a tibia viri, viginti octo annorum, qui diu ulceribus phagedaenicis vexatus, febre nervosa corripiebatur, atque ab hac sanatus, dysenteria affectus moriebatur; brevi autem ante mortem haec fragmenta exfoliatione a tibia solvebantur.

CMLIX. Fragmentum osseum quodammodo circulare, diametri 37 lin. belg., 1 poll. 5 lin. rhen., separatum a tabula externa cranii juvenis novemdecim annorum, qui carie procul dubio venerea diu laboraverat.

CMLX Portio ossis verticis sinistri, longitudinis 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen., atque latitudinis 40 lin. belg., 1 poll. 6 lin. rhen., inter suturam sagittalem atque squamosam exfoliatione separata. Miles quadragenta et septem annorum mense Aprilis 1807, postquam per plures dies gravi cephalalgia laboraverat, febre acuta corripiebatur; perseverante hac febre intra quatuordecim dies abscessus oriebatur supra ossa verticis, quo disrupto insignis copia puris evacuebatur, et dicta ossa cariosa se offerebant. Duobus mensibus praeterlapsis portio satis insignis ossis verticis dextri exfoliatione solvebatur, haec vero portio deperdita est, et post aliquot dies hoc frustum, praecedente majus, ossis sinistri, serrae ope in nexu cum parte sana separabatur. Foramen in ossibus hac operatione productum, callo rursus fere penitus est clausum, ac aeger, quin ulla symptomata alicujus momenti se manifestassent, feliciter mense Octobris sanatus fuit.

Externa atque interna superficies hujus fragmenti cariosa est, atque ab interiore portiones tabulae internae etiam supersunt.

CMLXI. Portio processus alveolaris dextri lateris maxillae superioris hominis adulti, cum inhaerentibus duobus dentibus bicuspidatis, atque duobus sequentibus molaribus proprie dictis, carie a maxilla separata. Nonnisi pars marginis exterioris maxillae, ac fundi antri Higmori integra superest, reliquae omnes superficies sunt cariosae.

CMLXII. Pars superior tibiae dextri lateris infantis, longitudinis 131 lin. belg., 5 poll. rhen., necrosi separata. Pars superior ab epiphysi fuit separata.

CMLXIII. Portio ossis cylindracei infantis, longitudinis 100 lin. belg., 3 poll. 10 lin. rhen., necrosi separata.

CMLXIV. Fragmentum longitudinis 37 lin. belg., 1 poll. 5 lin. rhen., et latitudinis 6 lin. belg., 3 lin. rhen., carie separatum ab utraque tabula ossis capitis infantis.

CMLXV. Extypon ex gypso ossis humeri dextri Felis Leonis, carie, ut videtur, affecti, atque ex innato callo in superficie inaequabilis et asperi.

CMLXVI. Cranium hominis adulti provectae aetatis, horizontali sectione apertum; deficientibus enim dentibus maxillae superioris periit etiam totus processus alveolaris; utrumque os verticis media in parte superficiem valde excavatam, inaequabilem, marginibus prominentibus monstrat, aeque ac si tabula externa atque diploë fuerint ablata, quin tamen ulla adsint indicia antea praesentis cariei; tabula interna omnino est sana, et ab interiore nulla ratione affecta. Substantia ossea in sectione apparet valde compacta.

CMLXVII. Cranium cum maxilla inferiore hominis provectae aetatis; perierunt

runt maximam partem processus alveolares. In utroque osse verticis ad mediam partem ab exteriore similes excavationes observantur quam in praecedente specimine, tabula interna, ut sectione horizontali conceptaculi cerebri patet, est intacta, atque adeo tenuis, ut fere pellucida sit. Partim perierunt suturae verae.

CMLXVIII. Cranium hominis adulti; supersunt in maxilla superiore alveoli nonnulli, alii penitus sunt deleti. Similes excavationes quam in praecedentibus speciminibus in ossibus verticis adsunt. Suturae verae partim sunt deletae.

CMLXIX. Cranium hominis adulti, cujus os occipitis in sutura lambdiformi valde retrorsum prominet; varia in hac sutura adsunt ossicula Wormiana. Sagittalis sutura partim est deleta.

CMLXX. Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore, deletis processubus alveolaribus, latitudo utriusque maxillae maxime est imminuta. Prominet valde retrorsum tota pars superior ossis occipitis ultra superficiem ossium verticis. Sutura lambdiformis veluti duplex est ex innumeris ossiculis Wormianis, quorum nonnulla sunt deperdita. Omnia ossa sunt tenerrima, unde pondus cranii valde est imminutum. Imprimis extenuata sunt ossa in basi conceptaculi cerebri, hinc foramen magnum ossis occipitis cum hujus ossis parte basilari, et utroque osse petroso introrsum pressa, externam hanc faciem basis concavam reddiderunt.

Osteosteatomata, atque ossificationes partium mollium.

CMLXXI. Cranium viri adulti cum maxilla inferiore, qui insigni tumore osteosteatomatoso in ramo dextro maxillae inferioris laboravit. Quum maceratione in aqua depuratum est hoc cranium, non nisi osseae partes tumoris supersunt. Tumor incipit in latere dextro maxillae ab alveolo dentis molaris ultimi. Duo dentes molares ultimi sinistri lateris, et primus dens molaris dextri lateris, in maxilla inferiore supersunt, reliqui omnes dentes perierunt, quamvis eorum alveoli non sint deleti. Tota pars posterior dextra maxillae inferioris, pone dictum alveolum ex ipso vitio destructa, periit; sed extrorsum retrorsumque se extendit tumor, constans ex lamellis osseis, vegetationem quasi aemulantibus, retrorsum directis, et imbricatim quasi sibi invicem incumbentibus, quae spatia inter se majora vel minora relinquunt, ita ut medium tumoris teneat cavum valde insigne. In maxilla superiore supersunt alveoli tres anteriores a latere dextro, omnes cum duobus prioribus dentibus molaribus veris in latere sinistro; caeterum processus alveolaris est deletus, unacum parte lamellae palatinae ossium maxillarium et basibus ossium palati. Ex consumtione corporis ossis maxillaris, totius fere processus pterygoïdei, nec non totius ossis palati hujus lateris, hiat non solum antrum Highmori, sed et vomere, ossibus spongiosis inferioribus et parte cavernosa ossis cribriformis destructis, una quasi cavitas hic adest. Pressione consumtus

est processus zygomaticus, os jugale e sede remotum, extrorsum multum prominet. Pars processus lateralis ossis multiformis, per quam nervus maxillaris inferior decurrit, non solum extenuata, sed et magno foramine pertusa est. Articularis sinus cum tuberculo anteposito totus est deletus, et planitiem complanatam, latam, rugosam offert. Tota superficies cui adhaesit musculus temporalis, in quantum haec a parte squamosa ossis temporis, et a processu laterali ossis multiformis componitur est valde porosa. Articulatio sinistra maxillae etiam parum affecta videtur.

CMLXXII. Pelvis cum sex vertebris inferioribus, ligamentis nexis, viri adulti, qui osteosteatomate insigni laboravit.

Vir robustus mediae aetatis postquam diu ante in dorsum incidisset, querebatur dolorem in lumbis cum difficultate truncum erigendi. Deinde dolor magis fixus reperiebatur in regione nexus ossis ilii sinistri cum osse sacro. Paulo post tumor apparebat in parte sinistra posteriore pelvis, qui tumor sensim increscens, tantum acquisivit volumen, ut totam regionem iliacam atque lumborum sinistram occuparet.

Tumor ad tactum erat durissimus, et valde inaequabilis, dum simul ex abdominis protuberantia manifestum erat eum magnam partem hujus capacitatis occupare; ipsa vero integumenta intacta videbantur. Ipsius tumoris augmentum quotidie fere introrsum non minus quam extrorsum increscere constabat praeterea ex turbis in digestione, ex difficili et dein impedita excretione urinae, nec non obstipatione alvina, unde artis auxilium hae evacuationes naturales requirebant. Crus sinistrum fere erat paralyticum, et summa macie exhaustus, tandem postquam per tres annos a tumoris apparitione hoc morbo cruciatus esset, diem obiit supremum.

Tumor in abdominis latere sinistro circumscriptus, superficiem monstrabat duram, tensam, inaequabilem, dum dextrorsum omnia viscera abdominalia erant propulsa, atque tantopere pelvis minoris capacitatem replebat, ut intestinum rectum ossi ischio dextro esset appressum, atque vesica urinaria supra ossa pubis elevata.

Substantia tumoris constabat materie cartilagineo-fibrosa, in nonnullis locis quasi lardacea, atque fere ubique substantia ossea infarcta, quae in nonnullis locis lamellas, in aliis frusta ossea satis compacta, in aliis rursus cellularem magis texturam offerebat, et toti tumori notabilem duritiem conciliabat. In media parte circa nexum ossis sacri et ilii continebat puris insignem quantitatem, cujus evacuatione, atque exsiccatione tumoris calore artificiali minime mirandum est, ipsius magnitudinem nunc quartam partem esse minorem quam in statu recenti. Non obstante vero hac imminutione tumor valde irregularis figurae adhuc enormis est magnitudinis, adimplet nimirum majorem partem pelvis minoris et majoris, dum totius ossis ilii sinistri non nisi pars anterior cristae appareat, et tumor supra verte-

bram

bram lumborum tertiam adsurgeat. Totum os ilium e sede est remotum, hinc ossa pubis in apertura superiore pelvis fere juxta lineam rectam sunt posita, et acetabulum sinistrum dextro multo magis deorsum est positum. Tuber ossis ischii versus inferiora et exteriora prominens, efficit ut spatium inter duo haec tubera valde sit auctum. A posteriore tumor longe majorem deformitatem offert, per aperturam inferiorem pelvis propullulans os sacrum atque coccygis in latus dextrum sunt propulsa, et tali ratione ossis sacri partem sinistram, totumque os innominatum tegit, ut nihil harum partium conspici valeat, et alte in lumborum regionem adscendeat; ab hac enim parte longe magis quam ab anteriore tumor est evolutus, et protuberantias diversas satis insignes, ab interiore excavatas, ac antea pure repletas monstrat. Os ilium pro magna parte carie est consumtum, nec non pars sinistra ossis sacri ex eadem causa crosa. Ex decubitu aegrotantis spina dorsi in dextrum latus vergit.

CMLXXIII. Portio ejusdem osteosteatomatis spiritu vini contenta, qua natura substantiae egregie cernitur.

CMLXXIV. Os metacarpi cum reliquis ossibus pollicis hominis adulti. Intumuit os metacarpi juxta totam longitudinem, atque ab interiore excavatum est cum apertura sat magna a latere; tumor tenui tantum, atque valde porosa constat lamina ossea. Superficies articulares sanae sunt.

CMLXXV. Os metacarpi cum ossibus digiti ejusdem hominis. Os primi ordinis digiti ab exteriore in tumorem similem, oblongum est elevatum, caeterum os suam formam naturalem servavit.

CMLXXVI. Tria ossa digiti hominis adulti, quorum inferius similem insignem tumorem ab interiore latere totum excavatum, et ampla apertura praeditum, monstrat. Os medium ex tumore in utroque latere insignem latitudinem acquisivit, in dorso superficies inter tumores est sana et complanata, in vola sulcus pro tendinibus superest. Transversali sectione constat, utrumque tumorem a latere corporis ossis elevatum, ab interiore cellulis repletum esse, ac a se invicem ipso osse separari.

CMLXXVII. Digitus auricularis hominis adulti. Juxta totam longitudinem ossis primi ordinis ab exteriore excrevit similis tumor, cellularis ut videtur texturae, longitudinis 70 lin. belg., 2 poll. 8 lin. rhen., et latitudinis 46 lin. belg., 1 poll. 9 lin. rhen.

CMLXXVIII. Concrementum osseum rotundatum, et ab interiore excavatum constans ex substantia lamellosa, inventum in sepulchreto inter ossa pelvis cadaveris, procul dubio ex osteosteatomate uteri.

CMLXXIX. Concrementum osseum ejusdem fere magnitudinis sed magis oblongum, longitudinis 124 lin. belg., 4 poll. 9 lin. rhen., atque latitudinis 100 lin. belg., 3 poll. 10 lin. rhen.; ab exteriore superficiem magis granulosam, atque ab interio-

re tuberculosam offerens; sectione longitudinali constat, ipsam substantiam satis esse duram, atque compactam. Inventum est hoc concrementum in sepulchreto intra ossa pelvis foeminae adultae, quae diu vitio uteri laboraverat; procul dubio fuit osteosteatoma uteri.

CMLXXX. Costarum quatuor spuriarum lateris dextri partes anteriores, cum portione earumdem cartilaginum, et ab interiore apposita lamina ossea, ex cadavere militis, phthisi pulmonali atque asthmate mortui. Lamina ossea irregularis est figurae, diameter longitudinalis est = 100 lin. belg., 3 poll. 10 lin. rhen., et transversalis = 94 lin. belg., 3 poll. 7 lin. rhen., superficies interna quodammodo est inaequabilis; in recenti statu mobilis erat juxta costas, atque portio videtur pleurae ossificatae; ex posteriori margine introrsum tendit processus styliformis, mobilis, longitudinis 40 lin. belg., 1 poll. 6½ lin. rhen., qui apice suo in pulmonem penetraverat, atque centrum tenebat ulceris pulmonalis. Ex nexu hujus processus cum margine posteriore lamellae osseae parvus adhuc procedit processus, qui etiam mobilis fuit.

CMLXXXI. Cartilago Thyreoïdea viri in substantiam osseam versa.

CMLXXXII. Anterius extremum costae spuriae Equi cum parte cartilaginea in substantiam satis firmam osseam mutata.

VARIA.

CMLXXXIII. Cranium militis Russici cum maxilla inferiore atque dentibus. In utraque maxilla dentes molares, bicuspidati atque cuspidati ordine sunt positi; in superiore maxilla sex adsunt dentes incisores, duo medii oblique sunt positi, ita ut superficies laterales ab anteriore conspiciantur, et pro parte praeterea tegantur dentibus incisoribus latioribus; duo alii incisores introrsum positi sunt, a latere mediorum, ita ut cum his alteram quasi seriem componant. In maxilla inferiore quatuor adsunt dentes incisores, sed in duos ordines, sive series dispositi.

CMLXXXIV. Pars posterior conceptaculi cerebri hominis adulti, cujus os occipitis supra insertionem musculorum cervicis et dorsi in tria ossa, aequalis fere magnitudinis, atque suturis dentatis nexa, divisum est. Medium os formam habet quinquangularem, duo vero lateralia triangularem; ab interiore omnes suturae sunt deletae, excepta transversa inferiore.

CMLXXXV. Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore, atque dentibus, horizontali sectione apertum. In nexu suturae sagittalis cum lambdiformi innumera adsunt ossicula Wormiana, quae figura admodum diversa, valde dentata sutura ab exteriore, ab interiore simplici margine flexuoso junguntur. Sutura sagittali os frontis divisum est.

CMLXXXVI. Cranium viri mediae aetatis cum maxilla inferiore atque omnibus dentibus. Perierunt fere omnes suturae verae.

CMLXXXVII. Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore atque nonnullis dentibus. Forma conceptaculi cerebri valde est elongata, atque totum cranium solito ponderosius. Inter processum mammillarem dextrum atque foramen magnum ossis occipitis exsurgit processus valde crassus, longitudinis 20 lin. belg., 9 lin. rhen., cujus basis latitudinem habet 13 lin. belg., 6 lin. rhen., et extremo obtuso terminatur.

CMLXXXVIII. Os temporis dextrum hominis adulti, cujus processus styliformis longitudinem habet 52 lin. belg., 2 poll. rhen.

CMLXXXIX. Cranium hominis adulti, absque maxilla inferiore. Processus styliformis ossis temporis sinistri longitudinem habet 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen., et circa basin latam ac tuberculatam partem offert.

CMXC. Ossis sterni pars media, ab inferiore solito latior, atque foramine pertusa.

CMXCI. Ossa trunci infantis recens nati, cujus costa quarta sinistra duplici extremo terminatur; cartilagines hujus costae primo etiam disjunctae, prope sternum in unam cartilaginem desinunt.

CMXCII. Costae tres superiores dextrae unacum superiore parte sterni hominis adulti. Costa secunda atque tertia, haec in margine superiore, illa in margine inferiore, in lamellam latam excrevit, adeo ut semet tangant, et suturae specie cohaereant.

CMXCIII. Vertebrae quatuor dorsales superiores inter se et cum totidem costis dextri lateris anchylosi junctae, ex homine adulto. Costae a nexu cum processubus transversis usque ad extrema anteriora in unam lamellam osseam sunt concretae, ita ut non nisi in parte posteriore a se invicem distingui valeant.

CMXCIV. Ossa pedis dextri, cujus ossi cubiformi ab exteriore adjunctum est os sesamoïdeum.

CMXCV. Costa dextra bovis, duplici extremo terminata.

CMXCVI. Sceletus artificialis militis Russici, proceritate notabilis, cujus flexura sigmoïdea spinae dorsi antrorsum et retrorsum solito major est.

Longitudo sceleti ab imis pedibus ad summum capitis verticem = 2 uln. 4 poll. 1 lin. belg., 6 ped. 6 poll. rhen.

Ab imis pedibus ad oram superiorem arcus ossium pubis = 1 uln. 7 poll. 3 lin. belg., 3 ped. 5 poll. rhen.

Ab eadem ora ad summum verticem capitis = 96 poll. 8 lin. belg., 3 ped. 1 poll. rhen.

Ossis sacri latitudo maxima = 13 poll. 1 lin. belg., 5 poll. rhen.

Ejusdem ossis longitudo maxima = 15 poll. 3 lin. belg., 5 poll. 10 lin. rhen.

Circuitus corporis imae vertebrae lumborum = 15 poll. 7 lin. belg., 6 poll. rhen.

Sterni longitudo = 22 poll. 2 lin. belg., 8 poll. 6 lin. rhen.

Costae septimae a superioribus longitudo, filo per partem convexam ducto, dimensa, absque cartilaginea parte = 44 poll. 5 lin. belg., 17 poll. rhen.

Caput osseum, linea a mento per mediam frontem, verticem atque occiput ad foramen magnum ducta, circuitum habet = 50 poll. 4 lin. belg., 19 poll. 3 lin. rhen.

Linea similis, ab extrema parte maxillae inferioris dextra per tempora atque verticem ducta ad extremam partem sinistram maxillae, longa est 49 poll. 7 lin. belg., 19 poll. rhen.

Linea similis a fronte parum supra orbitas per tempora ad medium occiput ducta, circuitum habet = 53 poll. 6 lin. belg., 20 poll. 6 lin. rhen.

Distantia inter marginem superiorem sterni et corpus supremae vertebrae dorsi = 9 poll. 2 lin. belg., 3 poll. 6 lin. rhen.

Distantia inter cartilaginem ensiformem et vertebram dorsi secundam ab inferiore = 15 poll. belg. 5 poll. 9 lin. rhen.

Altitudo ossis innominati, ducta linea a tubere ossis ischii ad cristam ilii = 27 poll. 3 lin. belg., 10 poll. 5 lin. rhen.

Latitudo ossis ilii maxima = 20 poll. 9 lin. belg., 8 poll. rhen.

Altitudo ossis ilii = 12 poll. 2 lin. belg., 4 poll. 8 lin. rhen.

- - - ossis ischii = 15 poll. belg., 5 poll. 9 lin. rhen.

Distantia inter partes priores cristarum ossium iliorum = 34 poll. belg., 13 poll. rhen.

Diameter conjugata = 13 poll. 7 lin. belg., 5 poll. 3 lin. rhen.

- - - transversalis = 17 poll. 9 lin. belg., 6 poll. 10 lin. rhen.

- - - obliqua = 16 poll. 2 lin. belg., 6 poll. 2 lin. rhen.

Distantia inter tubera ischiorum = 12 poll. belg., 4 poll. 7 lin. rhen.

Altitudo ossium pubis = 5 poll. 2 lin. belg., 2 poll. rhen.

Longitudo femoris = 56 poll. 2 lin. belg., 21 poll. 6 lin. rhen.

- - - tibiae = 44 poll. 5 lin. belg., 17 poll. rhen.

- - - pedis extremi = 27 poll. 5 lin. belg., 10 poll. 6 lin. rhen.

- - - ossis metatarsi pollicis = 6 poll. 8 lin. belg., 2 poll. 7 lin. rhen.

- - - - - - - - - secundi = 8 poll. 5 lin. belg., 3 poll. 3 lin. rhen.

Claviculae longitudo = 21 poll. 2 lin. belg., 8 poll. 1 lin. rhen.

Scapulae longitudo = 20 poll. 1 lin. belg., 7 poll. 8 lin. rhen.

Longitudo humeri = 43 poll. 2 lin. belg., 16 poll. 6 lin. rhen.

- - - ulnae = 30 poll. 7 lin. belg., 11 poll. 9 lin. rhen.

- - - radii = 28 poll. 8 lin. belg., 11 poll. rhen.

- - - manus = 21 poll. 8 lin. belg., 8 poll. 4 lin. rhen.

- - - metacarpi digiti medii = 7 poll. 2 lin. belg., 2 poll. 9 lin. rhen.

CMXCVII. Globi tres sclopetarii ex vulneribus post eorum dilatationem exempti, varia ratione complanati.

CMXCVIII. Pars globi ferrei (*Hauwitzer*) ponderis 5 unc. mensurae belgicae, cujus longitudo = 105 lin. belg., 4 poll. rhen., et latitudo maxima = 55 lin. belg. 2 poll. 1 lin. rhen.

Die 20 Decembris 1800 miles N. N. ex *Kirchberg op den Hondsrug* natus viginti octo annorum, vulneratus in obsidione Marienburgi prope Herbipolin, transferebatur hora octava vespertina in Nosocomium Militare primum vicinum cum vulnere in regione inguinali dextra; vulnus tegebatur prima deligatione, atque haemorrhagia, quae forte durante transitu producta fuit, cessaverat. Fomentatione frigida durante nocte madida servabatur deligatio. Insequente die deligatione ablata, detegebatur infra musculum gluteum sinistrum vulnus longitudinis 52 lin. belg., 2 poll. rhen., oblique sursum ad vulnus in inguine tendens, cujus forma erat triangularis, ejusque longitudo erat 105 lin. belg., 4 poll. rhen.. Interrogatus aeger referebat, se, genubus incumbentem fuisse vulneratum, atque posterius illud vulnus antea non fuisse detectum, sed in braccis coriaceis inventum fuisse ipsum hoc fragmentum ferreum, quod horologium sacco contentum diffregerat, et cujus vaginae argenteae pars adhuc fragmento ferreo adhaerebat. Nulla vulnerum dilatatio requirebatur, simplex deligatio, fomentatione memorata madida, applicabatur; scrotum nigricantis erat coloris ex sanguine extravasato.

Dolores erant satis vehementes, accedebat vehemens febris, et laborabat praeterea a longo jam tempore tussi catarrhali asthmatica, qua dolores ad inguen augebantur. Urinae excretio non erat impedita, neque sanguis cum urina erat mixtus. Clysmate evacuebatur alvus, cum conamina ad alvum deponendum propter dolorum vehementiam erant nulla. Sub administratione debitorum remediorum febris imminuebatur, suppuratio erat larga et pus bonae notae; ex decubitu in dorso inflammatio ad os sacrum et coxam dextram producebatur, sed et haec debitis remediis sanabatur. Vires tamen aegrotantis continuata atque copiosa suppuratione imminuebantur, dolores vehementes satis perseverabant; sugillatio ad scrotum disparebat, atque hoc statum naturalem recuperabat. Quum pus insigni copia atque odoris ingrati continuo prodibat, injectiones cum fructu administrabantur ex decocto Cort. Peruv. cum rad. Altheae, Flor. Samb. et Cham., nec non Melle et Tinct. Myrrhae.

Die 8 Januarii 1801 symptomata affectionis gastricae se manifestabant, quae debitis remediis debellatae die 12 Januarii plane cessabant, et quae dein subinde redierunt. Vires sensim sensimque augebantur; tussis imminuebatur, et sputa facilius evacuabantur; circa mediam partem mensis Februarii clysmata non amplius quotidie requirebantur quum alvum sponte exonerabat.

Mense Martii transferebatur, et tandem in Nosocomium, quod Leidae erat, recipiebatur; nunc absque symptomatibus alicujus momenti suppuratio paulo erat major, nunc rursus minor; subinde parva fragmenta ossea exfoliatione ab interna pelvis parte separabantur, quando in antecessum febris et dolor observabantur, quae tamen dein disparebant; tandem aestate anni 1803 postquam vulnera diu erant clausa optima fruens sanitate Nosocomium reliquit.

CMXCIX. Acus, qua mulieres uti solent, versus alterum extremum incurvata, excisa ex musculo gluteo militis; ad profunditatem 13 lin. belg. 6 lin. rhen. ab integumentis communibus transversim collocata, firmissime fibris muscularibus inhaerebat, nullam vero inflammationem excitaverat, atque aegro plane erat incognitum, se umquam acum similem deglutivisse; ab exteriore etiam nulla vestigia supererant, illam ab hac parte intra musculum pervenisse.

MONSTRA.

Ex Hominibus.

M. Cranium cum maxilla inferiore foetus, ut videtur, inmaturi, cujus tota superior cranii pars cum cerebro deficiebat. Ossa faciei, ut in omnibus hisce monstrosis infantibus, antrorsum valde prominent; os frontis a media glabella atque superciliis sursum totum deficit; ossa squamosa tota quanta in basi inveniuntur; verticis ossa admodum parva ossibus temporum incumbunt tanquam margines tenuissimi; ossis occipitis pars occipitalis tota est fissa, atque laterales partes multum a se invicem distant. In basi maxime prominent ossa petrosa, dum tota basis valde supra marginem externum ossium est elevata; atlantis arcus posterior etiam deficit.

MI. Cranium cum maxilla inferiore infantis recens nati, qui eodem vitio laboravit; ipsius magnitudo plus quam duplo superat magnitudinem praecedentis cranii. Ossa omnia faciei, et maxilla inferior in mento valde prominent; licet tota pars frontalis ossis frontis, tota fere ossa verticis, et portio ossis occipitis, quae supra insertionem musculorum dorsi et cervicis invenitur, deficiant, tamen reliqua, quae supersunt cameram cerebelli satis amplam componunt. Ossa squamosa situm habent naturalem, atque a superiore circumflexa marginem crassum constituunt cum portionibus illis parvis ossium verticis, quae ad angulum illorum ossium inferiorem ac posteriorem pertinent, nec non cum parte ossis occipitis, cui processus transversales durae matris adjunguntur. Pars basilaris ossis occipitis perpendicularem habet situm. Condyloïdeae vero partes horizontaliter sunt po-

positae, et pars ossis occipitis, ad cerebellum pertinens rursus solito more adscendit (1).

MII. Extypon ex gypso capitis infantis recens nati simili fere modo monstrosi, qui viginti octo horas vixit (2).

MIII. Extypon ex gypso infantis recens nati, cui artus superiores ac inferiores deficiunt.

Ex Animalibus.

MIV. Cranium monstrosum ex impedita evolutione maxillae inferioris foetus Ovis Arietis. Conceptaculum cerebri est elongatum; ossa faciei partim deformia sunt, partim deficiunt, maxilla inferior, quae admodum parva fuit, est deperdita; ossa ipsius conceptaculi cerebri, multiforme cum temporum ossibus exceptis, non valde a statu naturali recesserunt; ex impedita evolutione maxillae inferioris deficiebat tota cavitas oris, et ossa quae ad nares internas pertinent antrorsum nimis sunt propulsa. In basi enim capitis oculi erant positi, quorum orbitae ab ossibus frontis, unguis, et processibus prioribus ossis multiformis tantum formantur, deficiunt nimirum partes ceterum huc pertinentes ossium maxillarium superiorum, et ossa jugalia. Ossis multiformis figura omnium maxime est mutata, processus enim priores bene sunt evoluti, laterales cum basi reliqua hujus ossis tantum a parte conceptaculi cerebri conspiciuntur, et ab exteriore partibus squamosis ossium temporum toti quanti teguntur, hae enim partes inter se ab inferiore sunt conjunctae, et totam mediam basis cranii partem componunt; processus pterygoïdei toti deficiunt; in processibus prioribus ossis multiformis sunt foramina optica, et inter hos processus atque margines anteriores ossium squamosorum fissurae orbitales inveniuntur; foramina pro ramis tertiis quinti paris deficiunt, sed cetera foramina facile deteguntur. Processus zygomatici toti quanti deficiunt, et levissimi apparent sinus pro articulatione maxillae inferioris. Ossa maxillaria superiora inter se concreta, in formam conchae obducunt ossa narium internarum, quae bene evoluta sunt; inter ossa unguis, multiforme, et maxillaria bases ossium palati adesse videntur. Ossa intermaxillaria inter se sunt concreta, sed tamen incisuram sive foramen in anteriore parte habent. In ossibus maxillaribus nullum est indicium alveolorum aut dentium.

MV. Cranium cum maxilla inferiore Vituli monoculi. Ex defectu omnium ossium quae ad cavitatem narium pertinent orbitae inter se sunt junctae, atque unicam cavitatem formant. Extrema anteriora ossium maxillarium, atque ossa in-

(1) Accuratius descripsi atque figuris illustravi hoc caput monstrosum in *Verhandelingen der Eerste Klasse van het Koninklijk Nederl. Instituut, enz.* Amst. 1823. 6 Deel. pag. 251.

(2) Ibidem descripsi atque delineavi hujus infantis cranium.

intermaxillaria tota deficiunt; hinc ossa jugalia cum intermedio osse, ex duobus lacrymalibus composito, et corporibus ossium maxillarium superficiem valde complanatam constituunt, et a priore inter se nectuntur dum inferiori margini hujus nexus adhaerent duo dentes incisores, qui ex solis gingivis, et minime ex alveolis prodibant; tres dentes molares alveolis ab utroque latere inhaerent. Quod de palato superest sulcum profundum format. Conceptaculum cerebri est valde parvum, vix enim ossa frontis, in quantum conferunt ad hoc conceptaculum componendum sunt evoluta. Lamellae eorum orbitales cum male evolutis processibus prioribus ossis multiformis aperturam relinquunt satis magnam, quae in naturali statu, sed in hoc cranio deficiente osse cribriformi clauditur. Maxilla inferior, tota incurvata ab anteriore ante maxillaria ossa superiora adscendit, et dentes incisores atque molares continet.

MVI. Cranium cum maxilla inferiore foetus Ovis monoculi. Orbita satis magna in superiore et anteriore parte faciei invenitur ad quam tendit unicum foramen pro nervo optico; ossa lacrymalia inter se in unum os sunt conjuncta. Ossium maxillarium inter se concretorum partes anteriores, ossa intermaxillaria, atque omnia quae ad nares internas atque externas pertinent deficiunt. Palatum, inter dentes molares praesens, est integrum; foramina posteriora narium inter processus pterygoïdeos lamina ossea, a confluxis ossibus palati orta, sunt clausa. Maxilla inferior est arcuata, adscendit nimirum ejus pars anterior ante ossa maxillaria superiora; alveolis dentes solito modo continentur.

MVII. Cranium cum maxilla inferiore foetus Suis monoculi. Ex defectu ossium quae ad nares pertinent, orbitae inter se confluxerunt, atque unicam orbitam componunt, ad quam tendit unum foramen pro transitu nervi optici. Ex media parte marginis superioris hujus orbitae processus osseus dextrorsum incurvatus excrevit, desinens in superficiem inaequabilem, quae basis fuit proboscidis in his monstris plerumque praesentis. Ossa maxillaria superiora primo cum jugalibus et lacrymalibus marginem inferiorem orbitae constituentia, dein sinuata antrorsum in apicem excurrunt, cui inhaerent ut et ceteris alveolis dentes; palatum totum est clausum, ut et apertura posterior narium. Ossa maxillae inferioris parum sunt arcuata. Alveolis inhaerent primordia dentium.

MVIII. Os metatarsi tenue cum uno digito, ut videtur, Cervi junioris; alter digitus desideratur, neque ei locus fuit in tenui osse metatarsi; a superiore ossicula nonnulla inveniuntur, quae ad carpum pertinuerunt, et cum quibus extremum ossis cohaeret.

MIX. Sceletus naturalis Vituli recens nati. Processus spinosi trium posteriorum vertebrarum dorsi in unam massam confluxerunt; corpus supremae vertebrae lumborum adest, sed laminam tenuem, compressam refert, reliquae vertebrae lumborum, os sacrum, atque vertebrae caudales deficiunt, cohaerent cristae ossium

sium innominatorum cum ultimis vertebris ligamentorum ope. Artus posteriores situm habent perversum, unde digiti exteriora spectant.

MX. Truncus cum capite Vituli recens nati, valde monstrosi; caput bene est conformatum; spina dorsi columnam deformem refert, longitudinis 157 lin. belg., 6 poll. rhen., cui a superiore imposita est crista ex coalitis processibus spinosis; cervix, dorsum atque lumbi quodammodo distinguuntur, sed omnium vertebrarum forma naturalis omnino periit; cum media parte hujus spinae a latere dextro cohaerent quatuor costae, quarum penultima in tria extrema, et ultima in duo extrema abit; a latere sinistro pariter quatuor adsunt costae, ex his penultima in duo terminatur extrema. Omnes costae prope columnam vertebrarum sunt tenuissimae, sed ab altero extremo solitam habent latitudinem. Sternum valde latum atque deforme est, constans ex multis distinctis ossiculis. In utroque latere quatuor costarum extrema cartilaginibus sterno adnectuntur, reliqua extrema suis cartilaginibus marginem cartilagineum inter se componunt. Ossa innominata cum superiore parte ossis sacri cohaerent; reliqua hujus ossis pars, et vertebrae caudales desiderantur.

MXI. Sceletus naturalis Vituli ex situ perverso procul dubio valde monstrosi. Tota spina dorsi a vertebris lumborum retrorsum inflectitur, hinc caput inversum pone pelvim dependet. Costae omnes extrorsum, vel si ad situm naturalem attendimus, sursum sunt incurvatae, juxta processus spinosos adscendunt, atque ab utroque latere corporis superficiem complanatam offerunt. In sinistro latere omnes costae sunt separatae, in dextro autem mediae in unam lamellam osseam concreverunt, extrema earum in cartilagines desinunt, quae ab utroque latere corporis marginem cartilagineum formant, adeo ut totus thorax sit inversus. In cavitate enim producta a costis et processibus spinosis collocatae sunt scapulae, hinc a latere capitis dependent artus anteriores. Artus posteriores debita ratione cum pelvi conjunguntur.

MXII. Cranium cum maxilla inferiore Vituli aliquot mensium. Totum cranium jam valde volumine est auctum, cornuum nuclei satis magni adsunt. Ossium maxillarium extrema ante dentes molares justo sunt breviora, hinc intermaxillaria ossa situm habent nimis perpendicularem; ossa nasi juxta longitudinem valde incurvata extremis anterioribus valde descendunt, et eminentiam notabilem in dorso nasi faciunt. Inter duo ossa intermaxillaria rudimenta adsunt duorum aliorum ossium intermaxillarium, unde latitudo oris a priore est aucta. Palatum juxta totam longitudinem est fissum. Os petrosum dextrum parum est deforme, atque duplici praeternaturali foramine instructum. Maxillae inferioris pars dextra ab anteriore valde est incurvata, et solito modo jungitur cum ossiculo, tres dentes incisores continente, quod a posteriore sinuatum admittit priorem partem partis sinistrae maxillae. Utraque pars quatuor dentes incisores conti-

net, atque ossiculum intermedium supernumerarium tres dentes incisores.

MXIII. Cranium duplex Vituli recens nati. Utrumque cranium satis bene est conformatum; ossa verticis atque temporum inter se sunt concreta, ita ut meatus auditorii confluxerint, et unum os occipitis utrique commune sit. Maxillarum inferiorum partes, quae ad se invicem appropinquant, extrorsum sunt conversae in angulis posterioribus; hinc utraque maxilla a priore etiam quodammodo est incurvata. Utrumque palatum juxta longitudinem est fissum.

MXIV. Cranium simile duplex Vituli recens nati. Sub angulo fere eodem inter se nexa sunt haec crania, quo in praecedenti specimine; uterque vero meatus auditorius est distinctus, hinc articulationes maxillae inferioris septo sunt distinctae, maxillarum inferiorum vero partes laterales juxta se invicem processerunt, et altera alteram perfecte tegit. Utrumque palatum juxta longitudinem est fissum.

MXV. Simile cranium duplex cum suprema vertebra cervicis Vituli recens nati. Conceptaculum cerebri horizontali sectione est apertum. Omnino simili ratione haec crania, qua praecedentia inter se concreverunt, sed orbitis paulo magis ad se invicem accedentibus, processus zygomatici in basi confluxerunt, et maxillarium ossium inferiorum partes laterales posteriores extrorsum valde incurvatae, in contactu venerunt. Palatum capitis dextri juxta longitudinem est fissum; hujus capitis dextra pars maxillae inferioris deperdita est. Sectione conceptaculi cerebri constat, duo lateralia ossa petrosa bene esse evoluta, sed duo alia, quae in contactu venerunt, concretione, deformem massam referre. Os occipitis utrique cranio commune simplex est.

MXVI. Cranium simile duplex Vituli; ea vero ratione haec crania sunt conjuncta, ut de ossibus temporum in angulo conjunctionis nihil supersit, et ossa jugalia deformi osse inter se jungantur, cui ab inferiore adnectuntur capita ossium maxillarium inferiorum. Maxillarum inferiorum partes nondum sunt extrorsum inflexae, sed juxta se invicem positae, ita ut altera alteram tegat. Conceptaculum cerebri sectione horizontali est apertum, qua constat, omnia ossa, se habere ut in praecedenti specimine, sed quum dura mater hic in sede est relicta, haec minus distincte distinguuntur.

MXVII. Ossa cranii soluta Vituli bicipitis ex India Occidentali.

MXVIII. Ossa soluta sceleti Vituli monstrosi, bicipitis, qui lordosi, et spina bifida laboravit.

MXIX. Pes monstrosus animalis quadrupedis, cute tectus, atque quinque digitos, ungulis longissimis instructos, habens.

MXX. Sceletus Gallinae; inter os sacrum atque os innominatum sinistrum adest os irregularis figurae, satis latum, duplici foramine instructum, cui adjungitur os femoris, solito latius, cum quo ab inferiore nectuntur duo artus poste-

rio-

riores, qui ambo ex solitis ossibus, sed paulo incurvatis, constant et quatuor digitis terminantur.

MXXI. Pedes duo Galli gallinacei, digito supernumerario posteriori instructi.

Trunci arborum inter se concreti.

MXXII. Pars trunci arboris in altero extremo simplex centrum, in altero duo centra offerens, adeo ut duo distincti antea fuerint trunci, sed inter se concreti.

MXXIII. Pars trunci arboris in uno extremo duo centra offerens proxime sibi invicem apposita, ab altero extremo duo adsunt trunci toti separati.

MXXIV. Sectio trunci arboris; in altera superficie duo centra a se invicem plane distincta sunt, adeo ut facile constet, duos truncos inter se concretos esse; in altera superficie duo centra inter se confluxerunt.

PRODUCTIONES A SECRETIONE ABNORMALI.

Concrementa e tela cellulari.

MXXV. Portio globi plumbei complanati impulsu ad os tibiae, quae decem hebdomadibus intra telam cellularem, atque musculos relicta, pro parte crusta calcarea tegitur.

MXXVI. Globus plumbeus partim etiam complanatus, qui etiam per aliquot tempus inter musculos retentus, crusta calcarea pro parte obductus est.

MXXVII. Calculi tres ex tumore podagrico.

Calculus nasalis.

MXXVIII. Calculus nasalis, qui in cloacae nasalis parte superiore, lento per annos protracto incremento, formatus, tandem haud sine insigni difficultate extractus est; quo facto aegra fuit sanata, et facies deformis sensim ad pristinam formam rediit.

Calculi salivales.

MXXIX. Calculus ex ductu salivali, formae rotundae, operatione extractus.

MXXX. Calculus oblongus ex ductu salivali sublingualis glandulae suppuratione expulsus.

MXXXI. Dens molaris cujus corona massa satis insigni calcarea cingitur.

Calculi e glandulis lymphaticis.

MXXXII. Concrementum e glandula lymphatica circa vertebram dorsi mediam inventum, qualia plura in lumbis et pelvi aderant.

MXXXIII. Concrementa varia e glandulis meseraicis.

MXXXIV. Concrementa varia e glandulis meseraicis militis, qui cacochymia laboravit.

MXXXV. Concrementum e glandula bronchiali.

MXXXVI. Concrementa plura inventa in pulmonibus viri juvenis prope ingressum bronchiorum. Pulmones continebant tubercula purulenta, et vomicam insignem, caeterum erant duri, scirrhosi, et ultimis bronchiorum ramulis dilatatis inhaerebat materies cartilagini similis.

MXXXVII. Concrementa calcarea e glandulis lymphaticis pericardii Antilopes.

MXXXVIII. Globus dimidiatus osseus oblongus, qui humore seroso erat repletus, ab exteriore satis aequabilis, ab interiore reticulatus e pulmone Cervi; origo videtur a glandula degenerata deducenda. Longitudinalis diameter est 32½ lin. belg., 1 poll. 3 lin. rhen., transversalis 19½ lin. belg., 9 lin. rhen.

MXXXIX. Globus dimidiatus, fere totus osseus ejusdem procul dubio originis, ab exteriore tuberculatus, ab interiore totus excavatus diametri 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen.

Concrementa ex diversis partibus.

MXL. Concrementum calcareum valde porosum ex articulatione genu.

MXLI. Concrementum majus complanatum, ovalis ambitus ab altera parte porosum, ab altera solidum, quod liberum inventum fuit in articulatione genu. Aeger nullum incommodum questus erat.

MXLII. Ossiculum angulosum ex arteria coronaria sinistra cordis.

MXLIII. Ossiculum in processu falciformi durae matris repertum, ex cadavere foeminae mediae aetatis.

Sabulum calculosum e glandula pineali.

MXLIV. Concrementa calcarea e glandula pineali juvenis.

Concrementa ventriculi et intestinorum.

MXLV. Concrementum pilosum, sive aegagropila, formae globosae, diametri 39 lin. belg., 1 poll. 6 lin. rhen.

MXLVI.

MXLVI. Concrementum simile, media in parte dissectum e ventriculo Cameli, diametri 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen.

MXLVII. Concrementum simile, cujus nucleus videtur componi ex pilis longioribus, nigricantibus, dum exteriores sunt breves, atque brunei coloris; longitudo = 39 lin. belg., 1 poll. 6 lin. rhen., et latitudo = 32 lin. belg., 1 poll. 3 lin. rhen.

MXLVIII. Concrementum simile circulare, atque a superiore et inferiore complanatum ex pilis tenuissimis, diametri 92 lin. belg., 3 poll. 6 lin. rhen., et crassitiei 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen.

MXLIX. Concrementum rotundatum ex substantia vegetabili, atque pilis longioribus constans, ex ventriculo Vaccae ex insula Java; diameter = 32 lin. belg., 1 poll. 3 lin. rhen.

ML. Concrementum globosum, diametri 52 lin. belg., 2 poll. rhen., ex pilis et herbarum partibus compositum, e ventriculo Vaccae Indicae.

MLI. Concrementum simile, sed magis compactum, diametri 44 lin. belg., 1 poll. 8 lin. rhen., e ventriculo Hystricis.

MLII. Concrementa quatuor, quorum unum dissectum, ex pilis tenuissimis composita ex ventriculo Ovis ex Hungaria. Tota substantia, imprimis vero crusta externa, est tenax, ac quasi coriacea.

MLIII. Concrementum pilosum, ab exteriore crusta obductum, e ventriculo Vituli; forma est globosa, parum complanata, diameter = 85 lin. belg., 3 poll. 3 lin. rhen.; in varias partes est divisum ad compositionem demonstrandam.

MLIV. Concrementum simile globosae figurae cum superficiebus complanatis, crusta satis dura tectum. Diameter = 46 lin. belg., 1 poll. 9 lin. rhen.

MLV. Concrementum simile oblongum crusta dura tectum. Longitudo = 78 lin. belg., 3 poll. rhen., latitudo = 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen.

MLVI. Concrementum simile globosum et simul complanatum, crusta dura, humorem ex atmosphaera facile attrahente, et hinc saepius glutinosa tectum. Diameter major = 94 lin. belg., 3 poll. 7 lin. rhen., diameter minor = 72 lin. belg., 2 poll. 9 lin. rhen.

MLVII. Concrementum simile globosum diametri 60 lin. belg., 2 poll. 3½ lin. rhen., e ventriculo Hystricis Capensis; sectione constat, illud componi ex lamellis diversis durioribus, inter quas strata pilosa observantur.

MLVIII. Concrementum in genere globosum, sed cum diversis complanatis superficiebus, diameter major = 57 lin. belg., 2 poll., 2 lin. rhen., substantia quasi coriacea, ac valde levis est.

MLIX. Concrementum calcareum, in media parte dissectum, ex diversis stratis, partim concentricis compositum. Primus nucleus est frustum ferreum, quod circumdatur substantia calcarea; sequitur dein stratum satis latum, in fractu-

ra lamellas ex centro radiatim decurrentes offerens; tandem diversa strata concentrica facile distinguuntur. Forma in genere est globosa, diameter = 79 lin. belg., 3 poll. rhen.

MLX. Concrementum calcareum triangularis fere figurae, media in parte dissectum; longitudo = 78 lin. belg., 3 poll. rhen., latitudo = 60 lin. belg., 2 poll. $3\frac{1}{2}$ lin. rhen. Nucleus ex substantia calcarea tenuiore videtur componi, quem circumdant stratum quasi fibrosum, atque tandem lamellae diversae inter se parallelae atque diversi coloris.

MLXI. Concrementum calcareum quadrangularis fere figurae, ex diversis stratis compositum, in genere grisei coloris. Nucleum cingit primo stratum tenue albidum; dein diversa, quorum fibrae radiatim ex centro disperguntur, atque alia quorum lamellae ambiunt nucleum, et inter se parallelae insignem hunc calculum componunt cujus latitudo = 87 lin. belg., 3 poll. 4 lin. rhen., altitudo = 75 lin. 2 poll. $10\frac{1}{2}$ lin. rhen.

MLXII et MLXIII. Partes duae dimidiati concrementi calcarei ex ventriculo Equi ex Japonia; globosae est formae atque diametri 140 lin. belg., 5 poll. 4 lin. rhen., componitur totum ex diversis lamellis concentricis. Cl. Gaubius propria manu annotavit, se hoc concrementum, ponderis $5\frac{1}{4}$ librarum, accepisse ex Japonia, atque esse ex maximis, quae illis in regionibus inveniuntur; immerito autem dici, has concretiones ex Hippopotamo provenire, uti Seba narrat Thesaur. Tom. II. Tab. 112. N°. 1.

MLXIV. Concrementum simile, sed figurae minus determinatae, cum plures habet superficies. Longitudo = 131 lin. belg., 5 poll. rhen., latitudo major = 105 lin. belg., 4 poll. rhen.

MLXV. Concrementum simile fere globosae formae, diametri 72 lin. belg., 2 poll. 9 lin. rhen.

MLXVI. Concrementum angulosum tuberculatum, tres fere superficies offerens substantiae levis, ex diversis lamellis, ut videtur compositum, maxima diameter = 81 lin. belg., 3 poll. 1 lin. rhen.

MLXVII. Concrementum oblongum, nigricantis coloris ex lamellis parallelis compositum. Longitudo = 46 lin. belg., 1 poll. 9 lin. rhen., latitudo maxima = 33 lin. belg., 1 poll. 3 lin. rhen.

MLXVIII. Concrementum ovale, complanatum, sectione in media parte divisum; nucleus deperditus est, sed ex addita schedula constat, fuisse ex substantia vegetabili; lamellae sunt viridescentis coloris, neque omnes videntur ejusdem duritiei; dicitur *Lapis Bezoar Peruvianus* atque in suo genere rarissimus. Longitudo = 43 lin. belg., 1 poll. 8 lin. rhen. Latitudo = 35 lin. belg., 1 poll. 4 lin. rhen.

MLXIX. Concrementum simile ovale, viridescentis coloris, longitudinaliter divisum, cujus nucleus est semen fructus cujusdam; longitudo = 30 lin. belg. 1 poll.

1 poll. 2 lin. rhen., latitudo = 22 lin. belg., 10 lin. rhen.

MLXX. Concrementum orbiculare oblongum, brunei coloris, atque glaberrimum. Diameter major = 35 lin. belg., 1 poll. 4 lin. rhen.

MLXXI. Simile concrementum magnitudinis pisi majoris.

Calculi biliarii.

MLXXII. Concrementa duo, quorum alterum oblongum, figura et magnitudine sua convenit cum vesica fellea minori, ex bile quasi inspissata constans.

MLXXIII. Calculi fellei atri, angulati, in aëre fatiscentes; ex cadavere militis Hanoverani.

MLXXIV. Calculi duo fellei triangularis figurae, quorum alter altero longe major est.

MLXXV. Calculus felleus cubiformis.

MLXXVI. Calculi biliarii duo majores cubiformes, et plures alii angulosi ex cadavere viri, diarrhoea biliosa mortui.

MLXXVII. Quadraginta duo calculi biliosi quinque et sex angulares, regulares, ex cadavere militis Hanoverani.

MLXXVIII. Calculi plures fellei, qui videntur irregulares, sed in partes nonnullas regulares divisibiles; ex cadavere militis Hanoverani.

MLXXIX. Calculi fellei ab interiore atri, ab exteriore crusta albicante tecti

MLXXX. Calculi fellei subrotundi, intus radiati; e militis Hanoverani cadavere.

MLXXXI. Calculi duo fellei cubiformes.

MLXXXII. Sex calculi biliarii coloris margaritarum.

MLXXXIII. Calculus subrotundus et alius oblongus, qui in alterius superficie excavata partim recipitur, ex vesicula fellis hominis, qui Veneri et Baccho deditus tandem cacochymia mortuus est.

MLXXXIV. Calculi duo fellei, e cadavere viri quinquaginta annorum; alter est cubiformis, lateribus excavatis; alter triangularis atque valde complanatus.

MLXXXV. Calculi diversi fellei, integri et disrupti.

MLXXXVI. Calculorum felleorum sat magnus numerus brunei coloris, atque angulosae formae.

MLXXXVII. Vesica fellea, plures calculos continens.

MLXXXVIII. Vesica fellea longe major, etiam calculos continens.

MLXXXIX. Vesica fellea solitae magnitudinis, pro tertia parte calculis repleta.

MXC. Vesicula fellea parva varios continens calculos, quorum nonnulli angulosi valde, extenuatis maxime vesiculae tunicis, exteriori parti quasi adhaerent.

Ex Animalibus.

MXCI. Calculi fellei ex Bove.

MXCII. Calculus ex hepate Gadi aeglephini.

Calculi urinarii, ex renibus.

MXCIII. Calculi quatuor, quorum duo sat magni, ex rene viri adulti; omnes sunt angulosi atque alter processu, alter hamo instructus est. (Conf. N°. XLVIII.).

MXCIV. Extypon ex gypso insignis calculi renalis (1).

Calculi urinarii, per urethram excreti.

MXCV. Calculi tres quadrangulares asperi, per urethram excreti.

MXCVI. Calculus urinarius magnitudinis pisi majoris, a foemina per urethram excretus.

MXCVII. Calculi plures, subinde excreti per urethram a viro septuaginta annorum; sunt autem lamellae diversae magnitudinis, et formae, quorum margines sunt rotundati, sponte diffractae intra vesicam a calculo structurae lamellosae.

MXCVIII. Calculi quatuor, alii oblongi, alii rotundati, excreti per urethram procul dubio a foemina.

MXCIX. Calculi plures exigui, ex acido urico compositi, cum urina excreti.

MC. Calculi bene multi diversae magnitudinis, plurimum angulosi, cum urina excreti.

Calculi vesicae urinariae.

Ex acido urico.

MCI. Calculus oblongus, cujus superficies externa est granulosa; interna pars durior videtur; cortex in diversa fragmenta est diffractus. Longitudo = 46 lin. belg., 1 poll. 9 lin. rhen. Latitudo = 30 lin. belg., 1 poll. 2 lin. rhen. Pondus = 9 drachmis mensurae medicae.

MCII. Calculus ovalis ab exteriore grumosus, nucleum oblongum habens. Lon-

(1) Conf. Vol. 2, Tab. 114. fig. 16.

Longit. = 32 lin. belg., 1 poll. 3 lin. rhen. Latit. = 26 lin. belg., 1 poll. rhen. Pondus = 4 dr. et 14 granis.

MCIII. Calculi duo, quorum alter globosus, alter cyathiformis. Pondus = 61 granis (2).

MCIV. Calculus dissectus ovalis, ex lamellis constans. Longit. = 30 lin. belg., 1 poll. 2 lin. rhen. Latit. = 28 lin. belg., 1 poll. 1 lin. rhen. Pondus = 3 dr.

MCV. Calculus dissectus, valde porosus, triangularis fere formae, ex rene. Pondus = 1 β scr.

Ex urate ammoniae.

MCVI. Calculus oblongus, lamellaris, dissectus. Longit. = 61 lin. belg., 2 poll. 4 lin. rhen. Latit. = 41 lin. belg., 1 poll. 7 lin. rhen. Pondus = 2 unc. et 2 dr.

MCVII. Calculus in partes nonnullas diffractus.

MCVIII. Calculus oblongus, dissectus, ex lamellis diversae consistentiae compositus, ab altera parte complanatus. Longit. = 46 lin. belg., 1 poll. 9 lin. rhen. Latit. = 35 lin. belg., 1 poll. 4 lin. rhen. Pondus = 1 unc. 1 scr.

MCIX. Calculus oblongus, lamellosus. Longit. = 67 lin. belg., 2 poll. 7 lin. rhen. Latit. = 48 lin. belg., 1 poll. 10 lin. rhen. Pondus = 2 unc. 2 scr.

MCX. Calculus similis, cujus nonnulla strata valde porosa sunt. Longit. = 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen. Latit. = 52 lin. belg., 2 poll. rhen. Pondus = 3 unc.

MCXI. Calculus pyriformis. Longit. = 90 lin. belg., 3 poll. 5 lin. rhen. Latit. maxima = 72 lin. belg., 2 poll. 9 lin. rhen. Pondus = 9 unc.

MCXII. Calculus similis compactioris fabricae, dissectus. Longit. = 44 lin. belg., 1 poll. 8 lin. rhen. Latit. = 35 lin. belg., 1 poll. 4 lin. rhen. Pondus = 7 dr. 16 gr.

MCXIII. Calculus triangularis, lateribus aequalibus, angulis rotundatis, dissectus. Longit. = 28 lin. belg., 1 poll. 1 lin. rhen. Pondus = 3 dr. 2 scr.

MCXIV. Calculus oblongus, dissectus, ex multis stratis diversae crassitiei constans. Longit. = 42 lin. belg., 1 poll. 7½ lin. rhen. Latit. = 35 lin. belg., 1 poll. 4 lin. rhen. Pondus = 6 dr. 2 scr.

Ex acido urico et oxalate calcis.

MCXV. Calculus dissectus, cujus nucleus est ex acido urico. Longit. = 20 lin. belg., 9 lin. rhen. Latit. = 15 lin. belg., 7 lin. rhen. Pondus = 1 dr. β scr.

Ex

(2) Vid. E. Sandifort, *Exercitat. Academ.* Lib. 2. Cap. XIV, Tab. 7. fig. 4, 5, 6.

Ex acido urico et phosphatibus terrestribus mixtis.

MCXVI. Calculus similis dissectus. Longit. = 30 lin. belg., 1 poll. 2 lin. rhen. Latit. = 26 lin. belg., 1 poll. rhen. Pondus = 3 dr. 1 scr.

MCXVII. Calculus dissectus, fere globosus. Diameter = 52 lin. belg., 2 poll. rhen. Pondus = 2 unc. 7 dr. 1 scr.

MCXVIII. Calculus ovalis, complanatus, dissectus, extremo altero obtusiore; alterius partis nonnullae lamellae a se invicem separatae, atque diffractae sunt. Longit. = 43 lin. belg., 1 poll. 8 lin. rhen. Latit. = 37 lin. belg., 1 poll. 5 lin. rhen. Pondus = 1 unc. 1 dr.

Ex acido urico et phosphatibus terrestribus distinctis.

MCXIX. Calculus globosus, valde tuberculatus, dissectus. Diameter = 50 lin. belg., 1 poll. 11 lin. rhen. Pondus = 2 unc. 5 dr. 34 gr.

Ex urate ammoniae cum crusta ex phosphatibus terrestribus distinctis.

MCXX. Calculus globosus, sed parum complanatus, dissectus. Diameter = 58 lin. belg., 2 poll. 3 lin. rhen. Pondus = 2 unc. 5 dr. 2 β scr.

MCXXI. Calculi duo, alter major oblongus, parum complanatus, dissectus; crusta ex phosphatibus terrestribus insignis est. (Conf. N°. L). Longit. = 76 lin. belg. 2 poll. 11 lin. rhen. Latit. = 52 lin. belg., 2 poll. rhen. Pondus = 3 unc. 6 dr. 1 β scr. Alter minor oblongus, ab una parte excavatus, ab altera convexus. Longit. = 39 lin. belg., 1 poll. 6 lin. rhen. Latit. = 26 lin. belg., 1 poll. rhen. Pondus = 3 dr. 2 scr.

MCXXII. Calculus oblongus ab uno latere convexus, ab altero complanatus, dissectus. Longit. = 41 lin. belg., 1 poll. 7 lin. rhen. Latit. = 26 lin. belg., 1 poll. rhen. Pondus = 4 dr. 25 gr.

MCXXIII. Calculi oblongi pars dimidia. Longit. = 32 lin. belg., 1 poll 3 lin. rhen. Latit. = 20 lin. belg., 9 lin. rhen. Pondus = 1 dr. 2 scr.

MCXXIV. Calculus oblongus dissectus. Longit. = 37 lin. belg., 1 poll. 5 lin. rhen. Latit. = 22 lin. belg., 10 lin. rhen. Pondus = 4 dr. 14 gr.

MCXXV. Calculus oblongus, dissectus. Longit. = 19 lin. belg., 9 lin. rhen. Latit. = 15 lin. belg., 7 lin. rhen. Pondus = 38 gr.

MCXXVI. Calculus oblongus ab exteriore magis tuberculatus, dissectus, ejusdem magnitudinis. Pondus = 49 gr.

MCXXVII. Calculus similis oblongus dissectus. Longit. = 23 lin. belg., 11 lin. rhen. Latit. = 20 lin. belg., 9 lin. rhen. Pondus = 1 dr. 2 scr. 15 gr.

Ex urate ammoniae et oxalate calcis.

MCXXVIII. Calculus dissectus, asper. Longit. = 26 lin. belg., 1 poll. rhen. Latit. = 19 lin. belg., 9 lin. rhen. Pondus = 1 β dr.

Ex urate ammoniae, phosphate calcis et oxalate calcis.

MCXXIX. Calculus dissectus, asper. Nucleus satis magnus constat ex urate ammoniae, sequitur dein stratum ex phosphate calcis, atque externa crusta est ex oxalate calcis. Longit. = 39 lin. belg., 1 poll. 6 lin. rhen. Latit. = 30 lin. belg., 1 poll. 2 lin. rhen. Pondus = 6 dr. β scr.

MCXXX. Calculus oblongus, ab utroque latere compressus, dissectus; nucleus constat ex urate ammoniae, hic circumdatur oxalate calcis, atque dein insignis est crusta ex phosphate calcis. Longit. = 46 lin. belg., 1 poll. 9 lin. rhen. Latit. = 35 lin. belg., 1 poll. 4 lin. rhen. Pondus = 1 unc. 1 dr. β scr.

MCXXXI. Calculus globosus complanatus, dissectus, simili ratione compositus. Longit. = 66 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen. Latit. = 59 lin. belg., 2 poll. 3 lin. rhen. Pondus = 3 unc. 7 dr. β scr.

MCXXXII. Calculus simili ratione compositus, oblongo-globosus, dissectus, crusta externa tenuior est, hinc totus est tuberculatus. Longit. = 39 lin. belg., 1 poll. 6 lin. rhen. Latit. = 30 lin. belg., 1 poll. 2 lin. rhen. Pondus = 5 dr. 2 scr. 15 gr.

Ex urate ammoniae et phosphatibus terrestribus intime mixtis.

MCXXXIII. Calculus oblongus, dissectus. Longit. = 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen. Latit. = 46 lin. belg., 1 poll. 9 lin. rhen. Pondus = 2 unc. 6 β dr.

MCXXXIV. Calculus similis dissectus, ex Equo, ut ei inscriptum est. Longit. = 72 lin. belg., 2 poll. 9 lin. rhen. Latit. = 50 lin. belg., 1 poll. 11 lin. rhen. Pondus = 3 unc. 6 dr. β scr.

MCXXXV. Fragmenta duo calculi oblongo-globosi.

MCXXXVI. Calculus oblongus, atque ab uno latere complanatus, longitudinaliter dissectus. Longit. = 48 lin. belg., 1 poll. 10 lin. rhen. Latit. = 37 lin. belg., 1 poll. 5 lin. rhen. Pondus = 1 unc. 2 dr. 2β scr.

MCXXXVII. Calculus quodammodo triangularis, dissectus. Longit. = 52 lin. belg., 2 poll. rhen. Latit. = 37 lin. belg., 1 poll. 5 lin. rhen. Pondus = 1 unc. 2 dr. 2β scr.

MCXXXVIII. Calculus similis dissectus. Longit. = 35 lin. belg., 1 poll. 4 lin. rhen. Latit. = 20 lin. belg., 9 lin. rhen. Pondus = 2 dr. 14 gr.

Ex urate ammoniae et phosphatibus terrestribus mixtis cum phosphate ammon. magnes. crystallisata.

MCXXXIX. Calculus oblongus, dissectus, ab exteriore crystallis perfectis obductus. Longit. = 32 lin. belg., 1 poll. 3 lin. rhen. Latit. = 26 lin. belg., 1 poll. rhen. Pondus = 2 dr. β scr.

Ex phosphate calcis et ammoniae magnesino.

MCXL. Calculus oblongus, dissectus, ab exteriore glaber. Longit. = 32 lin. belg., 1 poll. 3 lin. rhen. Latit. = 24 lin. belg. 11 lin. rhen. Pondus = 2 dr. 2 scr.

MCXLI. Calculus oblongo-triangularis, dissectus. Longit. = 46 lin. belg., 1 poll. 9 lin. rhen. Latit. = 26 lin. belg. 1 poll. rhen. Pondus = 3 dr. 2 scr. 14 gr.

MCXLII. Calculus oblongus, compressus, dissectus. Longit. = 26 lin. belg., 1 poll. rhen. Latit. = 19 lin. belg., 9 lin. rhen. Pondus = 1 dr. 13 gr.

MCXLIII. Calculus figurae valde irregularis, ex frustis diversae magnitudinis compositus, ex juvene rustico, qui difficili excretione urinae laborans culmo stramineo saepius tentaverat urinam evacuare; licet vero hic saepius defrangeretur, operationem simili modo tamen repetabat usque dum urinam evacuaret. Defracti illi culmi nucleum calculi formarunt, ut optime adhuc apparet in ipso calculo. Pondus = 7 dr.

MCXLIV. Calculus oblongus, pro parte crusta externa orbatus. Longit. = 32 lin. belg., 1 poll. 3 lin. rhen. Pondus = 2 dr. 5 gr.

MCXLV. Calculus complanatus, ab una parte sinuatus, dissectus. Longit. = 32 lin. belg., 1 poll. 3 lin. rhen. Latit. = 26 lin. belg., 1 poll. rhen. Pondus = 2 dr. 1 scr.

MCXLVI. Fragmenta calculi.

Ex oxalate calcis.

MCXLVII. Calculus prominentiis valde elongatis instructus, dissectus. Diameter = 28 lin. belg., 1 poll. 1 lin. rhen. Pondus = 6 dr. 1 scr. 5 gr.

Ex

Ex oxalate calcis cum crusta ex phosphatibus terrestribus.

MCXLVIII. Calculus globosus, parum tuberculatus, dissectus. Diameter = 28 lin. belg., 1 poll. 1 lin. rhen. Pondus = 3 dr. 1 scr.

MCXLIX. Calculus moriformis dissectus. Diameter = 44 lin. belg., 1 poll. 8 lin. rhen. Pondus = 2 unc.

MCL. Calculus oblongus, moriformis; calculus hic ab exteriore salibus phosphatibus terrestribus obductus, primo ovalis fuit formae, dein vero ab una parte portio major ex phosphatibus salibus accessit, cujus ope vesicae urinae procul dubio adhaesit, ut ex toto habitu externo apparere videatur. Longit. = 68 lin. belg., 2 poll. 7 lin. rhen. Latit. = 37 lin. belg., 1 poll. 5 lin. rhen. Pondus = 1 unc. 5 dr. 1 scr. 5 gr.

MCLI. Extypon calculi oblongi, a superiore defracti, unde constat, lamellosae fuisse structurae.

MCLII. Extypon calculi oblongi, valde complanati.

MCLIII. Extypon calculi quadrangularis, in multis conveniens cum calculo descripto Vol. 2. Tab. 114. fig. 18 et 19.

MCLIV. Extypon calculi insignis, in una parte contractae, in altera globosae formae.

X

PARS

SUPELLECTILIS

ANATOMICAE

BONNIANAE.

SUPPLEMENTUM
ANATOMICAE
BOERHAVIANAE
X

MEMORIA

SUPPLEMENTUM
ANATOMICAE
BOERHAVIANAE.

PARS
SUPELLECTILIS
ANATOMICAE
BONNIANAE.

MEMORIA
VIRI CLARISSIMI
ANDREAE BONN.

Andreas Bonn Amstelaedami natus est die 12 Junii 1738, Patre Anthonio Bonn, artem pharmaceuticam exercente, atque Matre Hermina van Born. Omni literarum humaniorum cognitione imbutus, quae requiritur ut quis medicis studiis cum fructu se tradere posset, primo in Illustri Athenaeo Amstelaedamensi in studia propaedeutica incubuit, atque primarios in suo genere viros Burmannos, Roëllium, atque Camperum, viros clarissimos, audivit. Haec studia ei ita feliciter cesserunt, ut post aliquod tempus Lugdunum-Batavorum profectus, per plures annos non tantum omni cum assiduitate lectionibus adstiterit utriusque Albini, in Anatomicis, Physiologicis, Chirurgicis, Adriani van Royen in Botanicis, atque Practicis, nec non Hieronymi Gaubii in Chemicis, et Pathologicis, sed summorum horum virorum doctrinam in succum et sanguinem vertens, praeceptorum amicitiam, atque existimationem obtinuerit, et meruerit. Ab omni tempore pro certo habens, Anatomiam certissimum esse fundamentum amplissimae disciplinae medicae, hanc partem omni cum assiduitate semper excoluit, amavitque; nec tamen minus diligens fuit in reliquis Artis Apollinae partibus, inprimis eae, quae artem medendi spectant ei curae cordique erant, adeo ut post-

quam studia explevisset, peritiaeque specimina exhibuisset, omni cum laude candidatorum numero fuerit adscriptus, atque Facultas Medica non dubitaverit eum quondam in humani generis commodum medicinam exerciturum fore. Publice itaque defensa, die 14 Octobris anni 1763, dissertatione inaugurali *de continuationibus membranarum*, medicinae doctor creatus est a Clarissimo BERNARDO SIEGFRIEDO ALBINO. Hac dissertatione summi anatomici, et physiologi dignissimum discipulum se praestitit. Ab omni enim parte elaborata, magna perspicuitate conscripta, haec dissertatio probat virum juvenem Anatomiam, subtiliorem etiam omni cum dexteritate exercuisse, inprimis illas partes de quarum structura auctores inter se dissentiebant, penitus examinavisse, dubia plura revelasse, et ei jam plura innotuisse, quae, post seriem annorum, ab aliis Anatomicis, tanquam nova inventa celebrata sunt (1). Minime itaque mirandum ejus contemporaneum Celebrem HENR. AUGUST. WRISBERG, auctores commemorantem, qui in hac parte Anatomiae desudarunt, testatum fuisse, „omnibus palmam praeripere Ill. „BONN, Amstelaedamensem, diligentem et ingeniosum incisorem, qui in juve„nili equidem aetate, masculo et maturo opere multum lucis sparsit" (2); atque auctores Commentariorum Lipsiensium hanc dissertationem omni laude dignam censuisse, ejusque praestantiam, auctorisque studium demonstrasse (3). Neque Cl. Pater socio olim suo omnem, quae ei competebat laudem denegare voluit, verum inter opuscula Academica, aliaque selectissima ab eo edita, hanc dissertationem etiam recudi curavit (4).

Quamvis omni studio, quod medicinae doctorem exornat, atque praeclarum doctorem practicum praesagit, imbutus, non inconsultum judicabat etiam extraneorum scholas frequentare; Lutetiam Parisiorum se contulit atque per integrum annum expertissimos viros LEVRET, LORRY, SABATIER, DE LA FAYE, PETIT, LOUIS docentes audivit. Summi hi in suo quisque doctrinae genere viri, eo tempore ornabant Academiam Parisiensem, ita ut illorum fama allecti, huc ex omnibus fere Europae regionibus confluerent, qui verum medicinae studium addiscere cupiebant. Eodem tempore ex sociis inter alios hic praesentes invenit HENR. VINK, et NICOLAUM PARADYS; atque praeterea WRISBERG, RICHTER, KOLPYN, WINTERSOHN, SIEBOLD, aliosque, cum quibus intimam amicitiam inivit, et dein commercium literarium coluit. Pro more summa cum diligentia Professorum lectionibus, operationibus, omnibusque eorum exercitiis practicis in

(1) RICHERAND, *Reflexions critiques sur un Ouvrage, ayant pour titre: Traité des membranes, etc.* par X. BICHAT.

(2) *Sylloge commentationum Anatomicarum.* Götting. 1786. 4to. pag. 19.

(3) *Comment. de rebus in scientia naturali et medicina gestis.* Lipsiae 1766. vol. 13. pag. 113.

(4) EDUARDI SANDIFORT, *Thesaurus Dissertationum, programmatum, aliorumque opusculorum selectissimorum.* Vol. 2. Rotterodam. 1769. 4to.

in nosocomiis interfuit, et ex uberrima hoc fonte summam sibi hausit utilitatem.

In patriam nimirum redux Amstelaedami praxin medicam exercuit, atque omni prudentia, et benevolentia erga aegrotos pauperes, nec non peritiae celebritate brevi tantam laudem, inprimis in ea medicinae parte, quae manuum ope curat, obtinuit, ut saepius consilium habuerit cum peritissimis etiam chirurgis, quamvis nonnulli, summi ALBINI, CAMPERI aliorumque discipuli, chirurgiam felicissimo cum successu exercerent.

Haec tamen medicinae pars eo tempore adhuc nostra in patria a multis maxime vituperata, et ab iis qui barbam tondebant etiam exercitata, omnium rationalium medicorum summam requirebat curam. Ardore juvenili itaque incensus BONNIUS noster, hanc partem, CAMPERI exemplo, exornare, atque in aegrotantium commodum magis magisque perficere tentabat. Neque irrita fuisse ejus conamina ex sequentibus patebit. Anno nimirum 1771 occasio se offerebat huic consilio exsequendo, omnium una faustissima. Mortuo enim FOLKERTO SNIP, V. Cl., Anatomiae atque Chirurgiae Professore, Illustres Civitatis Amstelaedamensis Consules, Athenaeique Curatores eum solum dignum judicarunt, cui provinciam Anatomen atque Chirurgiam in eo docendi demandarent.

Quamvis gravitatis muneris conscius, suscepit hanc sibi demandatam provinciam, eamque professionem auspicatus est, habita die 16 Decembris 1771 Oratione de *simplicitate naturae*, *Anatomicorum admiratione*, *Chirurgorum imitatione dignissima*, quae typis expressa est. Eodem tempore a Collegio Chirurgorum in eum deferebatur munus habendi lectiones publicas in Anatomia, Chirurgia, atque Arte Obstetricia in theatro Anatomico, atque lectiones in usum obstetricum, eique Magistratus demandabat praesidium, quoties lithotomia instituerentur, ut hoc antea jam ab anno 1728 speciatim Professoribus Chirurgiae demandatum fuerat.

Hoc munere ei campus patebat amplissimus ut artem chirurgicam magis magisque exornare tentaret; indefesso labore corporis humani fabricam penitus explorabat, ejusque cognitionem tanquam firmissimum fundamentum totius medicinae, sed praeprimis chirurgiae quotidie discipulis commendabat, neque ullam praetermittebat occasionem demonstratione Anatomico-chirurgica, aut expositione casus rarioris, vel sectione cadaveris hoc vel illo singulari morbo affecti, necessitatem atque dignitatem hujus artis auditoribus demonstrandi. Hac vera docendi methodo non tantum frequentia discipulorum quotidie augebatur, sed in lectionibus illis publicis etiam chirurgis occasio offerebatur, in memoriam continuo revocandi omnia artis fundamenta, et Anatomen pathologicam exercendi; quae certe occasio nostra in patria nunquam uberior esse potuit quam in civitate Amstelaedamensi. Chirurgi itaque summae utilitatis censebant hisce demonstrationibus interesse, easque sua praesentia exornabant. Sic ergo scholam Ana-

tomico-chirurgicam fundavit, ex qua tot prodierunt discipuli, qui ipsi artem in generis humani commodum, omni cum laude, exercuerunt, et adhucdum exercent.

Mortuo anno 1787 JOANNE MONNIKHOFF, qui artem chirurgicam exercens inprimis singularem curandis herniis dederat operam, et insignem peculii partem testamento legaverat, quo quaestiones, inprimis herniarum doctrinam spectantes quotannis proponerentur, victoresque nummo aureo condonarentur; ex voto defuncti BONNIUS noster, cum tribus aliis viris, ex Poliatris, Chirurgis urbanis et sociis collegii chirurgici eligendis, testamenti interpres designabatur (5). Licet in munere exornando valde esset occupatus, atque praeterea nunquam auxilium negaret aegris, qui illud implorabant, praesertim si talibus vexarentur morbis, qui ad chirurgiae forum pertinerent, dum alii, datis literis, ad quas responderi oportebat, consilium ipsius expetebant, tamen hujus testamenti curam suscepit, omnique diligentia ad ultimum vitae terminum sustinuit, et ad mentem legatoris cum reliquis curatoribus tot proposuit quaestiones, illasque ordine perpetuo ad hujus disciplinae chirurgicae partem ita ordinavit, ut ipsae responsiones fere absolutam herniarum doctrinam, quatenus hoc tempore comparari possit, continerent, quare etiam hocce disciplinae argumento fere exhausto ex alia, nec minus utili scientiae parte alias proposuerunt quaestiones (6).

Insequente anno 1789 nominabatur Inspector Collegii Medici, quo officio omni cum sedulitate perfunctus est, usque dum anno 1796 collegio illo dissoluto, aliud ejus loco substituebatur, et quamvis a Magistratibus denuo sociis illius collegii adscriptus esset, tamen ab justas rationes ei muneri renuntiavit.

Saepius animo recordans artem chirurgicam nostra in patria nondum eam acquisivisse perfectionem, qua jure suo gloriabantur aliae nationes, sibi proposuit institutionis alicujus publicae fundationem, qua minus peritis occasio offerretur artem chirurgicam meliori modo addiscendi, eamque magis rationaliter exercendi. Uni vero homini vasti ejusmodi aedificii erectio, grave nimis erat onus, sed ad hoc stabiliendum plurium in arte consummatorum virorum concursus, et unio requirebatur. Jam per viginti annos exstabat societas quaedam aliquot Chirurgorum Amstelaedamensium, qui omnes summi CAMPERI discipuli dignissimi, atque nomine celebres, amicitiae vinculo juncti, subinde conveniebant, ut quisque sua observata in artis emolumentum communicaret. His omnibus, vero literarum et artis chirurgicae amore ductis, praeëunte BONNIO, unum erat desiderium non tantum sibi, sed omnibus chirurgis per universam patriam dispersis prodesse, artemque ampliare, ornare. Data itaque opportunitate expertissimi viri BONN, LABEE, SWAGERMAN, MARTENS, VAN GESSCHER, HUSSEM,

DE

(5) Verhand. bekroond met den prijs van het Legaat van J. MONNIKHOFF. Amst. 1797. D. 1. in proleg.
(6) Nieuwe Verhand. bekroond met den prijs van het legaat van J. MONNIKHOFF, Amst. 1811. in 8vo.

DE BREE, et KRIEGER societatem Chirurgicam Amstelaedamensem, hodie adhuc vigentem, sub praesidio Professoris Anatomes, Chirurgiae atque artis obstetriciae constituebant, cujus tutela Consulibus atque Senatoribus Amstelaedamensibus, viris amplissimis, commendabatur, et ab iis humanissime accipiebatur.

Consilium hujus societatis erat theoreticam atque practicam chirurgiae partem in patria perficere, et inter chirurgos Batavos amplificare. Minime itaque mirandum, mox omnes in arte chirurgica celebres, atque expertissimos viros lubenter voto fundatorum satisfecisse, atque oblatum sodalitium suscepisse, ea lege atque conditione, ut singuli commentationes, vel observationes majoris momenti, ut totidem artis praecepta, ratione et experientia comprobata, conferrent, vel talia proponerent, quae ad exornandam atque amplificandam artem concurrere possent; quae omnia Belgica lingua conscripta, cura societatis typis exprimerentur et divulgarentur. Neque hic substitit hujus societatis cura, verum simul statuebat quotannis quaestionem quandam argumenti gravioris, neque satis cogniti, ex theoretica vel practica parte chirurgiae, vel artis obstetriciae Chirurgis Batavis proponere, atque commentationem, quaestionem rite solventem, nummo aureo condecorare.

Fundata hac societate mox socii bene multi certatim quasi vel commentationes, vel observationes offerebant, atque primo anno praeterlapso, die 5 Septembris 1790 Cl. BONN, societatis praeses, in primo omnium sociorum conventu Orationem habuit *de fatis chirurgiae, atque utilitate ex societate chirurgicâ Amstelaedamo fundata ad artem illam amplificandam, expectanda* (7).

Hic in memoriam revocare, aut hujus societatis laudare labores, e quibus in artis et studii chirurgici usum atque commodum haud pauci redundarunt fructus, necesse non erit, cuique enim, qui in arte medica non plane rudis est, haec omnia satis sunt cognita et perspecta, atque apparent ex commentationibus, observationibus, nec non dissertationibus praemio ornatis, a societate cum erudito orbe communicatis. Videamus potius quid ipse Praeses praestiterit.

Postquam anno 1774 in puero aliquot dies nato, atque dein tertium annum agente, fissuram penis atque urethrae viderat (8); et anno 1776 in puero recens nato plenariam inversionem, atque prolapsum vesicae urinariae cum fissura pe-

(7) *Over de lotgevallen der Heelkunst, en de voordeelen die een Genootschap ter bevordering van dezelve kan toebrengen.* Haec oratio, nec non omnia quae ad fundationem hujus societatis pertinent, leguntur in prolegomenis voluminis primi scriptorum hujus societatis. Verhandelingen van het Genootschap tot bevordering der Heelkunde te Amsterdam, in 8vo. Amsterd. 1791.

(8) Conf. A. DE BOSSON, *Verhand. over eene binnenst-buiten gekeerde, en buiten het ligchaam geplaatste opene pisblaas in een eerstgebooren vrouwelijk kind.* Verhandelingen der Hollandsche Maatschappij der Wetenschappen te Haarlem, XIX. Deel 1. Stuk, pag. 323.

penis atque urethrae observaverat (9); anno 1777 similem casum in puella conspexerat, ejusque cadaver, postquam 27 die post nativitatem e vita discessisset, dissecaverat (10); eodemque anno ei occasio obtigerat cadaver pueri, aetatis trium annorum cum dimidio, anno 1774 jam observati, cultro anatomico subjiciendi (11), et quam sectionem cadaveris dein ipse descripsit, et figuris illustravit (12); et dein anno 1781 in viro rursus similem casum, cum sequente convenientem, examinaverat (13), in Theatro Anatomico publicam habuit demonstrationem in qua juvenem, 11 annorum (M. Ussem, ex Colonia Agrippina), tali vitio congenito inversionis et prolapsus vesicae urinariae laborantem exhibuit, ejusque vitium anatomice explicavit. Quinquies jam intra spatium octo annorum in diversis subjectis, ac in omni fere aetate vitio hoc observato, atque bis cultro anatomico examinato, dissertationem conscripsit lingua belgica de *peculiari monstrosoque vitio vesicae urinariae, ac partium genitalium* (14), in qua praemissa succinta descriptione partium systematis uropoiëtici in homine atque nonnullis animalibus, primo observationes commemorat diversorum Auctorum circa vitia connata, huc spectantia, et dein exactissime describit ipsum vitium prout hoc se in dicto juvene manifestabat, referens porro dissectiones in cadavere coram medicis, chirurgis, caeterisque auditoribus publice institutas, ad originem, veramque naturam hujus vitii probandam, et ad sententias auctorum vel refutandum vel probandum. Dein anno 1790 ejusdem juvenis, nunc 20 annos nati vitium ulterius descripsit (15).

Vitium quod, proh dolor! ab eo nunc saepius erat examinatum, et cujus frequentia tot auctorum observationibus jam erat demonstrata, sed cujus causae atque natura nondum penitus erant cognitae summi viri attentionem magis et magis determinavit. Collatis ergo omnibus casibus ab auctoribus descriptis, vel cum eo communicatis, nec prelo eo usque divulgatis, ut et ab eo observatis; nec non perpensis sententiis virorum clarissimorum de vitio M. Ussem, qui totius fere Europae medicinae ac chirurgiae cultoribus se spectandum et examinandum obtulerat; institutisque sectionibus pluribus in cadaveribus, ut constaret quid in tali vitio proprie locum habeat, et qua ratione differre, sive complicari possit, tandem-

(9) Ibidem, pag. 326. (10) Ibidem, pag. 313. (11) Ibidem, pag. 327.

(12) Ibidem, Deel XXI. pag. 135.

(13) Hunc casum descripserunt J. Veltkamp, *Beschrijving der tegennatuurlijke teeldeelen van een manspersoon.* Zie Verh. der Holl. Maatschappij der Wetenschappen te Haarlem, Deel XII. tweede gedeelte, pag. 135. Stolte, *Beschrijving der wanschapene teeldeelen en waterwegen van een man, en eens werktuigs, dienende om de pis op te vangen enz.* Zwolle 1770. in 8vo.

(14) *Verhand. over eene bijzondere wanschapenheid der pisblaas en teeldeelen*, in het Genees- natuur- en huishoudkundig Kabinet; uitgegeven door J. Voegen van Engelen, D. 3. pag. 1. Leyden 1782. 8vo.

(15) *Nadere beschrijving eener zamengestelde wanschapenheid van* M. Ussem, Amst. 1790. in 8vo.

demque attentione collocata circa omnes degenerationes, sive ex mala conformatione, sive ex morbosa conditione vesicae urinariae, atque membri virilis, inprimis in foetu, et infante nato, ei visum fuit causam generalem diversarum deformitatum harum partium quaeri posse in accumulatione morbosa urinae in foetu, ex mala conformata et occlusa urethra. Quae omnia egregie pertractavit, atque enucleavit in dissertatione continente annotationes Anatomico-chirurgicas, nec non indagationem causae generalis diversorum vitiorum monstrosorum vesicae urinariae, atque penis; cui subjunxit descriptionem, atque delineationem similis casus, complicati cum hernia umbilicali, ex juvene 13 annorum, qualis complicatio a nemine antea observata fuerat (16). Hac dissertatione, volumini primo dissertationum Societatis Chirurgicae Amstelaedamensis inserta, ex sententia Viri Clarissimi (17), quam lubens et meam facio, singulare hoc vitium multum illustravit, atque suis animadversionibus, et sectionibus attentionem Anatomicorum in hanc rem magis fixit, et ad ulteriorem perscrutationem incitavit.

Hoc vitium ad ultimum fere vitae terminum Viri Clarissimi animum saepius occupavit, atque tandem anno 1816 ei contigit, quod frustra diu optaverat, hanc deformitatem in viro adulto post mortem examinare, quem casum, ab expertissimo A. VAN EPENHUYZEN viro Cl. BONN exhibitum cum erudito orbe etiam communicavit, atque praeparatum in suo thesauro Anatomico asservavit (11).

Inter easdem illas dissertationes commemoravit relationem Herniae inguinalis, suppuratae, quam insecutus fuit anus artificialis cum symptomatibus gravissimis, sed feliciter sanatis, cum eo communicatam a Chirurgo P. WESTINGH; cui relationi superaddidit tres annotationes anatomicas, ad nonnulla symptomata hujus morbi, per se obscura, facilius explicanda (19).

Volumini secundo inseruit dissertationem absolutissimam de Ischuria vera, atque punctura vesicae tam in genere, quam in specie de ea, quae supra ossa pubis fit. In qua dissertatione postquam anatomice partes, morbo affectas, et qua-

(16) *Ontleed- en heelkundige Aanmerkingen en onderzoek eener algemeene oorzaak van verschillende wanstaltigheden der roede en pisblaas*, door A. BONN. Verhand. van het Genootschap ter bevordering der Heelkunde te Amsterdam; ibidem 1791. D. 1. p. 147. in 8vo.

(17) G. VROLIK, *Verhand. over het buitenleggen van den achterwand der Pisblaas enz.* Verhand. der eerste Klasse van het Koninkl. Nederl. Instituut van Wetenschappen te Amsterdam, ibidem 1816. Deel 2. pag. 88. in 4to.

(18) *Het aangeboren blaasgebrek, en dat der roede eens bejaarden Mans, waargenomen en na den dood ontleed door* A. VAN EPENHUYZEN, *nader onderzocht en medegedeeld door* A. BONN. Nieuwe Verhand. van het Genootschap ter bevordering der Heelkunde te Amsterdam, ibidem 1819. 5. Deel, 2. Stuk, pag. 1.

(19) P. WESTINGH, *Berigt wegens eene verzworene Liesbreuk, gevolgd van een kunstigen aars, en zware, maar gelukkig geredde, toevallen derzelven.* Medegedeeld door A. BONN. Verh. van het Genootschap ter bevordering der Heelkunde, Deel I. p. 206.

quarum cognitio omnino requiritur ad operationes requisitas rite instituendas, consideravit, agit de causis hujus morbi in diversa aetate, diversoque sexu, atque dein catheterismum tantum in transitu pertractans, ample describit diversas methodos puncturam vesicae peragendi, sed inprimis eam, quae supra ossa pubis institui solet, ab omni parte commendat, ejusque prae aliis praestantiam observationibus confirmat (20).

In volumine tertio descripsit foetum monstrosum, sex mensium, eodem partu editum cum duobus foetubus maturis, atque bene conformatis. In hoc foetu, ex duobus artubus inferioribus, atque specie pelvis constante, sicque ad Acephalos veros pertinente, sola ossa innominata pelvim componebant, deficiente etiam parte infima spinae dorsi, atque medulla spinali; in hac capacitate sola intestina crassa inveniebantur, atque partes genitales valde erant dubiae. Quod vero omnium maxime mirandum, funis umbilicalis, longitudinis 7 poll. rhen. abdomini huic inperfectiori adhaerens, duo vasa continens, coeco fine terminabatur, dum a parte placentae nullum supererat indicium adfuisse tertium funem umbilicalem. Ex observationibus aliorum, licet inter rarissimas pertinentibus, deducit, fieri posse sensim sensimque funem umbilicalem extenuari, atque tandem abrumpi, cum obliteratione vasorum, adeo ut minime necesse sit ad aliam nutritionem, et quidem per liquorem amnii recurrere. Postquam sententias nonnullorum auctorum de causis conformationum monstrosarum enumeravit, evolutionemque foetus in statu naturali exposuit, indicat quali forte modo, inpedita evolutio huic, et similibus aberrationibus a conformatione naturali ansam dare valeat (21).

Anno 1799 ad juvenem 21 annorum, habitus corporis robusti, vocabatur, qui ex saltu infelici luxatione femoris sinistri ex acetabulo laborabat, et cujus repositio incassum a peritissimo chirurgo Hussem solito modo pridie tentata fuerat. Intellectis iis, quae huic luxationi ansam dederant, iisque comparatis cum symptomatibus, in aegrotante obviis, ei, ut et caeteris praesentibus Chirurgis manifestum erat, caput ossis femoris infra acetabulum inpositum esse ossi ischio. Solita reductione incassum adhibita, ex decubitu aegrotantis, supino cum genu sinistro ad angulum rectum versus abdomen elevato, atque calce pedis femori appresso, dum pede suo, sub angulo obtuso extenso, lecto innitebatur, quo situ omnis fere evitabatur dolor, atque ex anatomica cognitione partium proponebat in

(20) *Ontleed- en Heelkundige Aanmerkingen over de pisopstopping en den blaassteek in het algemeen, en dien boven de schaambeens-vereeniging in het bijzonder*, door A. Bonn. Ibidem, Deel 2. pag. 223.

(21) *Ontleedkundige beschrijving en aanmerkingen over het maaksel, en de voeding eener zeldzame en wanstaltige menschelijke vrucht, als van zes maanden dragts, ten zelfde tijde nevens twee voldragene welgemaakte kinderen geboren.* Ibidem Deel 3. pag. 123.

in sedente aegrotante repositionem tentare. Collocato itaque aegro in sedili, simili fere modo, quo lecto incubuerat, fascia lata juxta pubem et ossa ilia retrorsum applicabatur, et a duobus adstantibus retinebatur; alia fascia circumdabatur femur circa inguen, atque ab alio adjutore sustinebatur circa trochanterem; tertia fascia in formam ansae femori supra genu applicata, et ab utroque latere genu retenta a duobus adjutoribus, femoris extensioni inservire debebat, dum tandem chirurgus a latere dextro aegri positus erat, ut, si necesse foret, genu sinistrum versus latus sanum verteret, eo momento quo Cl. Bonn a sinistro collocatus, durante extensione superiorem femoris partem sursum dirigeret. Omnibus hisce rite dispositis, aeger manubus suis innitebatur sedili, adeo ut se elevare non posset; pelvis sine ulla difficultate retinebatur; lenta ac facilis extensio sufficiebat cum exigua elevatione extrorsum partis superioris femoris, ad situm capitis mutandum, quo caput facile et cum impulsu, qui ab omnibus non tantum percipiebatur, sed audiebatur, juxta marginem inferiorem acetabulum intrabat. Ipse aegrotus absque ullo fere dolore solum impulsum perceperat; omnia symptomata mox erant fugata, et crus sinistrum cum crure sani lateris conveniebat, ita ut aeger sub debita fasciatione atque cura medica, die 25 post institutam restitutionem sanatus, absque ullo auxilio ambularet. Hunc casum cum tota luxationem restituendi ratione exacte admodum descripsit, atque ex cognita structura partium explicuit, superaddiditque annotationes circa situm et decursum capitis femoris, nec non ossium cruris in diversis luxationibus femoris, atque solutionem eorum, quae in casu dato obscura videbantur, omniaque figuris illustravit (22).

Nova haec proposita methodus femur luxatum restituendi ansam praebebat expertissimis chirurgis in similibus, aliisque casibus, ubi ipsa restitutio antiquo modo non ex voto succedebat, juxta praescriptam a Cl. Bonn methodum experimenta instituendi, quae successu minime carebant. Sic expertissimus J. Martens anno 1801, incassum adhibitis aliis methodis, in foemina 22 annorum luxationem femoris dextri retrorsum sursumque, juxta hanc methodum, feliciter restituit, quem casum illustratum annotationibus Anatomico-chirurgicis ad penitiorem cognitionem luxationum femoris, earumque restituendi modum, cum literato orbe communicavit Cl. Bonn (23). Dein expertissimus J. Flietner anno 1803 luxatio-

(22) *Waarneming eener benedenwaardsche ontwrichting van het linker Dijebeen, en derzelver herstelling op eene nieuwe en gemakkelijke wijze: beide met ontleedkundige aanmerkingen, en gevolgtrekkingen opgehelderd door* A. Bonn. Ibidem, Deel 5. pag. 273.

(23) *Waarneming eener onmiddelijke achter-bovenwaardsche ontwrichting van het rechter Dijebeen; met herstelling derzelve, in eene zittende houding der lijderesse, door* J. Martens, *medegedeeld, en ontleedkundig opgehelderd door* A. Bonn. Ibidem, Deel 7. pag. 202.

tionem femoris sinistri deorsum et retrorsum, in viro 58 annos nato; G. J. VAN WY anno 1805 luxationem femoris deorsum in infante 3½ annorum, atque J. DE JONGE anno 1806 in puero 10 annorum luxationem femoris dextri retrorsum atque extrorsum, in situ sedente aegrotantis feliciter, et facile restituebant; qui casus, ut exempla praestantiae methodi propositae, cum Cl. BONN ab auctoribus communicati, a Viro Cl. inter observationes Societatis chirurgicae sunt recusi (24).

Ex his breviter enarratis satis mihi patere videtur, Virum Clarissimum multa contulisse, ut proposito consilio satisfaceret ab eo fundata Societas Chirurgica, cujus praesidium omni cum vigore ad ultimum vitae terminum gessit. Quid itaque mirandum, sodales venerando seni, anno 1815 in conventu publico natalem vigesimum quintum societatis celebrantes, conditori, hujus propositi inscio, nummum aureum obtulisse.

Sed praeter haec scripta plura ejus prostant, quae ab omnibus avide accepta, atque viro dignissima judicata sunt.

Prima vice anno 1771 lectiones obstetricias habiturus, occasio se offerebat cadaver demonstrandi foeminae 30 annorum, quae, ut proferebat, nono graviditatis mense in nosocomium recepta erat, adversa valetudine jam debilitata, paulo post pleno ventre, febre recrudescente, sub doloribus ad partum moriebatur, quamvis non nisi de difficiliori urinae excretione conquesta fuerat, quae sub ipsis doloribus in incontinentiam urinae, atque stranguriam mutata erat. Sectione cadaveris constabat retroversione uteri fere plenariam retentionem urinae fuisse productam, qua vesica ad umbilicum usque distenta, atque uteri fundus intra pelvim minorem, inter vaginam et intestinum rectum incuneatus fuerat, solum caput foetus 5 vel 6 mensium recondens, dum anterior cervicis uteri pars, valde evoluta intra pelvim majorem, abdominisque capacitatem prominebat, atque truncum cum artubus foetus recondebat, inserta placenta partim fundo, partim anteriori parieti uteri. Hunc casum eo tempore ansam praebuisse diversis, utilissimisque annotationibus Anatomico-obstetriciis, nec non practicis, quis dubitabit. Hanc observationem certe rarissimam, et cum ea, quam Cl. G. VAN DOEVEVEN antea observaverat, variis modis convenientem, in artis emolumentum dein descripsit, atque pro suo more explicuit (25).

Conscripsit dein dissertationem de nonnullis praecipuis causis sterilitatis foeminarum, postquam insequentibus annis in cadaveribus, nec non aliquando in viva foe-

(24) *Drietal waarnemingen van onderscheidene Dije-ontwrichtingen, met eene zittende houding der lijderen, hersteld door* J. FLIETNER, G. J. VAN WY, en J. DE JONGE, *medegedeeld door* A. BONN. Nieuwe Verhand. van het Genootschap ter bevordering der Heelkunde te Amsterdam. Ibidem 1807. in 8vo, Deel 1. p. 266.

(25) *Ontleed- en vroedkundige Waarneming eener aanmerkelijk uitgezette Pisblaas, en omgehogene zwangere Baarmoeder, door* A. BONN. Verhand. van het Zeeuwsch Genootschap der Wetenschappen te Vlissingen. Middelb. 1775. in 8vo. Deel 4, p. 615.

foemina malas conformationes genitalium observaverat, quae omnem conceptum certo certius impedire debent (26).

Quum constans erat ut et hodie est observatio, extra graviditatem inmobilem fere nexum adesse inter ossa pelvis, atque tempore partus haec ossa plus minusve esse mobilia, quin hujus phaenomeni causa ex structura unionis horum ossium ab omni parte perspecta videatur, incitabatur ad fabricam unionis illorum ossium, in diversa aetate, diversoque sexu, in gravidis, atque post partum sectionibus anatomicis penitus examinandam, atque cum Auctorum scriptis de hac materie comparandam. Haec omnia ei ansam praebuerunt conscribendi dissertationem, quae recusa est inter dissertationes Societatis Batavae Philosophiae experimentalis Roterodamensis; in qua probavit nexum ossium pubis in statu naturali, aeque in foeminis quam in viris, non esse synchondrosin, neque verum articulum, sed utrumque os in cartilaginem desinere, atque cohaerere intermedia posita substantia fibroso-cartilaginea; hanc fabricam praeprimis in infantili ac juvenili aetate esse perspicuam, quum pubertatis tempore haec intermedia substantia retrorsum intumescit, et introrsum magis pulposa redditur, magisque convenit cum substantia inter corpora vertebrarum obvia. Ultimo ergo graviditatis tempore majori affluxu humorum haec substantia debet intumescere, atque tumefacta cunei adinstar ossa a se invicem removere; fibrosa ergo substantia jam in antecessum deleta, aut, aliis in casibus, doloribus ad partum disrupta, major vel minor atque oblonga cavitas inter cartilagines post partum praesens detegitur. Ipsam unionem ossis sacri cum ossibus innominatis, tam ex experimentis, quam observationibus aliorum, concludit esse veram, simplicem amphiarthrosin extra graviditatem, quae tempore partus, relaxatis ligamentis, mobilitatem majorem permittit, atque sic concurrit ut foetus durante partu per angustam pelvim facilius transeat, sed simul aliquando post partum vacillantem, ac difficilem incessum provocare debeat (27).

Quovis tempore nullam occasionem praetermittens sectiones cadaverum anatomico-pathologicas instituendi, et in publicum usum vertendi, anno 1781 lectiones publicas habuit de luxatione humeri, occasione sectionis cadaveris hominis provectae aetatis, qui luxato humero inveterato laboraverat, easque lectiones, belgice conscriptas, prelo divulgavit (28). Insequente anno suam cuique laudem at-

(26) *Verhandeling over eenige voorname oorzaken van onvruchtbaarheid in vrouwen, waargenomen door* A. Bonn. Ibidem, Deel 6. bl. 330.

(27) *Verhandeling over het maaksel, en de beweeglijke loswording der Beenvereenigingen van het bekken in vrouwen, omtrent den tijd der bevalling, uit waarnemingen opgemaakt door* A. Bonn, Verhand. van het Bataafsch Genootschap der proefondervindelijke Wijsbegeerte te Rotterdam. Ibidem 1777, in 4to. Deel 3. bl. 251.

(28) *Ontleed- en heelkundig onderzoek der Schouderontwrichting, in drie lessen, gehouden in het Theatrum Anatomicum der stad Amsterdam.* Amsterdam 1781. in 8vo.

atque honorem tribuendi non minus, quàm publicae utilitati inserviendi cupidissimus, dictas illas lectiones in commentationem commutavit, in qua praemissa anatomica atque physiologica consideratione partium, humerum componentium, atque enumeratis sententiis auctorum, inde ab HIPPOCRATE, de chirurgia optime meritorum, de diversis luxati humeri speciebus, allatis observationibus, atque propria experientia probat luxationem *sursum*, fractis scapulae processubus, non posse locum habere, quum vis illata potius deprimit humerum, et M. Deltoïdes fundamento suo, sive puncto fixo orbatus detraheret fragmenta; eodemque sensu *sursum* luxatum dici non mereri, quando humeri caput „tubere se prodit ad „jugulum" (29), sive altius intra axillam adscendit, qualem casum BURGIUS descripsit, in quo „nulla aderat ultra claviculam eminentia" (30). Rarissimas quoque invenit luxationes ab aliis *retrorsum*, ab aliis *extrorsum* dictas, cujus tamen exemplum narrat; idemque verum esse de luxatione *versus inferiora*, quae si primo momento existit, mox mutatur, transeunte, conatubus aegrotorum, capite humeri sub spinam scapulae, versus axillam, vel uti vocant sub M. pectoralem; frequentissime vero observantur luxationes humeri *introrsum* seu *versus interiora*, scapulae et articulo vicina. Ex sectionibus cadaverum hominum luxato humero affectorum, atque ab auctoribus descriptis concludit „marginem interiorem sinus scapulae fractam deficere posse; caput humeri inter M. subscapularem et serratum magnum in ipso axillae cavo rarius; frequentius autem ad radicem cervicis scapulae inter illud os et M. subscapularem, inventum fuisse; et „ultimum hoc semper fieri debere, ubi humerus novam sibi effingit cavitatem, „quod, capite in vero axillae cavo posito, nunquam efficere valeret".

Experimenta in cadaveribus instituta, in quibus luxatione humeri artificiose producta, conamina aegrotantium, in tali momento consueta, imitabantur, semper dicta confirmabant, imo dissectiones illarum partium dein institutae, mutatum situm ossis et musculorum ante oculos ponebant. Ejusmodi experimenta non tantum utilissima sunt censenda ad veram naturam hujus mali demonstrandam, symptomata explicanda, verum etiam ad indicandum qua encheiresi optime restituitur; et hac ex causa hic non tantum ea descripsit, sed etiam saepius in suis demonstrationibus, coram auditoribus repetiit. Ultimo tandem loco diagnosin, prognosin et curationem describit (31).

Non minus ejus peritia chirurgica emicuit iis, quae circa cognitionem atque curandi modum herniarum praestitit; abunde enim haec probatur commercio literario cum Viro Clarissimo M. VAN GEUNS, Medicinae Professore in Aca-de-

(29) A. PAREI Opera, lib. 15. Cap. 20.

(30) *Ephem. Nat. Cur.* Dec. 2. ann. 9. Observ. 155. pag. 285.

(31) *Commentatio de humero luxato.* Lugd. Bat. et Amstelaed. 1782. in 4o. cum tab. aenei.

demia Harderovicensi, anno 1782 habito de singulari specie herniae inguinalis, incarceratae supra annulum, in ipsa abdominis capacitate, et complicata cum hydrocele (32).

Casum in viro juvene a M. van Geuns, V. Cl. observatum, descriptum, et cum Cl. Bonn communicatum legimus, ut ex voto observatoris rarissimum hunc casum anatomice explicaret, atque solveret propositas quaestiones de causa incarcerationis supra locum solitum, de formatione canalis membranacei observati, et de modo, quo in peculiari tali casu operatio foret instituenda. Difficillimum hoc pensum egregie ab omni parte absolvit, aliorumque observationibus illustravit in responso ad Virum Clarissimum dato; quamvis forte hisce diebus, ex penitiori cognitione partium, herniam inguinalem transmittentium, atque ergo minus hypothetica ratione explicari posset. Sed simul ex hoc responso constat ei rite ex observationibus aliorum, et ex visis in cadaveribus, quorum delineationes asservabat, cognitum fuisse aliquando herniam inguinalem, ut hoc in hernia congenita semper obtineat, juxta ligamentum Poupartii descendere ad annulum inguinalem, tumorem oblongum formare, et sic introrsum pellere arteriam epigastricam, eique incumbere; sed aliis in casibus herniam a parte ossium pubis, atque veluti ex profundo, provenire, arteriamque epigastricam extrorsum, sive ad ligamentum Poupartii propellere, ita ut tum ante saccum herniosum ad M. rectum adscendat. Veram itaque causam, quare in illis arteria epigastrica ab interiore parte herniae, et in his ab exteriore latere decurrit, plane percepit et omnino primo explicuit, quamvis non ei, sed aliis haec gloria tributa sit (33). Et haec omnia eo magis confirmata fuissent, si tabulas, herniarum rariorum species delineantes, plurime jam ante 30 annos aere incisas edidisset. Hae tabulae, numero 21, unacum explicatione propria manu Cl. Bonn scripta, post Viri mortem inventae, atque a generosissima vidua mihi traditae sunt, ut eas cum erudito orbe communicarem, cui voto brevi me satisfacturum spero, cum maxime dolendum est plures causas concurrisse, quae ipsam editionem, ipsius auctoris cura, impediverunt. Paratae nimirum sunt, ut partes in herniotomia evitandae rite cognoscantur, cui consilio certe nihil melius inservire valet, quam expositio casuum rariorum; exhibent scilicet delineationes herniarum inguinalium externarum, et

(32) *Waarneming van eene binnen den buik verstropte Darmbreuk, met Waterbreuke vergezeld*, beschreven in eenen brief aan den Heere A. Bonn, door M. van Geuns; en antwoord aan den Heere M. van Geuns, door A. Bonn. Verhand. der Hollandsche Maatschappije der Wetensch. te Haarlem 1782, 20. Deel 2. Stuk pag. 445 en verv.

(33) *Beantwoording der vraag over de Lies- en Dijebreuken*, voorgesteld door Bezorgers van het Legaat van J. Monnikhoff, door F. S. Alexander, waaraan de Goude Medaille in den jare 1820 is toegewezen. Nieuwe Verhand. bekroond met den prijs van het Legaat van J. Monnikhoff, Amsterd. 1821. Deel 3.

et internarum; complicationis herniae femorālis cum insigni hydrocele; herniae scrotalis duplicis, insignis magnitudinis, quarum dextra erat hernia externa intestinum colon, sinistra, hernia interna, intestinum coecum continens, praesente tertia, quae initium constibuebat herniae inguinalis sinistrae externae, et ansam flexurae sigmoïdeae intestini coli continebat; herniae insignis sinistri lateris inguinalis in foemina, continentis pleraque intestina crassa cum caeco intestino, ovario atque utero; stricturae duplicis ansae intestini tenuis intra abdominis cavitatem, a praeternaturali filamento intestinis adhaerente, unde aeger cum omnibus symptomatibus herniae incarceratae obiit, quin extrorsum aliquid morbosi manifestum esset; herniarum umbilicalium, nec non diaphragmatis, in adulto ex laesione costarum, atque in foetu ex vitio connato.

Jacobus Hoviüs ab anno 1736 praxin medicam inter Amstelaedamenses exercens, et morbosas corporis humani partes, inprimis vero ossa morbo affecta, ab illo tempore colligens, anno 1752 inpetraverat veniam, in nosocomio urbano, quod a St. Petro nomen habet, in privatos usus cadavera secandi. Hinc ei optima concedebatur occasio comparandi diversas partes C. H. morbis affectas, ex quibus inprimis ossa collegit et asservavit, quae [ut caeterum locum habere solet, si ex coemeteriis colliguntur,] neque vetustate, neque corruptela exesa, aut depravata sunt. Hinc itaque collectionem acquisivit et splendore, et raritate speciminum non uno nomine insignem.

Egregiam hanc collectionem anno 1772 Collegio Chirurgorum donavit, ea conditione ut debita ratione conservaretur, et a rerum naturalium curiosis conspici posset.

Postquam Cl. Bonn anno 1771 in illustri Athenaeo Amstelaedamensi, Anatomes atque Chirurgiae Professor constitutus erat, una cum aliis viris, chirurgiam inprimis exercentibus, plura communis commodi causa contulit, ut hicce thesaurus magis magisque incresceret. Dein specimina omnia justo ordine collocavit, omniumque exactam descriptionem, cum animadversionibus, atque enumeratione auctorum, qui suis observationibus descriptas partes illustrare possunt, in lucem edidit, et ita hujus thesauri utilissimum exhibuit catalogum (34). Neque fidelis hujus thesauri interpres hic stetit, verum, ut in praefatione promiserat brevi plures edidit accuratissimas, nec non utilissimas tabulas, exhibentes ossa morbosa ex ipso Hoviano, aut proprio thesauro (35); quarum tantum 21 in tribus fasci-

(34) A. Bonn, *Descriptio thesauri ossium morbosorum* Hoviani. Amstelaed. 1783. in 4to.

(35) A. Bonnii *Tabulae ossium morbosorum, praecipue thesauri* Hoviani. Amstelaed. 1785. in fol. Fasciculus primus exhibet specimina vulnerum ac fracturarum cranii, atque maxime faciei, quae non solum rarius obviae, verum ad demonstrandum, quid valeat natura, et quam paucus saepe sufficiat callus. Fasc. 2. demonstrat quomodo varius callus fracturas ossium oblongorum consolidet. Fasc. 3. ante oculos ponit vitiatas vel corruptas ossium partes naturae ope separari, ac solvi a partibus sanis, deperditasque restitui, modo a naturali ossium genesi plane diverso.

fasciculis prodierunt, licet praeterea ingentem numerum delineationum aeri incidi curavisset, quarum divulgationem ab eo tempore in aliud detulit, usque dum tandem morte impeditus fuerit. Descriptioni hujus thesauri addidit dissertationem de callo, in qua bene scripta dissertatione in genere concludit „ naturam calli „ imperfecti membranaceam esse; nascentem carnem representare, dein co„ rium referre, in veram cartilaginem non degenerare, verum ubi induratur, „ naturam membranaceam cum osse commutare, dum os corio succedit; callum „ perfectum organicum partem ossis fieri; aliquando etiam morbosi ossis instar „ totum esse solidum; vel morbo remollescere atque carie dissolvi". Dicta omnia probavit speciminibus citatis ex thesauro HOVIANO, vel propria supellectili Anatomica.

Ad quaestionem a Societate scientiarum Zelandica, quâ inquiritur in modum unionis omnium doctarum Societatum nostra in patria, quin altera alteri noceat, vel una ab altera, vel ab aliquo imperio dependeat, et tamen omnes atque singulae concurrant ad propositum finem, ut nempe floreant atque amplificentur artes atque scientiae, obtinendum, ita respondit ut a Societate anno 1787 praemio ornatus fuerit (36).

Quum saepius in usum pictorum, sculptorumque musculos atque ossa corporis humani demonstravisset, nec non in vivo homine mutationes musculorum, sub diverso corporis situ, explicavisset, illasque partes in statuis Apollinis, Laocoöntis, et Gladiatoris indicavisset, nihil utilius merito credebat, quam in usum nostratium, has artes exercentium, eas tabulas, ex tabulis Anatomicis a Cel. EUSTACHIO paratis, quae huic fini optime inserviunt, addita explicatione in lingua Belgica, in lucem emittere. Occupatus itaque explicationem, lingua Belgica, omnium tabularum Anatomicarum EUSTACHII, in usum Chirurgorum Batavorum, conscribendo, primo fasciculum tabularum osteologicarum, ac myologicarum anno 1782 in lucem emisit (37); atque dein subinde has, et reliquas summi Viri tabulas divulgavit, tandemque anno 1798 totum illud opus absolvit, addita praefatione, in qua praemissis nonnullis, quae ad hanc editionem, ejusque rationem pertinent, non necesse erat laudes summi Anatomici enarrare, aut praestantiam ha-

(36) A. BONN, Antwoord op de Vraag: *welke schikkingen kunnen er, door de gezamenlijke geleerde Maatschappijen in ons Vaderland, gemaakt worden, om, zonder elkander eenig hinder toe te brengen; zonder de eene van de andere, of van eenig Opperbewind afhankelijk te maken, en overeenkomstig met aller oorspronkelijke inrigting, saam te werken tot bereiking van haar gemeen doel, de bevordering van den bloei en de uitbreiding der Kunsten en Wetenschappen.* Bekroond door het Zeeuwsche Genootschap der Wetenschappen te Vlissingen. Middelb. 1787. in 8vo. 14. Deel, pag. 135.

(37) *Bundel van elf been- en spierkundige Platen van* B. EUSTACHIUS, *met derzelver verklaringen, ten diensten van Schilders, Beeldhouwers en andere Beminnaars der Teekenkunst.* Amsterd. 1782. in fol.

harum tabularum, iis qui Anatomico studio se tradunt enucleare, jam diu haec omnia in arte peritis erant cognita, et probata; sed in hac praefatione ex ipsis tabulis probavit plura EUSTACHIO jam fuisse cognita, quae diu post eum ab auctoribus, tanquam penitiori Anatomia detecta, sunt divulgata, earumque praestantiam ad diagnosin, et explicationem multorum morborum, qui ad chirurgiam pertinent, omnino demonstravit, atque sic denuo hoc opus, ob summam ejus praestantiam omnibus iis, qui vel medicinam internam, vel externam addiscunt, vel exercent commendavit (38).

Tandem in enumeratione scriptorum Cl. BONN, quae typis mandata sunt memoranda venit Dissertatio de diagnosi, natura et curatione claudicationis ex ulcere sordido contagioso in pedibus Ovium [*het Rotkreupel*], quae actis Instituti Regii Batavi scientiarum inserta est, et qua post succinctam contemplationem anatomicam pedum animalium, probat ab antiquissimis temporibus hoc vitium fuisse cognitum, atque perverse a vermiculo sub cute haerente derivatum; demonstrans porro primam ejus causam esse quaerendam in affectione morbosa bursae mucosae, digitis interjectae, et impedita excretione humoris inspissati, qua a distenta bursa in partes ambientes productus stimulus provocat alteram morbi periodum, in qua inflammatione circumjacentium partium, cum insecuta suppuratione digiti pedis destruuntur, nisi indicata ab Auctore methodus curandi opportuno tempore administretur, additae figurae fatalem hunc Ovium morbum egregie demonstrant (39).

Si consideremus omnia, quae non tantum in usum discipulorum, sed et in communem utilitatem a Viro Clarissimo praestita sunt, minime mirandum extraneos etiam ei omnem, quae ei competebat laudem, tribuisse, pluresque literarum Societates per Europam dispersas in honorem habuisse, eum inter sodales numerare; sic *Londinensis*, *Edinburgensis*, *Jenensis*, *Erlangensis*, *Monachiensis* ceteraeque Societates eum sodalium numero adscripserunt, atque in patria nostra *Vlissingana*, *Roterodamensis*, *Rheno-Trajectina*, *Antverpiensis*, *Bruxellensis*, *Harlemensis* gloriabantur eum inter sodales suos a longo tempore fuisse susceptum. Immo inter primos fuit, qui adscribebantur sociis *Instituti Regii Batavi* artium atque scientiarum, quod Amstelaedami est constitutum, nec non Societatis illius Urbis, quae *enectos aquis patriae suisque* reddere desiderat, et anno 1767 fundata, indefessa sociorum cura tot cives et patriae, et suis revera reddidit; atque Cl. BONN huc plura contulisse suis lectionibus, de cura medica et chirurgica ad sus-

(38) *De ontleedkundige Platen van* B. EUSTACHIUS, *met eene verklaring derzelve, vervaardigd onder toezigt van* A. BONN. Amsterd. 1798. in fol.

(39) *Bijdragen tot de kennis en genezing van het Rotkreupel der Schapen.* Verhand. der Eerste Klasse van het Koninklijk Nederl. Instituut te Amsterdam. Deel 5. pag. 125.

suscitandos submersos, subinde habitis, certo certius est. Vix ulla praeterea in urbe Amstelaedamensi supererat Societas literaria, quae eum inter sodales non tantum numeraret, sed in qua data quavis occasione non ceteris praeiret, vel sua observata in usum aliorum communicaret. Hinc exstant Orationes a Viro Clarissimo habitae in Societate, cui nomen est FELIX MERITIS, *de consensu artis graphicae cum reliquis artibus ac disciplinis*, occasione inaugurationis hujus collegii palaestrae, in qua humani corporis effigies ad formam hominis vivi, nudi delineatur; et simili occasione in Auditorio physico probavit *utilitates summas e studio physices experimentalis oriundas* (40).

In Academia urbis graphica quotannis etiam saepius lectiones habuit Anatomicas, utilitatemque cognitionis corporis humani pictoribus, sculptoribus non tantum in cadaveribus, sed in homine vivo, vel et in statuis antiquorum demonstravit tanta cum assiduitate, tanto cum fructu, ut postquam per viginti et quinque annos in has incubuisset, honorifico modo hujus Academiae socii cum debitam persolverint gratiam.

Quamvis inter dissertationes ab Instituto Regio Batavo artium atque scientiarum editas, unica tantum exstat commentatio, ne tamen quis credat Cl. BONN hujus Instituti non fuisse socium activum; saepius in consessu primae classis verba fecit; sic occasione sectionis anatomicae Castoris Fiberis plura de oeconomia hujus animalis commemorans, organa inprimis manducationis, et digestionis explicavit, quando ex comparatione ossium intermaxillarium in omnibus animalibus, eorumque absentia in homine, nec non ex iis, quae in labio leporino complicato observantur non improbabile statuebat in juniori foetu humano etiam ejusmodi ossa adesse. Aliis occasionibus egit de vitio pedum Ovium, saepius observato, quod claudicationem provocat, quo de morbo, ut antea vidimus, dein dissertationem evulgavit; -- nec non de modo, quo fracta ossa naturae ope consolidantur; -- de hydrocephalo, ejusque causis, et effectibus; -- de herniis cerebri, et monstris, quae vulgo acephali spurii vocantur; -- de iis, quae sectione cadaveris Simiae Satyri ex Borneo anno 1794 observaverat; -- de fundamentis physicis picturae; quae omnia semper illustrabantur vel nitidissimis praeparationibus anatomicis, vel etiam exactissimis delineationibus (41).

Per viginti quinque circiter annos, quamvis plerumque valetudine minus prospera

(40) *Redevoeringen ter inwijding der volbouwde Teekenzaal voor het Departement der Teekenkunde: en van de Gehoorzaal en Schouwplaats voor het Departement der Natuurkunde, in het Gebouw der Maatschappij* FELIX MERITIS, *te Amsterdam gehouden den 3 en 15 November 1789; door* A. BONN, Amsterd. 1790, in 8vo.

(41) Conferri possunt ea quae habentur in historica parte Instituti Regii Batavi: Verhand. der Eerste Klasse van het Koninklijk Nederl. Instituut van Wetenschappen enz. derde en vierde deel, in het Voorberigt.

ra utebatur, sibi demandatum munus omni cum sedulitate in publicam utilitatem explevit, et omnia, quae commemoravimus, scripta, concinnavit; eo vero tempore, quo Reipublicae nostrae forma penitus mutata erat, bene multa acciderunt, quae ei non tantum non grata fuerunt, sed quae otium literarium ante omnia praeferendum esse suadebant; consultum ergo ducebat provincia sua publica discedere, quod tandem post iteratam petitionem, die 21 Februarii 1798, ei concesserunt Magistratus, ita tamen ut tantum liberaretur a lectionibus in Theatro Anatomico habendis, iisque officiis, quae ad Collegium Medicum pertinuerant, salva tamen facultate, munus Professoris Anatomes atque Chirurgiae in Illustri Athenaeo explendi, atque lectiones physiologicas, pathologicas et obstetricias privatas habendi; sectiones legales cadaverum hominum violenta morte enecatorum instituendi, et praesidium gerendi quoties lithotomia institueretur (42).

Dein vero Cl. Bonn pro singulari qua erat indulgentia, die 22 Septembris 1798, in senatu declaravit, de concesso jure discedere, una tantum excepta lectione chirurgica, ceteraque omnia ad recentis Collegae successoris munera pertinere.

Quamvis a juniore aetate semper modestus, neque unquam injuriosus aut contumeliosus fuerat, verum artium et literarum cultores, liberiusque sentientes magni semper aestimaverat, haec tamen omnia ejus animum vehementer commoverunt, sed certus, omnia ab eo peracta non plane inutilia fuisse, hoc ei solatium fuit. Otio literario fruens sibi proponebat plura observata redigere, et typis mandare; ante omnia vero tabularum Eustachianarum explicationem Belgicam, jam ante plures annos, ut vidimus, inchoatam, curavit, reliquasque tabulas edidit.

Dein vero Rex noster optimus Guilielmus I. venerandi Senis merita justo praetio existimans, illum Ordini Leonis Belgici adscripsit, atque Gymnasii Theologici Lutheranorum in Urbe Amstelaedamensi Curatorem nominavit.

Nunc post laboriosissimam vitam otio fruens, atque in studiis perfugium et solatium quaerens, ei tamen in rebus domesticis evenerunt, quae ejus animum penitus opprimebant, atque ab eo, ingravescente aetate vix perferri potuerunt.

In felicissimo matrimonio cum lectissima uxore Anna Cramer, honestissimi mercatoris filia, cujus festum nuptiale quinquagesimum, quo vivere desiit anno, celebraturus erat, per seriem annorum, re lauta fruens, vixerat tanquam optimus, felicissimusque pater familias, licet ipse, atque adamata uxor subinde adversa valetudine, quin et gravioribus morbis fuissent affecti, atque ex decem infantibus tantum quinque juvenilem aetatem adtigissent; denuo affligebatur obitu filiae

(42) *Dagbladen der Vergaderingen van den Raad der Gemeente te Amsterdam*, 21 Oct. 1796, pag. 285 en 286. — 26 Oct. 1796, pag. 313. — 13 Jan. 1798; pag. 91. — 17 Jan. 1798, pag. 119. — 26 Febr. 1798, pag. 349. — 28 Febr. 1798, pag. 382.

filiae atque duorum filiorum. Quamvis singuli ei erant carissimi tamen obitu filii ANDREAE CONRADI, jam Medicinae Doctoris, atque virgini lectissimae matrimonio conjuncti, tantopere prosternebatur, ut in sola religione Christiana solatium invenire potuerit. Hic enim totus medicinae studio deditus, virtutum atque doctrinae paternae jam jam haeres, omnis patris spes erat, qui reliqua ejus observata tandem in lucem ederet, et ei in ultimo vitae termino, hebetudine insigni organorum visus, atque auditus ex senectute laborante, atque hinc fere ab omni usu librorum, et societate orbato, solatium omne esset. Ab hoc tempore et pretiosissima collectio praeparationum Anatomicarum atque Pathologicarum, et exquisitissima bibliotheca, tot annorum labor atque cura, vix ulli ab eo habebantur pretii; haec summa animi tristitia non nisi temporis usu aliquantisper leniebatur, ita ut dein subinde consanguineis ac propinquis summorum dolorum solatium fuerit, usque dum a longo jam tempore tussi senili, aliisque morbis ex aetate valde provecta affectus, exhaustis animi corporisque viribus, altero et octuagesimo aetatis anno, die 3 Septembris 1818 placide exspiravit, relinquens uxorem cum filio atque duabus filiis, amplissimis viris matrimonio junctis, optimi mariti atque patris mortem lugentes.

Hic fuit vitae decursus Viri praeclari, cujus animi dotes sequentibus verbis exactissime descriptae sunt a Cl. F. VAN DER BREGGEN, CORN. FIL. qui Collegae Clarissimo solemni oratione parentavit (43). In labore cujuscunque generis salutari assiduus, non sui, sed aliorum causa bene faciens omnibus, qui lubenter ad eum accederent, illumque consulerent, liberalis, munificus erga pauperes, officiosos aliorum labores remunerandi cupidus, moremque gerens aequitati aut venerationi, quin et opitulans potissimum ex bonorum aut consiliorum copia, prout quisque maxime opis vel auxilii in miseriis indiguit, in juvando denique et subveniendo et sublevando afflictos pronus semper et totus.

(43) *Memoria* A. BONN *rite celebrata in Auditorio majori illustris Athenaei Amstelaedamensis, ad diem 26 Aprilis 1819. a* F. VAN DER BREGGEN, CORN. FILL. Amstelaed. 1819. in 4to.

PARS PRIOR.

PRAEPARATA EX HOMINIBUS ET ANIMALIBUS IN STATU NATURALI.

SECTIO PRIMA.

PRAEPARATA ANATOMICA, QUAE IN LIQUORE LIMPIDO CONTINENTUR.

EX HOMINIBUS.

N°. I. Pars maxillae inferioris duos ultimos dentes molares sinistri lateris continens cum partibus buccam formantibus etc., ut orificium ductus Stenoniani, cui immissus est stylus appareat. Arteriae sunt impletae, inde color cutis et membranae internae oris, ut in vivo homine, rubet.

II. Palatum cute sua tectum cum margine alveolari, atque dentibus hominis adulti ex impletione vasorum rubens.

III. Cutis palati cum uvula atque tonsillis ex infante. Ex impletione vasorum omnia naturalem colorem acceperunt.

IV. Ventriculus infantis nati inversus, ut tunica interna nunc sit externa. Ex impletione vasorum tota membrana mucosa sive villosa rubet.

V. Portio intestini ilium spiritu, quo continetur, repleti; in externa superficie vasa lactea chylo turgida optime conspiciuntur.

VI. Pars inferior cordis in cujus sectione transversa, crassities diversa parietum utriusque cavitatis, nec non ipsae capacitates cernuntur.

VII. Glandula thyreoïdea ex infante; ex media parte adsurgit species ductus, qui adscendens juxta cartilaginem thyreoïdeam videbatur aperto orificio hiare intra laryngem, inter cartilaginem dictam, atque epiglottidem.

VIII. Pars sinistra narium internarum, impletione vasorum membranae mucosae structuram egregie exhibens.

IX. Caput infantis recens nati, cujus vasa a Cl. Ruischio eleganter impleta sunt materia rubra.

X.

X. Portio cutis detracta de brachio hominis adulti, cui figura inpressa est; detracta est tota cuticula cum reticulo.

XI. Cutis faciei Aethiopis portiones tres; palpebrae scilicet cum supercilis, nasus cum labiis atque mento, nec non auricula dextra; quum omnes hae partes cuticula teguntur, color tantum fuscus apparet.

XII. Portio cutis Aethiopis, de cujus media parte detracta est sola cuticula, relicto Malphigiano reticulo.

XIII. Portio cutis Aethiopis, de parte inferiore detracta est sola cuticula, relicto mucoso reticulo, hoc dein etiam separatum est, ita ut duae lamellae satis magnae, totae quantae separatae de inferiore margine dependeant.

XIV. Foetus Aethiopis septem fere mensium; capilli parum sunt crispi; color cutis fuscescit; nasus est compressus; labia sunt tumida.

XV. Foetus sex mensium Aethiopis, characterem nationis egregie exhibens; color non valde fuscus est.

XVI. Foetus ejusdem aetatis Hottentotae; color totius corporis fuscescit.

XVII. Foetus septimestris Aethiopis; color cutis minus fuscus, sed caeteras characteres Aethiopum offerens; dorsum valde est pilosum.

XVIII. Portio cutis mammae vetulae cum papilla. Detracta est sola cuticula, relicto Malphigiano reticulo, quod fuscescens magis circa papillam, areolam format; in detracta cuticula cernuntur ductuum galactofororum principia.

XIX. Portio cutis cum tela cellulari pinguedine maxime impleta, atque strato fibrarum musculi, ex homine valde obeso.

XX. Portio cerebri hominis adulti, exhibens ventriculum tertium, atque quartum, corpora quadrigemina, atque glandulam pinealem.

XXI. Medulla oblongata exhibens ventriculum quartum cerebri apertum.

XXII. Portio durae matris prope sinum longitudinalem, cum vena e sinu in cerebri partem adnexam tendente, ita ut constet quomodo membrana interna durae matris supra trunculum venosum in externam superficiem piae matris transit.

XXIII. Portio suprema medullae spinalis, cum arteriis vertebralibus; dissecta dura matre constat internam hujus membranae lamellam juxta vasa et nervos continuari ad arachnoïdeam membranam.

XXIV. Portio sequens medullae spinalis cum exeuntibus nervis cervicalibus; omnis vero medullaris substantia elota est, et superest sola pia mater, arachnoïdea tecta; haec in nonnullis locis separata, a latere producit ligamentum denticulatum.

XXV. Pars durae matris medullae spinalis cum duobus exeuntibus nervis.

XXVI. Pars durae matris cum exeunte nervo.

XXVII. Similis portio.

XXVIII. Nervus quinti paris cum portione durae matris.

XXIX. Nervus vagus, ut videtur, cum simili portione durae matris.

XXX. Nervus brachialis cum portione durae matris. Inservierunt hae praeparationes, a N°. XXII ad XXX enumeratae, demonstrationi continuationis membranarum (1).

XXXI. Pars inferior medullae spinalis, sive cauda equina, exitum nervorum per duram matrem exhibens.

XXXII. Membri virilis pars major cum glande, ex Aethiope.

XXXIII. Pudenda externa puellae cum ano; ex impletione vasorum color est naturalis. In fundo lagenae reperitur pars placentae, cujus vasa sunt dissoluta.

XXXIV. Uterus foeminae adultae cujus ostium valde dilatatum est.

XXXV. Uterus gravidus dissectus, rejecto abortu ovo, exhibens primam formationem membranae deciduae.

XXXVI. Uterus cum vagina foeminae prima vice gravidae, ut etiam constat rugis bene multis vaginae; cruciata sectione uterus est apertus, ut tota ipsius capacitas jam valde dilatata appareat; interna superficies obtecta est membrana decidua ad collum usque, non vero ultra se extendente, atque in pariete cernitur tumor parvus decidua reflexa tectus, sistens, ut sectione appareat, ovulum minimum, in quo inter membranam amnios atque deciduam sanguis coagulatus cernitur.

XXXVII. Uterus gravidus, quarto circiter mense, ab anteriore parte dissectus, exemto foetu, exhibens substantiam uteri multo auctam, cavum uteri supra collum extensum, ab interiore obductum membrana decidua, nec non hujus nexum cum pariete interno uteri. In cervice membrana decidua terminatur limbo crasso fimbriato, neque intra cervicem observatur.

XXXVIII. Uterus gravidus nondum dissectus, sexto forte graviditatis mense e cadavere exemtus.

XXXIX. Segmenta duo uteri gravidi, superficiei adhaeret membrana decidua.

XL. Portio membranae deciduae, ab utero separatae.

XLI. Uterus puerperae jam valde contractus, a priore juxta longitudinem dissectus.

XLII. Ovum abortu perditum cujus minimus foetus per transparentem membranam amnios, quae insignis est capacitatis, conspicitur; dependet tota vesicula ex parvo funiculo a caeteris membranis, quarum tamen major portio resecta est.

XLIII. Ovum simile minimum, membrana decidua crassa cinctum, figurae fere triangularis, tali modo dissectum ut membranae amnios capacitas, atque foetus, vermicularis quasi figurae, appareat.

XLIV.

(1) Vid. A. Bonn, *Dissert. de continuatione membranarum*, Lugd. Bat. 1763. in 4to.

XLIV. Ovum integrum septem forte mensium, aut ultra.

XLV. Ovum integrum cum foetu fere maturo.

XLVI. Ovum e cadavere foeminae gravidae sex mensium separatum; ab una parte cernitur superficies placentae, quae utero adhaesit, a reliqua parte chorion est separatum, ita ut partim per pellucentem, partim per dilaceratam membranam amnios foetus bene nutritus in situ naturali observetur.

XLVII. Ovum obortu perditum, ea ratione dissectum ut membrana amnios sit integra, atque intra eam et chorion vesicula umbilicalis appareat.

XLVIII. Ovum simile apertum atque inversum, foetus globulum quasi refert, cujus artus tantum sistunt parva tubercula; ubi funiculus, qui a parte ovi tenuissimus est, umbilico inseritur, vesicula umbilicalis semi-pellucida conspicitur.

XLIX. Ovi abortu perditi membranae cum foetu; membranae pro majori parte sunt resectae; decidua membrana tota est ablata, inter chorion atque amnios cernitur vesicula umbilicalis cum suo filamento. Funiculus umbilicalis satis est crassus, pellucidus, foetus torosus, diversas jam corporis partes exhibet longe magis distinctas quam in praecedenti specimine.

L. Ovum simile; decidua membrana tota est ablata, chorion vasculosum atque amnios dissecta; ex fundo ovuli descendit funiculus umbilicalis, filiformis, a quo embryo dependet; amnii membrana dissecta juxta funem umbilicalem, vesicula umbilicalis e situ suo, inter duas has membranas, cum suo filamento ad umbilicum se extendente, est separata, atque a latere foetus dependet.

LI. Ovum simile cum foetu a fune umbilicali dependente. Forma foetus totus est globosus, vix diversas partes distincte demonstrans, funis est tenuissimus, pellucidus, circa abdomen tumidior.

LII. Ovum simile a decidua membrana solutum, atque dein apertum; a funiculo umbilicali dependens foetus, in capite primordia oculorum, nasi atque oris exhibet; artus sistunt tantum parva tubercula; os sacrum cum coccyge speciem quasi caudae format, deficientibus adhuc artubus inferioribus.

LIII. Ovi similis membrana amnios cum foetu, a funiculo umbilicali dependente; funiculus umbilicalis satis est crassus, pellucidus, circa abdomen contractus. In foetu partes minores, ut digiti aliaeque nondum sunt distinctae.

LIV. Ovum simile apertum, ab exteriore decidua membrana tectum. Interna superficies tota tuberculosa ex sanguine extravasato inter chorion et amnion, ut dissectione ejusmodi tuberculi appareat; funiculus umbilicalis crassus, sed ubi umbilico inseritur tenuissimus est. In foetu prima rudimenta diversarum partium tantum distinguuntur.

LV. Ovum gemellorum, quinque vel sex mensium. Placenta est simplex, ovum membranis bipartitum, uterque foetus bene nutritus, ac conformatus est.

LVI. Ovum abortu deperditum amplum, bipartitum septo intermedio ab

amnio producto, dum chorion utrique commune videtur. In una cavitate unicus apparet foetus, in altera duo adsunt; foetus globosam habent formam, atque vix prima indicia distinctarum partium conspiciuntur.

LVII. Uterus gravidus per quinque menses, apertus ab anteriore parte. Placentae cohaesio cum uteri pariete in ipsa sectione apparet, atque amnii continuatio juxta funem umbilicalem usque ad foetum cernitur.

LVIII. Ovum abortu deperditum, apertum cum foetu. Placenta jam est formata, funis umbilicalis tenuissimus est.

LIX. Ovum praecedente paulo majus apertum, foetus a longissimo fune umbilicali, valde contorto, dependet.

LX. Placenta cum foetu sex circiter mensium; funis umbilicalis est satis crassus, in media parte nodum valde constrictum exhibens; foetus est torosus, ac bene nutritus.

LXI. Funiculus umbilicalis longus, crassus, plurimum contortus cum nodo insigni, non tamen constricto, a Cl. Bonn in cadavere puerperae inventus. Injectio aquae per ampla vasa umbilicalia docuit, circulationem sanguinis hoc nodo non impeditam fuisse.

LXII. Portio funis umbilicalis in qua ejus cohaesio cum integumentis communibus ab exteriore conspicitur, dum ab interiore cernitur qua ratione vasa umbilicalia cum vesica urinaria a parte cavi abdominis peritonaeo tantum investiuntur.

LXIII. Pars funis umbilicalis ubi abdomini inseritur, cum appendice globoso ex vasis contortis constante.

LXIV. Pars funis umbilicalis cujus vasa non tantum solito magis sunt contorta, sed lateraliter in appendicem contortum excurrunt.

LXV. Sceletus foetus, quatuor circiter mensium nitidissime praeparatus.

LXVI. Vertebrae novem dorsi, infantis recens nati; quatuor superiores vertebrae juxta longitudinem dissectae egregie fabricam nucleorum osseorum in corporibus, atque processuum spinosorum substantiam cartilagineam exhibent.

LXVII. Sternum infantis cum cartilaginibus costarum, juxta longitudinem serrae ope dissectum, ad fabricam nucleorum osseorum, atque articulationes costarum cum sterno demonstrandam.

LXVIII. Nuclei ossei diversorum ossium ab omni cartilagine depurati; quinque superiores serrae ope sunt divisi, ad internam structuram demonstrandam.

LXIX. Pars inferior ossis femoris infantis, serrae ope juxta longitudinem divisa, post injectionem vasorum, hinc egregie apparent arteriae per cellularem ossis substantiam, per partem cartilagineam, atque nucleum osseum decurrentes.

LXX. Ossis femoris pars superior simili ratione praeparata.

LXXI. Os humeri infantis recens nati longitudinaliter dissectum; arteriae per medullarem substantiam decurrentes ex injecta materie ceracea rubra egregie turgent.

LXXII. Pars ossis tibiae infantis, cujus vasa medullaria materie injecta cerácea rubra turgent. Ejusdem infantis condylus maxillae inferioris, cum cartilagine inter-articulari cernitur; vasa per substantiam ossis decurrentia ex injecta materie penitus turgent, atque rubent.

LXXIII. Os femoris sinistrum Simiae, juxta longitudinem dissectum, ad fabricam ossis demonstrandam.

LXXIV. Pars superior ossis femoris sinistri lateris pueri; sublato acido muriatico diluto phosphate calcis, atque macerátione in aqua dissoluta parte glutinosa, structura cellularis ossis egregie apparet.

LXXV. Femur dextri lateris, juxta longitudinem in duas partes dissectum, Canis junioris, per aliquot tempus radice Rubiae tinctorum nutriti. Periosteum totum album detractum est a corpore ossis, sed ephiphysi adhaeret; omnis substantia ossea ruberrima est, cartilago autem naturalem albedinem conservavit.

LXXVI. Cartilago thyreoïdea atque cricoïdea foetus quatuor forte mensium.

EX ANIMALIBUS.

LXXVII. Ventriculus Simiae Satyri Linn. Pitheci satyri Geoffr.

LXXVIII. Ventriculus Castoris Fiberis Linn.

LXXIX. Ramenta lignea in ventriculo ejusdem animalis inventa.

LXXX. Intestinum coecum Castoris Fiberis.

LXXXI. Hepar Simiae Satyri.

LXXXII. Cor cum pulmonibus Simiae Satyri.

LXXXIII. Cor Castoris Fiberis, utroque ventriculo cum atriis dissecto.

LXXXIV. Pulmones et bronchiae Castoris Fiberis.

LXXXV. Cor Testudinis Mydae.

LXXXVI. Lingua cum faucibus et larynge Simiae Satyri.

LXXXVII. Glandula magna subcutanea sub latissimo colli musculo sita Castoris Fiberis.

LXXXVIII. Folliculi sebacei conjuncti ductu excretorio communi, adhaerentes intestino recto, longitudinaliter dissecto.

LXXXIX. Folliculus in sacco membranaceo sub musculosa expansione situs, continens humorem concretum, *castoreum* dictum, ut sectione longitudinali appareat. Follicülus alter e quo *castoreum* separatum est.

XC. Folliculi sebacei pars altera glandulosa.

XCI. Castoreum folliculo separatum.

XCII. Oculus Trichechi Rosmari Linn. transversim dissectus; ab anteriore cernitur membrana adnata in ambitu corneae resecta; ab interiore conspicitur humor vitreus; in altera parte observantur tres tunicae oculi, retina etiam tota expansa.

XCIII. Oculi Trichechi Rosmari membrana choroïdea integra, atque humore quo continetur expansa. Adest etiam cornea, adnata membrana tecta, atque lens crystallina.

XCIV. Bulbus oculi cum palpebris Struthionis Cameli.

XCV. Pars major bulbi oculi Strigis; ab exteriore apparent laminae osseae inhaerentes membranae scleroticae, ab interiore cernitur membrana choroïdea, et corpus ciliare.

XCVI. Oculus Testudinis transversim dissectus, omnes tunicas, earumque partes, retina excepta exhibens.

XCVII. Caput Murenae Anguillae. Apertum est conceptaculum cerebri, ita ut cerebri partes omnes conspiciantur; defracta orbita dextra cernitur globus oculi a nervo optico dependens, cujus tunica sclerotica, atque choroïdea partim ablatae sunt, hinc expansio retinae a nervo optico apparet. Oculi sinistri cornea in ambitu est resecta, et reclinata; in orbita cernitur decursus ramorum nervi quinti paris.

XCVIII. Cranium Pleuronectes fleti. Conceptaculum cerebri apertum est atque situs cerebri, decursus nervorum opticorum, et oculorum situs apparent.

XCIX. Cranium Muraenae Anguillae exhibens situm, ac divisionem partium cerebri.

C. Manus Simiae Satyri.

CI. Pedes Myrmecophagae Jubatae Linn.

CII. Pes Mustelae Lutrae Linn.

CIII. Portio cutis Struthionis Cameli, de parte anteriore thoracis, infra collum separata, detracta est cuticula. In superficie externa cernuntur folliculi, per quincuncem dispositi, cui inhaerebant radices plumarum, cum cuticula detractarum.

CIV. Cuticula callosa detracta de calcaneo Struthionis Cameli.

CV. Cuticula de crure separata ejusdem.

CVI. Portio cutis cum cuticula separata de calcaneo ejusdem.

CVII. Digitus Struthionis Cameli.

CVIII. Caput Phasiani Galli.

CIX. Ossa digiti sinistri pedis anterioris Ovis, ligamentis nexa, una cum tendinibus musculorum. In fundo lagenae invenitur bursa mucosa integra a reliquis partibus separata (2).

CX. Pars inferior extremitatis anterioris cum digito sinistro Ovis junioris, resecto altero digito; mox supra plicam cutis, digitos inter se conjungentis, cer-

(2) Conf. A. Bonn, *over het Rotkreupel der Schapen*, Tab. I. Fig. 8. et 5. *Verhand. der Eerste Klasse van het Koninkl. Nederl. Instituut te Amsterdam*, Deel 5. pag. 125.

cernitur bursa mucosa in situ naturali, producta a reflexa cute cum cuticula, atque desinens in folliculum incurvatum altius adscendentem quam ipsum orificium. Paries interior bursae obsessa apparet pilis tenuissimis (3).

CXI. Extremum inferius extremitatis anterioris Cervi, ex Promontorio Bonae Spei. Inter phalanges digitorum cernitur apertura bursae mucosae oblonga, introprossionem cutis veluti repraesentans (4).

CXII. Pars inferior extremitatis posterioris dextri lateris, similis Cervi, cujus digitus dexter separatus est. Ipsa bursa cernitur aperta, oblonga, atque retrorsum adscendens absque ulla flexura, cum apertura satis magna, atque ab interiore pilis obsessa (5).

CXIII. Extremum inferius anterioris extremitatis ejusdem, separato digito altero, atque reflexa cute cernitur ipsa bursa subrotunda, cum apertura satis magna. Interna superficies non pilis obsessa, sed copiosissimis aperturis instructa est (6).

CXIV. Digiti extremitatis anterioris Cervi; pro parte separata est cutis ut appareat apertura externa bursae mucosae (7), ejusque situs infra cutem.

CXV. Digiti extremitatis posterioris Cervi; simili ratione pro parte separata est cutis, ut constet ubinam hiet bursa mucosa (8).

CXVI. Portio integumentorum partis posterioris digiti Cervi, cum ungue accessorio, juxta longitudinem dissecta, ut appareat ortus ipsius unguis.

CXVII. Pars inferior extremitatis Cervi, separata cuticula cum unguibus, qui in fundo lagenae conspiciuntur.

CXVIII. Pars inferior extremitatis Vituli; dissecto, atque remoto, altero digito apparet loco bursae mucosae hic adesse massam pinguedinosam, circumdantem capacitatem quandam (9).

CXIX. Membrum virile Felis Leonis.

CXX. Glans penis cum praeputio lato et reflexo Castoris Fiberis; ossiculum penis in fundo lagenae invenitur.

CXXI. Processus peritonei per annulum abdominalem ad inguen delapsus; continens funiculum spermaticum atque testem, dissecta tunica vaginali Castoris Fiberis.

CXXII. Processus peritonei alterius lateris.

CXXIII. Vesica urinaria, cum vesiculis seminalibus et vasis deferentibus ejusdem.

CXXIV. Vesica urinaria, uterus, et genitalia externa Simiae Satyri.

CXXV. Uterus Suis Tajassu Linn. juxta longitudinem dissectus; copiosissimae plicae transversales, semet invicem alternatim recipientes, quarum inferiores sunt ro-

(3) Ibidem Tab. I. Fig. 3.
(4) Ibidem Tab. III. Fig. 1.
(5) Ibidem Tab. III. Fig. 4.
(6) Ibidem Tab. III. Fig. 3.
(7) Ibidem Tab. III. Fig. 1.
(8) Ibidem Tab. III. Fig. 2.
(9) Ibidem Tab. III. Fig. 5.

robustissimae, sursumque sensim decrescunt, omne lumen colli uteri occludunt, atque singularem, et maxime dilatabilem structuram exhibent.

CXXVI. Uterus gravidus Canis majoris, continens foetus diversos membranis inclusos; ex ovo dissecto dependet foetus. Arteriae materie rubra sunt impletae.

CXXVII. Foetus Canis membrana amnios inclusus.

CXXVIII. Foetus Canis membranis inclusus.

CXXIX. Foetus Canis.

CXXX. Membrana Chorion et Amnios, sive Ovum integrum, cum cotyledonibus, et alantoïdis productione ex Vacca.

CXXXI. Portio Chorii Vaccini cum tribus cotyledonibus; vasa materie injecta turgent.

CXXXII. Ovum Ovis apertum, cum foetu ab umbilico dependente.

CXXXIII. Mus Rattus LINN., aperto abdomine cernitur uterus gravidus.

CXXXIV. Uterus gravidus Leporis Cuniculi LINN.

CXXXV. Foetus Myrmecophagae didactylae LINN.

CXXXVI. Foetus Felis pardi LINN.

CXXXVII. Foetus Felis Tigridis LINN.

CXXXVIII. Foetus Caviae Capibarae LINN. Hydrochoeri ILLIG.

CXXXIX et CXL. Foetus Caviae.

CXLI et CXLII. Foetus Leporis timidi LINN. membranis ovi inclusus.

CXLIII. Foetus similis e membranis separatus, cum placenta.

CXLIV. Foetus Erinacei europaei LINN. cum placenta.

CXLV. Pullus Columbae, cum vitello ovi a fune umbilicali dependente.

CXLVI. Foetus maturus Sturni vulgaris ex ovo exclusus.

CXLVII. Ovum Columbae foetum perfectum continens, partim disrupta ovi testa.

CXLVIII. Ovum Phasiani galli foetum maturum continens, partim disrupta ovi testa.

CXLIX. Foetus Phasiani galli maturus, membranis inclusus, separata testa ovi.

CL. Foetus Phasiani galli maturus, remotis omnibus membranis.

CLI. Rana foeminea, aperto abdomine sectione longitudinali ovaria magna valde distenta extra abdominis cavitatem protuberant.

CLII. Foetus Squali.

CLIII. Lacerta cum cauda monstrosa.

CLIV. Lacerta cum cauda duplici.

SECTIO SECUNDA.

PRAEPARATA ANATOMICA, QUAE SICCATA CONSERVANTUR.

EX HOMINIBUS.

N°. CLV. Cranium viri robustissimi cum maxilla inferiore, omnibusque dentibus, dente incisore medio sinistro in maxilla superiore carie exeso, atque abrupto. Cranium hoc solito est majus, bene formatum, licet paulo magis sit elongatum, atque ponderosius quam in plurimis hominibus.

CLVI. Cranium Kalmucci cum maxilla inferiore.

CLVII. Cranium foeminae Londinensis cum maxilla inferiore omnibusque dentibus, bicuspidato altero sinistro antea evulso, clausoque nunc alveolo. Pars posterior conceptaculi cerebri sectione perpendiculari ab anteriore est separata.

CLVIII. Cranium Hessi cum maxilla inferiore omnibusque dentibus.

CLIX. Cranium cum maxilla inferiore nigritae Asiaticae, cum capillis nigris, longissimis.

CLX. Cranium cum maxilla inferiore nigritae Asiaticae, conceptaculum cerebri a sinistro latere est apertum.

CLXI. Cranium simile Aethiopis robusti.

CLXII. Cranium simile robustius.

CLXIII. Cranium cum maxilla inferiore Americanae. In osse squammoso sinistro protuberantia insignis adest.

CLXIV. Cranium viri cum maxilla inferiore, dentibusque, paucis exceptis, allatum ex urbe Rothomago in Normandia. Cranium hoc adspectum offert singularem, jugalia ossa multum protuberant, frons valde est declivis, vertex cranii inter vestigia musculorum temporalium, caeterum solito magis ad se invicem accedentia, valde elevatus est; hinc cranium ab anteriore inspectum triangularem habet figuram; maxillaria ossa sunt magis complanata quam prominentia.

CLXV. Cor pueri cum vasis pulmonalibus, cera rubra impletum.

CLXVI. Palpebrae cum ciliis, superciliis, globo oculi ejusque musculis hominis adulti; hae partes tali ratione sunt praeparatae, et exsiccatae, ut forma naturalis supersit, ac mutua relatio partium optime appareat.

CLXVII. Pars ossis temporis hominis adulti exhibens meatum auditorium externum cum membrana tympani, atque situm mallei et incudis.

CLXVIII. Sectio longitudinalis processus et partis mammillaris, qua ejus interna capacitas cellularis apparet.

CLXIX. Os temporis sinistri lateris infantis; ablata parte petrosa cernuntur ossicula auditus, malleus, incus, atque stapes in situ cum membrana tympani.

CLXX. Os temporis infantis recens nati, exhibens membranam tympani cum ossiculis. Cavitas labyrinthi aperta est, ita ut constet, quomodo foramen ovale claudatur basi stapedis.

CLXXI. Labyrinthus ex infante nato.

CLXXII. Eaedem partes aperta cochlea, ut gyri, nec non lamina spiralis appareant.

CLXXIII. Labyrinthus cum stapede in situ.

CLXXIV. Portiones diversae cuticulae, desumtae ex variis corporis partibus.

CLXXV. Socculus ex cuticula, de pede infantis detractus, et lana impletus.

CLXXVI. Digitorum quatuor hominis adulti cuticula cum unguibus a cute detracta, et lana repleta; unius digiti cuticula est inversa.

CLXXVII. Cranium cum maxilla inferiore plurimisque dentibus, nec non cum omnibus vertebris colli, ligamentis nexis. Sectione perpendiculari in media parte totum cranium cum vertebris est divisum, atque dura mater ejusque processus omnes in situ conspiciuntur.

CLXXVIII. Cranium Canis junioris radice Rubiae tinctorum nutriti; omnia ossa rubent; conceptaculum cerebri horizontali sectione est apertum; rubent etiam dentes.

CLXXIX. Sceletus foetus humani septem mensium.

CLXXX. Cutis scroti cum membrana Dartos ex viro adulto.

CLXXXI. Portio scroti cujus membrana cellularis aëre distenta est.

CLXXXII. Vas deferens cum epididymide egregie mercurio impletum.

EX ANIMALIBUS.

CLXXXIII. Cranium Simiae satyri junioris Linn. Pitheci satyri Geoffr., juxta longitudinem divisum, cum maxilla inferiore, prodierunt dentes incisores, canini, et bicuspidati. Longitudo a vertice cranii ad marginem maxillae superioris = 130 linearum Belgicarum, sive 5 pollicum Rhenolandicorum. Longitudo a fronte ad occiput, sive conceptaculi cerebri = 105 lin. belg. sive 4 poll. rhen. Latitudo maxima conceptaculi = 87 lin. belg. sive 3 poll. 4 lin. rhen.

CLXXXIV. Cranium Ursi Arcti nigri Linn. cum maxilla inferiore. Longit. cranii = 386 lin. belg., 14 poll. 8 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 170 lin. belg., 6 poll. 6 lin. rhen. Latit. ejusdem = 105 lin. belg., 4 poll. rhen.

CLXXXV. Cranium Viverrae Nasuae Linn. Nasuae Illig., juxta longitudinem dissectum, cum maxilla inferiore. Longit. cranii = 103 lin. belg., 3 poll. 9 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 49 lin. belg., 1 poll. $10\frac{1}{2}$ lin. rhen. Latit. ejusdem = 41 lin. belg., 1 poll. 7 lin. rhen.

CLXXXVI. Cranium Ursi Melis Linn. Melis Illig. cum maxilla inferiore. Longit. cranii = 142 lin. belg, , 5 poll. 5 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 68 lin. belg., 2 poll. 7 lin. rhen. Latit. ejusdem = 50 lin. belg., 1 poll. 11 lin. rhen.

CLXXXVII. Cranium Mustelae Lutrae Linn. Lutrae Illig. cum maxilla inferiore. Longit. cranii = 124 lin. belg., 4 poll. 9 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 66 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen. Latit. ejusdem = 52 lin. belg., 2 poll. rhen.

CLXXXVIII. Cranium Trichechi Rosmari Linn. cum maxilla inferiore. Longit. cranii = 330 lin. belg., 12 poll. 7 lin. rhen. Longit. dentium laniariorum extra alveolos = 370 lin. belg., 14 poll. 2 lin. rhen.

CLXXXIX. Cranium Didelphis Opossum Linn. cum maxilla inferiore. Longit. cranii = 50 lin. belg., 1 poll. 11 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 23 lin. belg., 10½ lin. rhen. Latit. ejusdem = 16 lin. belg., 7½ lin. rhen.

CXC. Cranium Muris arvalis Linn. cum maxilla inferiore. Longit. cranii = 35 lin. belg., 1 poll. 4 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 18 lin. belg., 8½ lin. rhen. Latit. ejusdem = 15 lin. belg., 7 lin. rhen.

CXCI. Cranium Hystricis cristatae Linn. cum maxilla inferiore. Longit. cranii = 138 lin. belg., 5 poll. 3½ lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 52 lin. belg., 2 poll. rhen. Latit. ejusdem = 54 lin. belg., 2 poll. 1 lin. rhen.

CXCII. Cranium Leporis timidi Linn. cum maxilla inferiore. Longit. cranii = 96 lin. belg., 3 poll. 8 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 50 lin. belg., 1 poll. 11 lin. rhen. Latit. ejusdem = 30 lin. belg., 1 poll. 2 lin. rhen.

CXCIII. Cranium Suis aethiopici Linn. Phascochoeris Cuvierii, cute tectum.

CXCIV. Cranium Cervi .... foem., cum maxilla inferiore. Longit. cranii = 190 lin. belg., 7 poll. 3 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 85 lin. belg., 3 poll. 3 lin. rhen. Latit. ejusdem = 59 lin. belg., 2 poll. 3 lin. rhen.

CXCV. Cranium Cervi Elaphi Linn. cum maxilla inferiore. Longit. cranii = 260 lin. belg., 9 poll. 11 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 111 lin. belg., 4 poll. 3 lin. rhen. Latit. ejusdem = 59 lin. belg., 2 poll. 3 lin. rhen.

CXCVI. Cranium Antilopes Gnu Linn. cum maxilla inferiore. Longit. cranii = 470 lin. belg., 17 poll. 11 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 140 lin. belg., 5 poll. 4 lin. rhen. Latit. ejusdem = 94 lin. belg., 3 poll. 7 lin. rhen.

CXCVII. Cranium Caprae Hirci Linn. absque maxilla inferiore.

CXCVIII. Cranium Ovis Arietis Linn. cum maxilla inferiore, atque quatuor cornubus. Longit. cranii = 223 lin. belg., 8 poll. 6 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 94 lin. belg., 3 poll. 7 lin. rhen. Latit. ejusdem = 61 lin. belg. 2 poll. 4 lin. rhen.

CXCIX. Cranium Monodontis Monocerotis Linn. Ceradontis Illig. cum maxilla inferiore; alveolus dexter pro parte est clausus, alveolus sinister dentem continet longitudinis 480 lin. belg., 18 poll. 4 lin. rhen. Longit. cranii = 500 lin. belg., 19 poll. 1 lin. rhen. Longit. conc. cerebri = 146 lin. belg., 5 poll. 7 lin. rhen.

CC. Cranium Bucerotis Rhinocerotis.

CCI. Cranium Cracis globicerae.

CCII. - - - Testudinis terrestris.

CCIII. - - - Testudinis Mydae majoris, egregie suturas exhibens.

CCIV. - - - Crocodyli scleropis CUVIERII.

CCV. - - - Boae.

CCVI. - - - Xyphiae gladii.

CCVII. - - - Canis Hyaenae junioris cum maxilla inferiore, atque dentibus, egregie demonstrans eruptionem dentium secundariorum.

CCVIII. Ossa maxillaria Rajae Batis.

CCIX. Dens molaris fossilis Mastodontis (10).

CCX. Portiones tres dentium laniariorum Elephantis, quorum altera continet globum ferreum; in reliquis exostoses, sequelae laesionum, observantur.

CCXI. Lapilli ex ventriculo Struthionis Cameli.

CCXII. Ossicula ex corde Cervi, arteriae aörtae basi adhaerentia.

CCXIII. Tympanum osseum, hyoïdeo ossi adhaerens Simiae seniculi LINN. Stentoris seniculi GEOFFR.

CCXIV. Pars dimidia cranii Rhamphastotis Tucani.

CCXV. Ossa petrosa Monodontis Monocerotis LINN.

CCXVI. - - - - Delphini cum ossiculis auditus in situ.

CCXVII. Lapilli ex organo auditus Piscis.

CCXVIII. Portiones diversae cuticulae nonnullorum animalium; adest etiam cuticula oesophagi Testudinis Mydae.

CCXIX. Cutis cum inhaerente sceleto Dasypi novemcincti junioris LINN.

CCXX. Cutis caudae Castoris Fiberis LINN.

CCXXI. Portiones diversae cutis Struthionis Cameli.

CCXXII. Cornu fissum, atque politum Rhinocerotis unicornis LINN.

CCXXIII. Cranium cum maxilla inferiore Cervi junioris. Cornua cute sunt tecta.

CCXXIV. Cornu monstrosum Cervi, ex Insula Borneo.

CCXXV. Pars superior conceptaculi cerebri cum duobus cornubus Cervi Capreoli LINN. Cornua mox supra ortum ex processubus frontalibus, parum introrsum incurvatis, in contactu venerunt, et licet quam maxime sibi invicem appressa, ac quasi sutura dentata juncta sint, non tamen videntur concreta.

CCXXVI. Pars superior conceptaculi cerebri cum cornubus Cervi Capreoli. Processus frontalis ex quo cornu dextrum exsurgit diffractus, vel fissus fuisse videtur, ex luxuriante callo enata est exostosis, spinis, quodammodo coronam ita dictam cornu emulantibus, obsessa atque irregularis figurae, quae a latere capitis descendit; totus processus frontalis, lateraliter promotus obliquitatem ossium conceptaculi cerebri produxit. Prodiit tamen ex vertice partis posterioris proces-

sus

(10) Conf. CUVIER, *Oss. Fossil.* Tom. 2. *Grand Mastodonte.*

sus frontalis cornu, sed tenue, aequabile, absque ullis ramis, atque corona, et verrucosis spinis destitutum.

CCXXVII. Cranium Simiae cum maxilla inferiore. Ossa verticis sunt dissoluta ut tentorium osseum cerebelli appareat.

CCXXVIII. Pars dimidia conceptaculi cerebri Balaenae.

CCXXIX. Sceletus Simiae Saturi, altitudinis 759 lin. belg., 29 poll. rhen.

CCXXX. - - - Vampyri.

CCXXXI. - - - Talpae europaeae LINN.

CCXXXII. - - - Caviae [an agouti LINN?].

CCXXXIII. - - - Castoris Fiberis LINN.

CCXXXIV. - - - Muris Musculi LINN.

CCXXXV. - - - Cervi Elaphi LINN.

CCXXXVI. - - - Cervi Elaphi foem. LINN.

CCXXXVII. - - - Testudinis.

CCXXXVIII. - - - Tantali Ibis.

CCXXXIX. - - - Alcae.

CCXL. - - - Lacertae palustris.

CCXLI. Quatuor artus Simiae Satyri LINN.

CCXLII. Digitus constans ex quinque phalangibus, sive ossiculis distinctis, cartilagine nexis, ex pinna pectorali Cetacei.

CCXLIII. Ossa antibrachii atque pedis Trichechi Manati LINN., deficiunt ossa primi digiti, cum osse metacarpi.

CCXLIV. Scutum integrum Testudinis scorpioïdes LINN.

CCXLV. Pinna dorsalis cum scuto cervicali Siluri.

CCXLVI. Vesicula natatoria cum ductu in oesophagum terminato ex Siluro.

CCXLVII. Os penis Trichechi Rosmari; versus anteriora fractura, callo sanata, observatur.

CCXLVIII. Cornu uteri gravidi Equae; vasa eleganter ceracea rubra materie sunt impleta.

CCXLIX. Pars major membranae chorion Equae; feliciter arteriae rubra, venae caerulaea materie sunt impletae.

CCL. Funiculus umbilicalis cum uracho, atque parte membranarum ovi Equae; vasis materie rubra et caerulea impletis.

CCLI. Portio membranae chorion Equae, absque impletione vasorum.

CCLII. Vagina cum portione uteri Ovis, vasis materie rubra impletis.

CCLIII. Pars cornu uteri gravidi Ovis cum cotyledonibus.

CCLIV. Pars membranae chorion Ovis, vasis rubra et caerulea materie impletis.

CCLV. Pars membranae amnios Ovis.

PARS POSTERIOR.

PARTES EX HOMINIBUS AC ANIMALIBUS IN STATU MORBOSO.

SECTIO PRIMA.

PARTES MORBOSAE, QUAE IN LIQUORE LIMPIDO CONTINENTUR.

N°. CCLVI. Cubitus puellae; antibrachium in media parte desinit in extremum obtusum, cum cicatrice leniter sulcata in apice, superstite ab amputatione ossium cubiti.

CCLVII. Pars ossis humeri cum adhaerente cicatrice integumentorum post sanatam amputationem brachii. Ossis extremum serra dissectum perfecte sanatum est, et solis integumentis tegitur interventu cellulosae; musculi sensim extenuati, margini adhaerent, ipsa arteria nodosa in ligamenti speciem est versa.

CCLVIII. Portio ossis femoris, juxta longitudinem secta, ex homine adulto, cujus femur fune anchorali prehensum, atque ablatum fuit. Miser ille per plures menses insanabili vulnere laboravit; extremum inferius ossis, ut post amputationem, est clausum, sed ossea substantia est degenerata, porosa, crassitie aucta; integumenta extremum adhuc tegunt.

CCLIX. Pars anterior pedis dextri hominis adulti, cujus digitus tertius atque quartus deficit; non a nativitate hunc defectum adfuisse vero simile est, ex superficie cutis, speciem cicatricis, eo in loco, offerentis. Cuticula cum unguibus detracta addita est, atque desquamationem cuticulae etiam hac in parte monstrat.

CCLX. Manus sinistra hominis adulti, detracta cuticula cum unguibus. Pollex atque digitus minimus bene sunt conformati; trium vero intermediorum digitorum extrema in media parte ossium secundi ordinis videntur amputatione separata, et ipsa vulnera rite sunt sanata.

CCLXI. Manus sinistra hominis adulti, detracta cuticula cum unguibus. Pollice excepto digitorum ossa primi ordinis pro parte tantum supersunt, extrema

omnium

omnium inter se communibus integumentis sunt juncta, atque extremum digiti medii valde est deforme.

CCLXII. Femoris ossis dextri hominis adulti pars superior, in media parte corporis adfuit fractura, quae non callo sanata est, sed extrema inter se cohaerent substantia vere ligamentosa a periosteo incrassato; canalis medullaris utriusque fragmenti tamen callo clausus est.

CCLXIII. Ossis humeri sinistri lateris pars superior, hominis adulti, fractura divisum est corpus ad aliquam distantiam infra caput superius; extrema non sunt concreta, sed junguntur et ambiuntur substantia fibrosa, quae tumorem notabilem format in toto ambitu fracturae. Caput et superior tumoris pars serrae ope est divisum, ut interna structura cellularis ossea in capite, atque fibrosa structura ipsius tumoris appareat.

CCLXIV. Pars superior ossis femoris sinistri infra trochanterem fracta; in altero extremo apparet callus noviter productus, vaginae speciem producens, in altero exfoliatio partis mortuae tantummodo locum habuit, nulla vero calli secretio hac in parte observatur (1).

CCLXV. Pars inferior ossis femoris in tria fragmenta insignia diffracta, per callum coalita et fere sanata.

CCLXVI. Pars superior ossis femoris sinistri lateris hominis adulti, oblique ad infimam partem colli fracta in tria fragmenta; medium fragmentum, cui adhaeret trochanter minor, copioso callo jungitur collo; hoc vero a fragmento inferiore adhuc disjunctum est, neque ullum secretionis calli praebet indicium. Ex cavitate vero medullari inferioris fragmenti propullulat jam substantia callosa, dum partim periosteo indurato, vel in crassato haec omnia cohaerent.

CCLXVII. Ossa duo artuum mammalium; alterum fractura composita fuit laesum, sed fragmenta varia callo rursus sunt conferruminata. Alterum simplici fractura fuit divisum, atque extrema copioso callo sunt conjuncta, sectione hujus ossis juxta longitudinem egregie tam substantia naturalis ossis, quam substantia calli apparet.

CCLXVIII. Ossa cubiti Canis, quae diffracta fuerunt, sed callo conferruminata sunt.

CCLXIX. Articulatio genu dextri lateris hominis adulti. Os femoris supra condylos transversim, simulque perpendiculariter fuit fractum, adeo ut fractura transierit per superficiem articularem, cui patella incumbit. Levia indicia formationis crenae separationis inter partes vivas, et necrosi affectas, apparent.

CCLXX. Articulatio genu sinistri lateris hominis adulti. Condylus externus fe-

(1) A. Bonn, *Tab. Oss. morbos. praecipue thesauri* Hoviani, pag. 12. Tab. 19.

femoris fuit diffractus, unde caries totius articuli fuit producta, hinc cartilagines articulares perierunt, atque tota superficies articularis aspera se offert.

CCLXXI. Articulus cubiti foeminae. Os humeri parum supra caput inferius fuit diffractum in tria frusta, extremum superius necrosi affectum, nondum cum duobus reliquis fragmentis, quae cum ossibus cubiti articulantur, coaluit. Fragmenta vero inferiora copioso callo valde sunt deformia, ita ut tubercula potius referant; superficies articulares, licet fractura per mediam ejus partem transierit, sunt sanissimae.

CCLXXII. Os femoris Cervi junioris, cujus caput a collo diffractum fuit, fractura nondum est sanata, superficies ossis femoris, quae juxta caput in acetabulo relictum, movebatur, ampliata atque inaequalis observatur.

CCLXXIII. Pars superior ossis femoris hominis adulti, in quo adfuit fractura ipsius colli, quae copioso callo, formante limbum crassum, sanata est.

CCLXXIV. Clavicula in media parte in plura fragmenta fracta, et serrae ope juxta longitudinem divisa. Fragmenta illa rursus callo conferruminata sunt, sed totum os singulari modo curvatum est.

CCLXXV. Articulus coxae dexter vetulae. Caput ossis femoris pro maxima parte crusta cartilaginea obductum est, ligamentum teres fuit abruptum, fovea tamen, cui inserebatur, conspicitur; ligamentum capsulare dilatatum, et elongatum adscensum capitis ad ilei dorsum permisit; locus novus articularis periosteo valde incrassato tegitur, atque in ambitu cingitur reliquiis musculi glutei minimi; acetabulum pro parte est deletum, atque triangularis figurae; ex periosteo colli femoris, et ex superficie interna ligamenti capsularis filamenta copiosissima prodierunt, quae harum membranarum superficiem rugosam reddunt.

CCLXXVI. Os innominatum cum superiore parte ossis femoris sinistri lateris hominis, qui ex luxatione femoris claudicavit. Dissecto ligamento capsulari cernitur caput ossis sursum retrorsumque luxatum, et speciem novae articulationis in superficie externa ossis ilei adesse. Cavitas nimirum nova ex prominente margine osseo fuit producta, cujus superficies est inaequabilis atque porosa. Caput ossis femoris est compressum, totum lamella cartilaginea orbatum, et scabrum. Ligamenti teretis nullum superest vestigium. Acetabulum naturale est deletum.

CCLXXVII. Articulus coxae sinister puellae; dissecto ligamento capsulari, cernitur caput femoris ex acetabulo luxatum, cartilagine sua naturali incrustatum, ligamento tereti carens, licet insertionis fovea adsit. Membrana articuli interna reflexa juxta collum, exhibet plures fimbrias a quibus pinguedinosi globuli dependent. Os innominatum novum acetabulum ora crassa, callosa terminatum, exhibet; acetabulum naturale quod partim deletum est, continet similes fimbrias, cum globulis pinguedinosis.

CCLXXVIII. Articulus coxae lateris sinistri ex homine adulto. Caput femoris ex-

extrorsum et retrorsum luxatum fuit, adeo ut supra incisuram ischiadicam nova superficies articularis producta sit, deleto acetabulo naturali, atque partim pinguedinosa substantia repleto.

CCLXXIX. Puellae os ileum dextrum, cum parte superiore ossis femoris, caput ossis femoris luxatum est, abruptum ligamentum teres ei insertum conspicitur; capite ossis femoris retrorsum sursumque propulso, novum acetabulum fuit productum, cujus superficies articularis partim scabra est. Ligamentum capsulare ex margine acetabuli producti provenit. Acetabulum naturale est deletum.

CCLXXX. Articulatio ossis femoris dextri lateris cum osse innominato hominis adulti. Cavitas acetabuli sursum retrorsumque valde est dilatatum, tota ipsius pars semilunaris cartilagine orbata, scabra est, et fundus substantia molli repletus; caput ossis femoris volumine imminutum a cartilagine orbatum, carie erosum est; ligamentum teres plane est destructum.

CCLXXXI. Os innominatum cum capite ossis femoris hominis adulti, qui claudicavit; in osse innominato apparet acetabulum amplitudine sursum inprimis auctum, ipsius pars lunata, solito latior, crusta cartilaginea orbata est, sicque nova quasi articuli cavitas producta fuit. Caput ossis femoris solito magis compressum, in vertice superficiem partim politam, partim reticularem, monstrat, ambitus capitis limbo crasso, osseo, revoluto cingitur.

CCLXXXII. Os innominatum cum superiore parte ossis femoris infantis recens nati, specimen claudicationis congenitae offerens. Ligamentum teres deficit, nullum enim vestigium ipsius insertionis in capite femoris superest. Acetabulum cavitatem offert solito planiorem, sursumque propulsam, partim cartilagine tectam; caput ossis femoris solito minus globosum, ab inferiore et interiore cum collo format superficiem, aequabilem, quae cum deformi acetabulo conveniens articulationem constituebat.

CCLXXXIII. Os innominatum cum femoris osse sinistri lateris, infantis recens nati, in quo acetabulum nimis est angustum, sursumque parum protrusum; caput ossis femoris etiam solito magis est acuminatum.

CCLXXXIV. Pollex hominis adulti, cui, in dorso articulationis digiti cum metacarpo, tumor fungosus cum exulceratione integumentorum adhaeret.

CCLXXXV. Ossa pollicis ligamentis nexa. Caput inferius ossis metacarpi valde tumefactum ab interiore totum exesum est.

CCLXXXVI. Digitus hominis adulti cum ulcere fungoso in dorso, quo caries phalangis delitescit.

CCLXXXVII. Digitus ex tumore fungoso totus deformis.

CCLXXXVIII. Sternum hominis adulti in parte superiore, et media carie affectum. Inter musculos pectorales tumor aderat cum apertura fistulosa, ex qua sanies continuo exstillabat, periosteum est degeneratum, incrassatum, in fundo

tumoris cernitur apertura fistulosa ad cariem ossis tendens.

CCLXXXIX. Manus sinistra hominis adulti. Os supremum, ac pro parte secundum digiti indicis perierunt, hinc in phalange secunda extenuatus valde digitus in mucronem tenuem desinit, cui tamen inhaeret parvus unguis. Sensilissimus fuit totus hicce digitus, durante vita, ita ut a leviori attactu dolor ingens produceretur.

CCXC. Fibulae pars inferior tota tumida hyperostosi, atque partim cute ulcerosa tecta (2).

CCXCI. Tibia hominis adulti quae hyperostosi intumuit; partim cute tegitur, in qua ampla cicatrix ulceris antea praesentis adest.

CCXCII. Tibiae pars inferior simili ratione affecta, atque cute ulcerosa tecta (3).

CCXCIII. Tibiae pars eodem morbo affecta, cum ulcere fungoso integumentorum.

CCXCIV. Pes dexter infantis sphacelo affectus, et a crure separatus.

CCXCV. Portio tibiae juxta longitudinem dissectae. Parte inferiore cum pede congelata, crena circa malleolos exorta fuit, et os mortuum a sano separatum fuit.

CCXCVI. Pars anterior utriusque pedis hominis adulti. In pede sinistro digiti sphacelo correpti, atque ad ossa metatarsi perierunt; trium minorum digitorum ossa primi ordinis nuda prominent; in duobus anterioribus digitis superficies articulares ossium metatarsi sanae observantur. Integumenta communia cicatricem jam formare incoeperunt. In pede dextro extrema ossium metatarsi in fundo cicatricis partium mollium conspiciuntur.

CCXCVII. Pedis extremi sinistri pars anterior ex homine robusto; sphacelo correpti sunt digiti omnes, usque ad mediam partem ossium primi ordinis. Crena separationis in partibus mollibus tota est formata; ipsa ossa licet denudata, indicia separationis non exhibent; digiti minimi phalanges binae priores sunt separatae, atque os nudum prominet.

CCXCVIII. Pars anterior pedis sinistri hominis adulti. Phalanges binae priores quatuor digitorum priorum sphacelo correptae, perierunt; cutis retracta est circa ipsa extrema ossium; ossa primi ordinis valde prominent, eorumque superficies articulares cariosae observantur.

CCXCIX. Manus dextra adulti hominis sphacelo correpta, cum tendinibus musculorum, ab antibrachio separata.

CCC. Maxilla inferior, foeminae adultae cujus pars dextra tota, a con-

(2) A. Bonn, *Tab. Oss.* pag. 14. Tab. 22. fig. 1.

(3) Ibidem, pag. 14. Tab. 22. fig. 4.

condylo ad mentum usque degenerata est in tumorem insignem, fungosum, ad osteosteatomata referendum. In ipso cranio, quod siccatum adservatur, cernitur, tumore maxillae corpus ossis maxillaris superioris compressum fuisse, hinc periit partim ejus pagina externa, et antrum HIGHMORI apertum cernitur. Os jugale ab inferiore extenuatum, extrorsum incurvatum, atque pro parte absorptione deletum est, ut etiam processus zygomaticus ossis temporis pro majori parte deficiat. Articulatio ossis temporis cum maxilla inferiore indicia etiam offert, morbo affectam fuisse; dentes fere omnes maxillae superioris fuerunt evulsi, alveoli perierunt, et superstes margo quodammodo cariosus est.

CCCI. Sternum hominis adulti juxta longitudinem sectum, totum deforme, in externa pagina maxime distentum, atque degeneratum in substantiam fibrosam, compactam, cum steatomatum natura convenientem.

CCCII. Os innominatum dextrum cujus pars, os ileum dicta, degenerata est in massam informem sub-cartilagineam, fungosam, quae ex ipso meditullio ossis originem trahit.

CCCIII. Segmentum majus ejusdem tumoris; in quo substantia mollis, elastica, grumosa, glomerata, cartilaginea, egregie apparet.

CCCIV. Segmentum simile.

CCCV. Segmentum simile, in quo fragmenta majora ossea observantur.

CCCVI. Manus sinistra, cujus omnia fere ossa tam metacarpi, quam digitorum ex similibus tumoribus maxime deformia sunt. Digitus index et minimus ab omni degeneratione sunt liberi.

CCCVII. Pollex dextrae manus ejusdem hominis, simili tumore deformis; tumor juxta longitudinem dissectus intus similem substantiam fungosam ostendit. Addita est costa spuria, circa extremum cartilagineum tumens.

CCCVIII. Ejusdem hominis fibulae sinistrae, in extremitatibus maxime tumefactae, pars altera, post dissectionem juxta totam longitudinem; extrema tument simili substantia, fibroso-cartilaginea.

CCCIX. Radii dextri ejusdem hominis, per longitudinem dissecti, pars altera; simili tumore extremum inferius maxime etiam degeneratum est.

Haec praeparata a N°. CCCII ad CCCIX, ut et ea quae dein inter praeparata pathologica siccata a N°. DCXXXIX ad DCXLV descripta sunt, unius ejusdemque hominis sunt, de quo Cl. BONN sequentia annotavit.

Homo viginti septem annorum, iteratos lapsus ex alto, atque contusiones validissimas, tanquam causas deformitatum, prae se ferens, lento ac vacillante gradu incedebat, et, monstrose tuberosis manibus, atque cruribus tumidis, curvatisque, victum quaeritabat. Post lentam febrem hydropicus obiit. Secto cadavere, viscera omnia laxiora, caeterum secundum naturam constituta inveni; cavitates vero abdominis, thoracis atque cranii, quin et cerebri ventriculos sero

repletos; cruribus atque scroto circa mortem aqua inter cutem tumentibus. Statura hominis deformis. Altitudo a vertice ad pubem 36 pollices rhenolandicos aequabat; a pube ad calcem vero 22 pollicum. Longitudo ossis humeri sinistri 14 poll. Illa dextri, ad angulum rectum reflexi, 9 poll. erat. Contra, cubiti dextri brevioris olecranum 9 poll. distabat a carpi articulo. Illud ulnae sinistrae, naturalis, 14 poll. Distantia coxarum a se invicem, sive a summo osse ileo dextro ad sinistrum, erat 13 pollicum. A media synchondrosi pubis ad tuber ilei dextri superius distantia erat 6 poll., ad sinistrum vero 8 pollicum. Tumor ingens, solidus, sed mollis atque renitens, partem abdominis atque pelvis sinistram occupabat, vertebris inferioribus lumborum, ossi sacro, ileo, ischio atque pubis adhaerens, ita, ut haec ossa partem tumoris constituere viderentur. Peritonaeum integrum, tumorem hunc cavo abdominis proprio excludebat. Nervi lumbares atque iliaci, iliaca vasa, et ureteres, nec non musculi psoae atque iliaci interni fibrae extenuatae, et in majorem latitudinem expansae, supra dorsum tumoris ad inguen atque pelvim incedebant. Substantia tumoris dissecti pinguedini spissae, induratae, et solidae similis, ossiculis parvis hinc inde per illam massam dispersis; quod osteosteatoma vocatur. Accuratiori examine instituto, cognoscebatur totum os ileum cum parte ischii, sacri, atque vertebrarum lumborum inferiorum, in hanc substantiam degenerasse. Putrefactione enim depuratae reliquae partes constant vertebris lumborum dimidiis, dimidio sacro, atque coxae parte anteriore, qua pubis os atque ischium tuberosum foramen ovale dictum includunt, et acetabulum constituere juvant. Inter reliqua hujus sceleti ossa, caput osseum atque maxilla, vertebrae colli et dorsi omnes, cum tribus lumborum, omnes costae, sternum, claviculae atque patellae integrae. Vertebrae dorsi duae mediae per arcus suos posteriores concretae sunt. Pars dextra arcus vertebrae superioris, diffissa quasi, dehiscit; disjuncta pars sinistra, depressa, cum arcu vertebrae inferioris concrevit. Caetera ossa originem atque incrementum morbi rarissimi interni exhibent. Ileum dextrum, pars sinistri quae superest, et scapulae, una alterave parte in tumorem nodosum assurgunt. Cortex ossis, illis in locis extenuatus, crebris foraminibus dehiscit, reticulatus. Medulla, sive meditullium tabularum, substantia quadam molli, caerulea, turgidum, corticem expandit, atque extenuatum tandem divisit. Depurato osse absque putrefactione, mollis illa massa tota exsiccata est, et reticularem etiam internam fabricam exhibet. Femur dextrum incurvum, parte posteriore convexum. Femur sinistrum in partem exteriorem curvatum. Tibiae atque fibulae in partem dextram curvatae; hinc crura a parte sinistra concava fuerunt. Corpus ossis cujuscunque juxta naturam crassum. Capita superiora et inferiora quasi inflata, tumida, parte qua componuntur cartilaginea; per reliquum vero ambitum cortex expansus, extenuatus; atque dissolutus in formam reticularem, substantiam internam mollem

lem fungosam, post depurationem exsiccatam, continens atque recondens. Ossa pedum eodem vitio affecta, maxime calcaneum dextrum, et ossa metatarsi atque digiti, putrefactione, et prudenti separatione a substantia fungosa depurata, maximam partem constructionis internae destructam, atque deperditam exhibent, absque ulla tamen cariei nota, ossibus siccissimis, nitidissimis. Os humeri dextrum medium ad rectum angulum inflexum. Sinistrum naturale, nisi quod, cubiti articulo defigurato, per capitulum cum ulna, et novae trochleae specie cum radio committatur. Ulna sinistra brevior, incurva, capite inferiore turgido; dextra naturalis. Radius sinister integer. Ossa carpi, metacarpi atque digitorum manus dextrae, ossibus pedum simillima, adeo ut habitus et vitium alterius et altero cognoscatur. Manus sinistrae carpi ossa non tument. Metacarpi vero atque digitorum ossium capita turgida tumores nodosos, atque globosos exhibent, quorum alii, periostio suo denudati, substantiam mucilaginosam, pulposam; alii concrementum solidius; alii induratum; alii penitus osseum referunt. Partes, quibus phalanges digitorum inter se et cum metatarso componuntur, cartilaginosae sunt. Ratione varia, qua tumor magis exteriorem, vel interiorem partem occupaverit, digiti incurvati sunt, et integumentis obducti monstrosam referebant molem. Digitus index atque auricularis, tumoribus non affecti, respectu reliquorum emaciati apparent. Costae duae circa extrema cartilaginea simili modo intumescunt, cortice ossis adhuc integro. Digitus index atque pollex manus dextrae, eodem morbo turgidis ossibus idem demonstrant. Radius dexter atque fibula sinistra, serra per longitudinem diffissa, et a medulla sanguinolenta lotione depurata, vitiatam internam fabricam, causamque tumorum illustrant. Capita horum ossium distenduntur substantia molli, elastica, grumosa, glomerata, glandulosa, caerulei coloris, intra fibrosas osseas cellulas nata, cujus minoribus globosis corpusculis cancelli dilatantur; hisque dilatatis, plures globuli unam massam constituunt. Nulla etiam in hisce speciminibus sive purulentae materiei, sive cariei praegressae, vestigia visuntur. Cellulosa tela, cellulas capitum internas obducens, ipsaque medulla, sedes videtur morbi, quem ad fungos refero. Si autem a statu illo morboso, ad naturalis fabricae degenerationem successivam concludere liceat, non incongruum erit judicare, atque statuere aegrum a nativitate, aut prima aetate saltem rhachitide laborasse; et capita ossium hinc nodosa facta, tale incrementum cepisse, quod Ventositatis nomine antiquo designari mereretur. Absque ulla aut acris synoviae, aut corrosae ossium fabricae nota, absque omni dolore, et non nisi pondere molesta, pro benignissimo morbo habenda, maximam affinitatem cum ita dicto Osteosteatomate ostendit; a capitum ossium tumore, interna ulceratione atque carie dolente, obscuris illis Spinae ventosae atque Ventositatis spinae nominibus insignito, natura sua atque symptomatibus plane diversa.

CCCX. Spina dorsi infantis recens nati, habitus sani, sed cujus summus

humerus dextri lateris magis elevatus erat quam sinister, adeo ut curvatura spinae suspicari liceret. Nitidissime depuratis omnibus vertebris cum osse sacro, constat vertebras lumborum quidem parumper sinistrorsum prominere, sed hanc curvaturam vix a deformitate corporum vertebrarum originem traxisse; verum in superiore parte spinae revera ex deformitate vertebrarum superiorum dorsi, et inferiorum cervicis, curvatura observatur singularis. Nimirum corpus vertebrae dorsi nonae figuram habet cunei, et vix ad mediam spinae partem se extendit, hinc a sinistro latere corpus vertebrae octavae cum corpore vertebrae decimae jungitur, oblique quam maxime posito corpore vertebrae decimae. Vertebra dorsi duodecima, quoad figuram et situm, convenit cum corpore vertebrae nonae, hinc rursus vertebra infima cervicis, oblique posita, a sinistro latere conjungitur cum corpore vertebrae undecimae dorsi. Vertebrae cervicis sextae corpus a latere sinistro habet figuram cuneiformem, et se ultra mediam partem spinae non extendit, ita ut corpus vertebrae quintae cervicis cum corpore vertebrae septimae cervicis a latere dextro cohaereat. Duplex inde enata est flexura spinae, et tamen dens epistrophei fere perpendiculariter adsurgit. Ex his deformitatibus corporum vertebrarum, etiam confusio arcuum, et processuum transversalium producta fuit. A posteriore dextra pars arcus vertebrae dorsi septimae, octavae, et nonae cohaeret cum sinistra parte arcus vertebrae septimae et nonae, praesente tamen processu transverso octavae; pars sinistra arcus vertebrae supremae dorsi et infimae cervicis etiam confluxerunt, et conjuncta cum simili parte vertebrae sextae cervicis, conjungitur cum parte dextra arcus vertebrae infimae cervicis. Tandem pars sinistra arcus vertebrae quintae cervicis tegit ferme totam hanc partem lateralem vertebrae quartae cervicis.

CCCXI. Vertebrae omnes dorsales pueri, qui carie vertebrarum laboravit, corpus vertebrae quintae totum est destructum, corpus vertebrae sextae in externa superficie valde est erosum, substantia vero ligamentosa inter haec corpora vertebrarum non videtur affecta.

CCCXII. Sternum infantis recens nati, plura puncta ossificationis monstrans; catilagines costae secundae et tertiae dextri lateris inter se concretae sunt.

CCCXIII. Os humeri infantis cachectici juxta longitudinem dissectum; intumescens inprimis superior ossis pars fabricam cellularem, spongiosam egregie exhibet; vasa copiosa, materia ceracea turgida, ad medullam decurrentia per poros ampliatos in superficie externa, et in hac, et in medullari parte bene conspiciuntur.

CCCXIV. Radius atque ulna infantis cachectici junioris; maceratione in aqua haec ossa depurata sunt, atque egregie fabricam spongiosam, cellularem ossis probant; in ulna, juxta longitudinem dissecta, ipsa degeneratio omnium optime apparet.

CCCXV.

CCCXV. Ossa trunci et artuum, ligamentis naturalibus nexa infantis recens nati, qui rhachitide congenita laboravit; omnia ossa sunt emollita, atque valde deformia; imprimis nodosa quasi, atque contorta sunt ossa longiora artuum. Hujus infantis caput hydrocephalo affectum, et copiosissima puncta ossificationis in diversis ossibus monstrans descriptum invenitur N°. DCXXVIII.

CCCXVI. Trunci ossa inter se ligamentis nexa infantis rhachitici; omnia ossa sunt tumida, magis cellularis fabricae, et in spina dorsi levis observatur curvatura.

CCCXVII. Infantis rhachitici varia ossa, omnia turgida.

CCCXVIII. Scapula dextri lateris, claviculae, ossa humeri, et os femoris infantis rhachitici, omnia emollita, turgida, atque spongiosa; alterum os humeri fractum antea fuisse videtur. Periosteum in nonnullis partibus relictum praeter modum est crassum, atque compactum.

CCCXIX. Foetus octo mensium, sexus potioris, vitio integumentorum laborans; haec enim in omnem fere directionem fissa sunt; ipsae fissurae non tantum cuticulam et rete mucosum dividunt, sed externam paginam cutis etiam diviserunt, hinc ubique in fundo fibrosam quasi superficiem monstrant. Tota facies maxime est deformis, os hiat, labia insolitae sunt figurae, valde tumida; nasus totus est compressus, ultra faciem non prominet, aperturas vix, et praeterea valde deformes monstrans; palpebrae sunt clausae, parvae, degeneratae; auriculae adesse videntur, sed a reliqua cute non separatae; substantia fibroso-cartilaginea prominentiam his in locis quasi producit, in qua meatus auditorius deformis cernitur. Manus sunt deformes, atque digiti nimis inter se concreti, extremitatibus acutissimis terminantur. Bis talem morbosum infantem peperit eadem haec foemina.

CCCXX. Puellae manus sinistra, addita cutis antibrachii portione. Cutis superficies aggregatione tuberculorum tota quanta est verrucosa, ut apparet imprimis iis in locis, ubi epidermis separata est. Cuticula incrassata et in verrucas elevata nigrescentis est coloris, et verrucas, quae videntur separatim a cute recessisse, inter se quasi conjungit.

CCCXXI. Pars faciei hominis adulti, in radice atque dorso nasi cutis est degenerata, quasi verrucosa, interpositis pilis crassis, brevibus, atque fasciculatim prodeuntibus.

CCCXXII. Epidermis totius manus hominis adulti, hinc et illinc dilacerata, cum adnexis unguibus, violenta pulveris pyrii explosione separata a cute.

CCCXXIII. Lipoma, sive massula pinguedinosa in membrana cellulosa, sub cute in fronte collocata, atque compressione ad os frontis applanata.

CCCXXIV. Lipoma cellulosae involucro cohaerens cum reliqua laxiore cellulosa substantia.

CCCXXV. Talpa, qui verticem vetulae obsidebat; superficies tumoris crinibus nuda cernitur, in ambitu vero pilis cingitur.

CCCXXVI. Talpa similis, per medium dissecta, ut fabrica interior pateat. Constat ex duobus folliculis valde dilatatis inter cutem externam et subjectam aponeurosin sitis.

CCCXXVII. Talpa similis etiam dissecta, constans unica cavitate, continente substantiam sebaceam crassam, coriaceo cortice obductam.

CCCXXVIII. Atheroma majus e dorso scapulae hominis adulti operatione resectum, dissectione per mediam partem exhibens praeter integumenta communia involucrum tumoris celluloso-aponeuroticum, et reliquam substantiam pinguedinosam divisam in plures globulos minores.

CCCXXIX. Steatoma oblongo-ovatum cute tectum, per mediam longitudinem dissectum, ut appareat fabrica interior, quae magna pro parte constat fungosa quasi membranacea substantia, fibris atque vasis conspicuis, quae a latiore pedunculo disperguntur in reliquam partem globosam.

CCCXXX. Steatoma globosum cute tectum, atque circa basin contractum, ita ut a pedunculo quasi dependeat; subjectae aponeurosi fermiter adhaerebat, unde in dissecta basi promineat substantia valde fibrosa, compacta, ex qua totus tumor quasi evolutus est.

CCCXXXI. Portio cutis ex furunculo degenerata, in vertice aperturam monstrans.

CCCXXXII. Portio cutis cum tela cellulosa, pinguedine infarcta, ex dorso hominis robusti, cui stigma a carnifice inustum fuit; post sanationem vero vix cicatrix conspicitur.

CCCXXXIII. Portiones duae cutis, detracta epidermide. In altera cicatrix cernitur insignis illati vulneris.

CCCXXXIV. Portio cutis cum cicatrice oblonga valde contracta, in qua cuticula regenerata est; a parte posteriore tela cellulosa valde est stricta; cuti adhaeret tumor glandulosus.

CCCXXXV. Auricula sinistra hominis adulti, a margine inferiore helicis pars abscissa fuit, quae ab inferiore prope lobulum a cute dependet, in margine cicatrix observatur.

CCCXXXVI. Brachium dextrum infantis, qui variolis laboravit; cernuntur recentes cicatrices variolarum. Arteriae sunt impletae unde parum rubet cutis.

CCCXXXVII. Pedis extremi sinistri pars anterior hominis adulti; apices trium digitorum priorum, post separationem ultimarum phalangum ex sphacelo, cicatricibus sanati conspiciuntur.

CCCXXXVIII. Portio cuticulae a pede separata, cui inhaeret callosa durities, clavus dicta; ab interiore cernitur quantopere clavus penetraverit cutem.

CCCXXXIX. Pollex integumentis tectus totus deformis, partim ex cicatrice, ut videtur.

CCCXL. Digitus manus cujus apex juxto minor, atque deformis est, et cui unguis unciformis, in fundo lagenae nunc posita, inhaesit.

CCCXLI. Pollex pedis extremi, cum detracta cuticula, cui inhaeret deformis unguis.

CCCXLII. Ungues deformes.

CCCXLIII. Pollicis manus hominis adulti pars extrema, seu apex digiti cum tendine musculi flexoris longi, ad longitudinem aliquot pollicum summa vi a manu et antibrachio dilacerato.

CCCXLIV. Musculus pectoralis dexter tibicinis et quondam gladiatoris, qui aneurysmate in arcu arteriae aortae laboravit, quod, carie consumta parte ossis sterni, inter costam primam et secundam penetravit, et musculum hunc in tumorem, mammae muliebri similem elevavit, tandemque extrorsum disruptum fuit. Ab exteriore musculus partim tegitur integumentis communibus, in quibus foramen rupturae adest, ab interiore cernitur paries sacci, quo sanguinis concrementum polyposum continebatur (4).

CCCXLV. Lingua cum larynge atque tonsillis hominis robusti. Tonsilla dextra ulcerosa est, ipsumque ulcus in media parte valde profundum videtur.

CCCXLVI. Lingua cum larynge viri, dissecta longitudinaliter pharynge constat fauces ulcere fuisse exesas, totamque epiglottidem periisse, sed omnia feliciter fuerunt sanata.

CCCXLVII. Larynx cum lingua foeminae, quae ulceratione in isthmo faucium laboravit; cicatrice maxime contracta et rugosa est radix linguae, ipsaque epiglottis valde est deformis, atque partim ulceratione deleta. Linguae pars dextra sectione longitudinali est ablata.

CCCXLVIII. Foeminae adultae oesophagi pars inferior cum parte sinistra ventriculi juxta longitudinem aperti. Ex abscessu, qui ante rupturam omnem descensum alimentorum impediverat lata ulcerosa plaga circa cardiam cernitur, dum et reliqua interna tunica ventriculi etiam affecta est; sana vero est superficies interna oesophagi supra locum ulcerosum. Aegrota brevi post rupturam abscessus ex diarrhoëa purulenta obiit.

CCCXLIX. Ventriculus cujus superficies interna ab assumto arsenico est erosa, cum ulcere satis magno, omnes tunicas penetrante.

CCCL. Pars ventriculi inversi, inflammata, ac ulcerosa cernitur ipsius superficies interna.

CCCLI.

(4) Conf. A. Bonn, *Descript. Thesauri Ossium morbos.* Hoviani, Amst. 1783. in 4to. pag. 103. N°. 346.

CCCLI. Pars ventriculi et duodeni per longitudinem dissecta. Pylorus induratus, ac quasi cartilaginosus est, glandulae pyloro adjacentes etiam sunt induratae, et partim ossificatae.

CCCLII. Pars similis ventriculi; pylorus scirrhosus et exulceratus in substantiam fungosam excrevit.

CCCLIII. Portio intestinorum inflammatione affecta, tunica mucosa est incrassata, atque magis tuberculosa, quam villosa.

CCCLIV. Intestinorum pars post inflammationem tunicarum internarum suppuratione affecta.

CCCLV. Intestinorum pars hominis, qui gravi peritonitide laboravit, qua pseudo-membrana obductus est tubus intestinalis.

CCCLVI. Portio intestini jejuni ex juvene, qui alvum laxandi causa, prunos comederat, et horum nuces simul deglutiverat; hae in contracta intestini parte retentae, stimulo inconsueto inflammationem, atque exulcerationem produxerant, ita, ut post mortem externa intestini superficies pseudo-membrana obducta, et nux in ulcere angustati tubi intestinalis haerens inventa fuerit; cingitur tota haec intestini portio degenerato maxime omento, cum quo partim, ut et cum peritoneo etiam concreta est.

CCCLVII. Pars intestini jejuni et ilium, longitudinis 785 lin. belg., 30 poll. rhen. gangraena correpta, quae ex ano artificiali, relicto post herniam scrotalem, gangraena correptam, prodiit, et a perito Chirurgo WESTINGH, ligatis mesenterii vasis feliciter fuit resecta. Totus hic tractus est inversus, tunica interna apparet tumefacta ex praegressa inflammatione (5).

CCCLVIII. Volvulus intestinalis, seu intussusceptio ex infante juniore. Impletione arteriarum tota haec pars intestini rubet.

CCCLIX. Portio integumentorum ac musculorum abdominis ab interiore peritoneo tecta, ex regione umbilicali cum parte omenti majoris, quod parvum saccum herniosum intravit, atque principium herniae abdominalis produxit.

CCCLX. Pars musculorum abdominis, cum cicatrice umbilici, in linea alba supra umbilicum offerens tumores duos, sub globosos, herniosos; a parte posteriore cernitur omentum saccos herniosos distendens, atque sic duplicem herniam omentalem in linea alba producens.

CCCLXI. Puella recens nata cum insigni hernia umbilicali. Funis umbilicalis in saccum tenuem membranaceum terminatur, atque unica constat arteria, et vena umbilicali. Sacco nunc dissecto continebatur hepar, ventriculus, lien, atque tractus intestinorum; saccus cum cavitate abdominis communicat per aper-

tu-

(5) Conf. *Verhand. van het Genootschap ter bevordering der Heelkunde te Amsterdam.* Ibidem 1791. D. 1. p. 206.

turam sat magnam inter sternum et umbilicum obviam, dum infra hanc abdominis integumenta sunt sanissima. Hepatis forma est oblonga, globosa, ligamenti lati nullum superest vestigium, atque vena umbilicalis fissuram in ejus parte sinistra intrat, postquam aliquamdiu a sacci pariete remota processerit. Lien est parvus; a curvatura majori ventriculi in partem dextram procedit filamentum satis longum, ut videtur solidum, quod in anteriorem sacci parietem desinit, ibique speciem cicatricis aperturae deletae ab exteriore repraesentat. Tenuia intestina partim concreta sunt cum hepatis lobo dextro.

CCCLXII. Puer recens natus cum ingenti hernia umbilicali, continente praeter hepar, lienem, atque ventriculum, omnia intestina; saccus ipse in ambitu est dissectus, in inferiori autem ipsius parte, in loco solito, umbilicus invenitur. Hepatis figura quodammodo est triangularis cum rotundatis angulis. Intestina omnia solitae sunt capacitatis, crassa paululum magis distenta, caeco fine terminantur, dum atresia ani laborabat, ita ut nequidem vestigium ani observetur. Pedes, inprimis dexter, sunt introrsum conversi. Ipsum intestinum rectum totam capacitatem pelvis minoris exacte replet. Testes in abdomine adsunt. A latere dextro sub integumentis communibus magna adest cavitas, quae tamen cum abdomine nullam directam communicationem habere videtur, et clunem dextram etiam occupat.

CCCLXIII. Hernia inguinalis ovalis figurae, satis magna juxta funem spermaticum descendens; saccus totus adhuc est clausus, et insignem portionem omenti continet.

CCCLXIV. Hernia scrotalis ansam intestini ilium includens. Collum sacci est integrum sed infra hoc totus saccus longitudinaliter est dissectus, descendens usque ad mediam partem funis spermatici.

CCCLXV. Hernia scrotalis, continens partem intestini ilium. Saccus herniosus juxta longitudinem est dissectus, dissecta simul est tunica vaginalis solum testem includens, in orificio sacci invenitur intestinum coecum cum portione ilium, quae herniam produxit.

CCCLXVI. Hernia inguinalis continens ansam intestini ilium, ubi coeco inseritur. Saccus herniosus a fundo usque ad ostium longitudinaliter est dissectus, hoc vero non divisum, sed concretum cum elapso intestino cernitur. Inflammatione affectum fuisse totum intestinum ex lympha plastica effusa constat; pone saccum herniosum dependet testis.

CCCLXVII. Hernia inguinalis duplex, alter saccus continet portionem intestini ilium, cum quo concretus est; alter vero saccus vacuus, praecedente paulo minor est; funis spermaticus inter duos saccos decurrit; in primo sacco ubique incrassato cernitur circa fundum lamella ossea, exteriori superficiei applicata.

CCCLXVIII. Saccus herniae inguinalis sinistri lateris foeminae, juxta longitu-

dinem dissectus. Hac hernia insignis magnitudinis, et ad partem mediam femoris fere descendenti, continebatur magna portio omenti et mesenterii cum intestino ilium, major pars intestini coli, nec non intestinum coecum, e sede sua naturali totum ergo detractum, ut et ovarium sinistrum, tuba Faloppiana, et uterus. Infra collum valde dilatatum hujus sacci herniosi, plica transversalis crassa et introrsum multum prominens cernitur, quae solo sacco a peritonaeo producto constituitur.

CCCLXIX. Hernia inguinalis insignem portionem omenti, cum collo sacci concretam, continens; ipsum omentum a collo sacci valde fuisse constrictum, ex relicta impressione apparet, dum simul pinguedinis copia in parte elapsa fuit aucta. Infra saccum herniosum cernitur testis.

CCCLXX. Hernia inguinalis praeter portionem omenti, processum vermicularem intestini cocci continens. Saccus infra collum juxta longitudinem est apertus, atque ad tunicam vaginalem testis descendit, hac aperta cernitur testis.

CCCLXXI. Funis spermaticus cum teste, cujus superiori parti adhaeret saccus herniae inguinalis, globosae formae, qui juxta funis partem superiorem descendit.

CCCLXXII. Funis spermaticus cum teste, juxta quem duplex saccus herniosus descendit.

CCCLXXIII. Funis spermaticus cum teste, cujus superiori et anteriori parti adhaeret saccus herniosus.

CCCLXXIV. Saccus herniosus cum angustato collo, totus inversus, ut paries interior sit exterior. Introitus plica fuit angustatus, quae incarcerationis causa fuit.

CCCLXXV. Saccus herniae inguinalis cum fune spermatico et teste, gangraena correptus. Saccus ipse juxta longitudinem dissectus est, et in pariete posteriore circa fundum conspicitur apertura insignis, ovalis, marginibus crassis cincta, tendens in alium saccum pone priorem rursus adscendentem, atque insignis capacitatis.

CCCLXXVI. Saccus herniae scrotalis gangraena correptus; ab exteriore pars cutis scroti adhaeret; ab interiore in cervice sacci pseudo-membranae observantur.

CCCLXXVII. Saccus herniae inguinalis, non valde amplus, in fundo sepimento divisus, ita ut duplici fine coeco terminetur. Collo adhaeret filamentum valde ramosum omenti; infra saccum dependet testis.

CCCLXXVIII. Funis spermaticus cum teste; juxta funem descendit saccus herniosus in annulo inguinali fere penitus clausus; ipse saccus, ejusdem fere longitudinis quam funis, longitudinali sectione est apertus; in parte media interna superficies valde est reticulata. Tunica vaginalis testis etiam est dissecta, et situm testis a sacco hernioso distincti demonstrat.

CCCLXXIX. Funis spermaticus cum teste hominis qui hydrocele, atque hernia scrotali laboravit. Dissecta tunica vaginali prominens intra ejus saccum soli-

lito capaciorem cernitur corpus testis cum epididymide, a quo parva hydatis dependet. Corpus testis satis est magnum atque valde turgidum. Juxta funem spermaticum apparet saccus herniosus, inter tunicam cellularem funis spermatici ad testem usque descendens, qui juxta longitudinem est apertus. In collo sacci ruga vel plica transversa apparet.

CCCLXXX. Saccus herniosus herniae inguinalis, cujus orificio adhaerebat omentum, ansam intestini strangulans.

CCCLXXXI. Saccus herniosus lateris sinistri hominis adulti; saccus herniae ab abdomine ad fundum processus peritonei est dissectus, et inversus; tunica vaginalis testis etiam est aperta, atque pariete sacci, cui ab exteriore accumbit funis spermaticus, etiam ad ductum vasorum dissecto, constat vas deferens a vasis sanguineis esse remotum, ac omnia haec vasa pone ipsum saccum herniosum ad testem descendere; interna facies sacci pseudo-membranis obsessa est.

CCCLXXXII. Hernia scrotalis, solum omentum continens; ipsa portio elapsa omenti pinguedine valde obsessa, firmiter cum toto sacco hernioso concreta est.

CCCLXXXIII. Hernia congenita scrotalis, a solo omento producta. Saccus herniosus juxta longitudinem ad fundum usque dissectus est, ita ut constet omentum in eodem sacco cum teste inveniri; quum vero productio peritonaei non solito modo corpus testis conscendit, ubi vasa spermatica ad eum perveniunt, sed haec tantum in superiore et inferiore parte se ad testem inflectit, relicta pone testem fissura, omentum hanc praeternaturalem fissuram etiam penetravit, et sic pone testem ad fundum sacci pervenit, ubi cum corpore testis concrevit. Saccus herniosus in media parte longitudinis plicam transversalem monstrat.

CCCLXXXIV. Hernia femoralis portionem omenti, collo sacci adhaerentem, continens.

CCCLXXXV. Saccus herniosus herniae cruralis.

CCCLXXXVI. Portio diaphragmatis lateris dextri hominis adulti, ex fractura costarum fissi et exulcerati. Vulnus diaphragmatis pone lobum hepatis intraverat insignis portio intestini coli transversi cum adhaerente omento gastro-colico, multa pinguedine infarcto. Haec magnam partem pleurae dextrae replebant, atque tali ratione vulnus occludebant, ut licet hydrothorax hoc in latere ipsam laesionem fuerit insecutus; ipse humor tamen nondum ad peritonaei cavitatem transierit.

CCCLXXXVII. Intestinum rectum matronae provectae aetatis cum parte insigni flexurae sigmoïdeae coli intussusceptione per anum prolapsum, in cujus superficie interna, quae post inversionem, nunc externa est, plures apparent tumores haemorroïdales, a pedunculis tenuioribus pendentes. Haec aegra gravissimis doloribus colicis spasmodicis vexabatur, qui brevi morte terminabantur.

CCCLXXXVIII. Portio intestini infantis pro parte dilatata, et in speciem

sacci expansa, dum sequens pars a contractione spasmodica est angustata.

CCCLXXXIX. Intestinum ilium cum diverticulo vel appendice insigni.

CCCXC. Partes genitales externae et internae puellae, cum atresia ani. Ani loco parvum conspicitur foraminulum excretioni alvinae non idoneum. Perinaeum solito est longius. Genitalia vero maxime a forma naturali aberrant, nymphae valde sunt deformes, dextra juxto major, sinistra vero solito minor, infra quas se monstrat apertura, commune ostium vaginae et urethrae, sub qua planities quaedam adest, et integra cutis ab uno labio in alterum extenditur; intra hanc planitiem et perinaeum eminet tuberculum quoddam, rotundiusculum, in apice planum, pisum magnitudine aequans, quod perpendiculari sectione divisum, substantiam exhibet duriusculam, ut a corio cutis productum videatur. Vagina admodum est dilatata, in hanc terminabatur intestinum rectum, quod duplici apertura hiabat, in ejus parte inferiore. Ipse uterus a meconio etiam insigniter fuit distentus, ejusque orificium, deletis rugis naturalibus, dimidium pollicis amplitudine excedit, dum ipsum corpus in saccum oblongum, rotundulum et quodammodo conicum est distentum, cujus fundus extus duo refert tubercula, a quibus tubae Faloppianae oriuntur (6).

CCCXCI. Pars inferior trunci cum femoribus puellae recens natae, atresia ani atque vaginae laborantis. Fissura inter clunes non nisi apparens est, atque ubi anus adesse solet, nihil ei simile observatur. Genitalia externa bene videntur conformata, sed non nisi forma externa est naturalis. Vesica urinaria valde est dilatata, in ejusque inferiore parte hiat vagina, tendens ad uterum bicornem, cornua uteri sunt valde insignia et in latera explicata; cum uteri collo concretum est intestinum rectum, quod praeter modum non est dilatatum, sed apertura exigua intra vaginam hiat.

CCCXCII. Genitalia externa et interna puellae, quae atresia ani laboravit. Labium pudendi dextrum in extremo inferiore dissectum est, ipsaque sectio continuata per totam longitudinem vaginae et uteri, demonstrat hac in parte nihil praeternaturale adesse, sed vaginam situm, vel directionem aliquam obliquam habere; mox infra orificium vaginae detegitur minimum foramen setam vix transmittens, quod ani externi locum tenet.

CCCXCIII. Uterus cum adhaerente intestino recto puellae, quae simili vitio laboravit. Intestinum rectum valde dilatatum coeco fine desinit atque adhaeret collo uteri.

CCCXCIV. Intestinum crassum valde dilatatum infantis paucarum dierum, qui atresia ani laboravit, intestinum rectum sacco coeco, amplo, terminatur.

CCCXCV.

(6) Conf. A. van Papendorp, *Diss. sistens observationes de ano infantum imperforato.* Lugd. Bat. 1781. in 4to. Obs. 4. cum fig.

CCCXCV. Omentum gastro-colicum ex foemina hydropica, degeneratum atque congeriem steatomatum exhibens.

CCCXCVI. Omenti gastro-colici portio, praeter degenerationem minoris momenti, duos inprimis monstrans tumores globosos, quorum alter dissectus substantiam offert compactam fusci coloris.

CCCXCVII. Lipoma insigne omenti.

CCCXCVIII. Pars peritonaei inflammata, et pseudo-membrana obducta.

CCCXCIX. Portio peritonaei foeminae, quae ascitide laboravit. Tota membrana valde est incrassata, ejus superficies interna tuberculis complanatis obsessa, deleta simul omni glabritie, atque splendore naturali.

CD. Pars intestini tenuis a mesenterio dependens, in quo glandula valde adaucta, atque indurata conspicitur.

CDI. Portiones duae mesenterii, cum glandulis magnitudine auctis, induratis, atque ossificatis. Addita est alia glandula etiam indurata.

CDII. Pancreas hominis adulti indurata, atque incrassata.

CDIII. Pars hepatis cum adhaerente vesicula fellis, qua continebantur plures calculi, in fundo lagenae nunc collocati; dissecta longitudinaliter vesicula, interna ipsius superficies apparet tota rugosa, atque reticulata; ipsius capacitas valde est aucta, ductus cysticus contractus, et prope hujus orificium plicae nonnullae transversales species valvularum componunt.

CDIV. Pars lobi sinistri hepatis cum tuberculo in superficie.

CDV. Lien hominis adulti lapsu, e loco non alto, in lapidem angulosum diffractus.

CDVI. Ren sinister hominis adulti, cujus pelvis valde dilatata, dissecta, in fundo rami minimum calculum recondit; ureter justo etiam capacior ad aliquam a rene distantiam continet alium calculum, fere triangularem, hunc canalem obturantem.

CDVII. Ren dexter hominis adulti, cujus pelvis justo amplior, prope originem ureteris continet calculum irregularis figurae, superficie aspera; ureter non dilatatus est.

CDVIII. Ren infantis cujus pelvis insigniter est dilatata.

CDIX. Pelvis renis et ureteris principium insignis capacitatis.

CDX. Vesica urinaria hominis adulti longitudinaliter dissecta, atque explicata. Tunicarum crassities est aucta, interna inaequabilis, partimque reticulata; ureterum orificia solito sunt ampliora.

CDXI. Vesica urinaria in pariete anteriore longitudinaliter aperta, cum apposita glandula prostata, magnitudine aucta, et valde indurata. Tunicae vesicae sunt incrassatae, atque in interna cernuntur bene multae cryptae, vel potius

sacculi inter fibras tunicae muscularis se extendentes, quorum orificia repraesentant fissuras oblongas, atque satis magnas.

CDXII. Pars inferior vesicae hominis junioris inversa. In superficie interna, quae nunc externa est, cernitur caput gallinaginis et retro illud ostiola orificiorum ureterum, qui supra vesicam, a retentione urinae solito longe sunt capaciores.

CDXIII. Vesica urinaria infantis, a calculo sectione laterali liberati. Dissecta est vesica juxta longitudinem una cum urethrae principio; a latere sinistro capitis gallinaginis oblique sursum tendit cicatrix inflicti antea vulneris.

CDXIV. Genitalia cum vesica urinaria, atque ossibus pubis viri adulti, qui prolapsu, vel potius inversione vesicae urinariae laboravit. Ab anteriore apparet protuberantia oblonga, transversim disposita, a vesica urinaria inversa producta, atque in ambitu in integumenta communia quasi evanescens; circa inferiorem partem apparent orificia ureterum. Penis a radice ad apicem glandis fissus est, circa ejus radicem cernuntur orificia vesicularum seminalium. A posteriore corpora cavernosa penis, vesiculae seminales cum ductubus deferentibus, et glandula prostata, nec non ureteres observantur. Singulis canalibus styli immissi sunt, ut eo melius eorum aperturae appareant; ossa pubis valde a se invicem distant, atque conjunguntur apparatu ligamentoso (7).

CDXV. Genitalia externa et interna cum parte inferiore integumentorum abdominis puellae, quae per tres dies vixit, atque prolapsu vel inversione vesicae urinariae, deformitate genitalium externarum, et defectu ani laboravit. Funis umbilicalis abdomini insertus est solito in loco, et infra hunc cernitur vesica urinaria aperta et prolapsa; ex margine inferiore vesicae sic inversae prodit prolongatio intestini ilium, proboscidis adinstar, extremo perforata, ex qua quotidie meconium propellebatur; a latere sinistro radicis hujus prolongationis, alia cernitur protuberantia, duplici apertura instructa, ex qua vero nullum meconium prodiit; ab interiore latere constat hanc alteram protuberantiam productam esse ab intestino coeco, cum adhaerente processu vermiculari, vesicae urinariae adhaerente. Uterus solitam habet figuram, vagina vero est dilatata, et parva apertura hiat infra tumorem vesicae urinariae. Labia majora pudendi a se invicem a superiore maxime remota sunt. Ani nullum adest indicium in loco solito. Hepar insolitae erat magnitudinis atque figurae, media ipsius pars cum adhaerente vesicula fellea, concreta est cum peritoneo mox supra umbilicum.

CCXVI. Pelvis ejusdem puellae, cum vesica inversa natae. Os sacrum latum admodum et planum est, ossa pubis a se invicem multum distant et ligamento non val-

(7) Conf. *Nieuwe Verhand. van het Genootschap ter bevordering der Heelkunde te Amsterdam*, 3 Deel, 2 Stuk, pag. 1.

valde lato cohaerent, hinc ossa innominata a se invicem valde distantia pelvis capacitatem insigniter adaugent.

CDXVII. Larynx cum parte asperae arteriae foeminae adultae, cujus glandula thyreoïdea indurata, magnitudine valde aucta, et in lobos diversos divisa est.

CDXVIII. Glandula thyreoïdea ex infante recens nato, N°. DLVII descripto, magnitudine insigniter aucta, indurata, ab interiore cellulas diversas exhibens, quae humore valde distendebantur.

CDXIX. Tumor glandulosus cum nucleo oblongo, indurato, fere osseo.

CDXX. Tumor similis cum nucleo oblongo indurato.

CDXXI. Scirrhus mammae mulieris, operatione sublatus.

CDXXII. Pars lateralis sinistra sterni foeminae adultae, cujus mamma dextra in scirrhum pro parte degenerata erat. In superficie posteriore juxta decursum arteriae et venae mammariae internae glandulae lymphaticae magnitudine auctae, coloris lividi a viro cancroso eo delato, observantur.

CDXXIII. Reliqua pars ejusdem sterni cum cartilaginibus costarum, cui incumbit tumor scirrhosus mammae dextrae, tectae parte cutis cum papilla, et tela cellulari valde stricta cum musculo pectorali cohaerentis.

CDXXIV. Scirrhus ex mamma vetulae juxta mediam partem dissectus.

CDXXV. Tumor similis cum tuberculis majoribus, resectus ex axillae cavo.

CDXXVI. Tumor similis cum tuberculis crassioribus.

CDXXVII. Tumor similis cum tuberculis undulatis.

CDXXVIII. Cor hominis adulti, cui per totum ambitum, a mucrone ad basin usque, post diram inflammationem pericardium accrevit.

CDXXIX. Aneurysma cordis, seu mira expansio utriusque ventriculi; totum cor inflammatione affectum fuisse, tam in interna, quam in externa superficie ex reliquiis inflammationis facile constat; in tunica externa ut et in interna utriusque ventriculi maculae adsunt bene multae, ex incrassata, et hinc prominente, atque albissima tunica. Valvulae cordis et arteriarum non sunt affectae.

CDXXX. Segmentum cordis hominis adulti exhibens valvulas semilunares arteriae aörtae, ossificatione degeneratas.

CDXXXI. Cor hominis adulti, cum insigni aneurysmate arteriae aörtae; saccus aneurysmaticus amplus mox supra ortum arteriae e ventriculo formatus, ope foraminis insignis, rotundati, cujus margines sunt aequales, crassi cum ipsa arteria communicat. Tota arteria aörta ejusque rami lamellis osseis, partim nudis, partim interna membrana arteriae obtectis, obsessa est. Saccus ille pone sternum atque costas superiores situs, tanta vi in ipsa ossa egit, ut ea carie affecta sint, dum mamma cum musculo pectorali et integumentis communibus in insignem tumorem elevata fuerit.

CDXXXII. Pars ossis sterni cum costarum cartilaginibus ejusdem hominis;

ab exteriore cernitur tumor integumentis partim tectus; ab interiore apparet caries ossis sterni, atque destructio extremitatis costae quintae dextri lateris, superstite pro parte ejus cartilagine; saccus aneurysmatis per spatium inter quartam et quintam costam transiit, atque sanguinis coagulati lamellas adhuc continet.

CDXXXIII. Cor hominis adulti, cum aneurysmate arteriae aörtae; in ipsa curvatura arteriae aörtae ruptura tunicae internae locum habuit, dum reliquae tunicae in saccum sat amplum sunt dilatatae; apertura est ampla, qua arteria communicat cum sacco, ejusque limbus est aequabilis, sacci vero interna superficies est tuberculosa atque flocculenta, ejusque crassities in superiore parte longe major quam in inferiore.

CDXXXIV. Sternum ejusdem hominis, qui insigni aneurysmate in arcu arteriae aörtae laboravit. Sterni tota pars superior cum cartilaginibus costarum carie destructa est, atque ab exteriore saccum sub integumentis communibus, exteriori parti adhuc adnexis, demonstrat. Hic saccus partim pure repletus inveniebatur, mammam valde elevabat, et licet ruptura instare videretur, haec tamen locum non habuit; in maxime prominente parte tumoris color cutis valde est mutatus, ipsiusque crassities imminuta.

CDXXXV. Arteria aörta descendens cum suis ramis; infra bifurcationem aörtae arteria iliaca dextra, parum supra originem arteriae hypogastricae, dilatata, atque expansa est in saccum aneurysmaticum, magnitudinis ovi Gallinacei; arteria iliaca dextra etiam solito capacior est.

CDXXXVI. Arteria aörta descendens, magna pro parte ossificata.

CDXXXVII. Portio arteriae aörtae ubi in iliacas arterias dividitur, per longitudinem dissecta, pluribus in locis ossificata.

CDXXXVIII. Curvatura arteriae aörtae per longitudinem dissecta, et ossificata.

CDXXXIX. Curvatura arteriae aörtae per longitudinem dissecta; superficies interna inaequabilis, pluribus in locis, deficiente interna tunica, laminas exhibet osseas; rami ex hac arteria prodeuntes eodem vitio laborant.

CDXL. Larynx cum parte asperae arteriae hominis, qui sibi vulnus in parte superiore colli inflixerat. Thyreoïdea cartilagine transversim dissecta, ulcus fistulosum ad interiorem partem laryngis supermansit, ut in integumentis communibus, cartilagini adhaerentibus, apparet; pure asperam arteriam replente suffocatus tandem periit hicce miser.

CDXLI. Larynx cum parte asperae arteriae hominis, qui grave vulnus sibi in parte superiore colli inflixerat, et post sanationem vulneris externi, suffocatione periit. Cartilago thyreoïdea sectione transversali fuit divisa, atque sectione magis obliqua anterior pars cricoïdeae in tres partes fissa, superstite fistula in medio; interna autem laryngis membrana ita tumefacta cernitur, ut ipsius lumi-

ne penitus occluso, suffocatio producta fuerit. Addita est pars integumentorum communium, cicatricem transversalem exhibens.

CDXLII. Larynx cum parte asperae arteriae viri, qui simili vulnere partem prominentem cartilaginis thyreoïdeae, et epiglottidem abscidit.

CDXLIII. Cerebrum, cerebellum, atque medulla oblongata juvenis viginti annorum, microcephali, cujus cranium describitur N°. DCLXXIV. Longitudo totius corporis erat = 1,588 lin. belg., 5 ped. rhen. Latitudo humerorum = 365 lin. belg., 14 poll. rhen. Latitudo inter ossa ilia = 275 lin. belg., 10 poll. 6 lin. rhen. Diameter longitudinalis conceptaculi cerebri = 100 lin. belg., 3 poll. 10 lin. rhen. Diameter transversalis anterior, sive supra sellam turcicam = 77 lin. belg., 2 poll. 11 lin. rhen., posterior, sive supra mediam transversalem lineam foraminis magni = 83 lin. belg., 3 poll. 2 lin. rhen., linea perpendicularis a margine interiore foraminis magni ad verticem cranii = 89 lin. belg., 3 poll. 5 lin. rhen.

Hic juvenis semper fuit amens, ferox, alimenta atque potulenta cum summa voracitate appetens, atque ad eorum adspectum summum gaudium plaudendo indicans; visus, auditusque acies erat magna; sonum peculiarem, validum edebat, nunquam vero verba pronuntiare potuit. Alvum atque urinam insciens quasi evacuabat. Mortuus est ex inflammatione pulmonum, et superficiei externae cordis.

Cerebri membranae nihil praeter naturam offerebant, gyri cerebri longe minori numero adsunt quam in adultis hominibus, et in superficie haemisphaeriorum, processui falciformi opposita paucissimi, et valde magni sunt. In basi cerebri fossa Sylvii desideratur, ita ut vix ipsius vestigium in utroque latere adsit. Corpora candicantia, et crura cerebri ad medullam oblongatam sibi invicem valde sunt appressa; sublata pia matre, uterque ventriculus lateralis fissura oblonga, magna in inferiore, et posteriore parte cerebri hiabat. Fissura inter corpora pyramidalia solito est profundior. Nervi omnes se manifestant, et inter hos nervi quinti paris valde crassi sunt. Corporis callosi margo posterior arcuatus est, et in media parte vix ultra lineam posteriorem corporum striatorum prominet, ita ut ventriculos cerebri minime in totum adhuc tegat. Corpora striata solito sunt minora; thalami nervorum opticorum vero solito majora; longitudo ventriculorum lateralium = 62 lin. belg., 2 poll. $4\frac{1}{2}$ lin. rhen., eorum superficies interna valde est tuberculosa; pedes hippocampi minores desiderantur, in majoribus deficiunt ungues; corpora quadrigemina in medio magis complanata, sex tubercula potius referunt. Cerebellum deformitatem non exhibet. Omnia ergo probant cerebri evolutionem fuisse impeditam, et diversas partes in eo versari statu, in quo in junioribus foetibus observantur.

CDXLIV. Pars cerebri vituli hydrocephalo distenti, exhibens ventriculum apertum, qui aqua valde fuit expansus, unde gyri pro parte sunt deleti.

CDXLV. Folliculus tumoris, pure repletus inventus intra cerebri substantiam

infantis, post lapsum ex alto, concussione cerebri et dein convulsionibus defuncti.

CDXLVI. Vertebrae lumborum cum osse sacro infantis, qui in inferiore parte lumborum spina bifida laboravit. Tumor satis amplus ossi sacro impositus, communibusque integumentis tectus, post mortem longitudinaliter fuit apertus, quo constat cavitatem tumoris cum canali vertebrarum communicare per foramen in arcu infimae vertebrae lumborum, atque duram matrem sic in tumorem esse continuatam, continentem, eique partim adnexam, portionem inferiorem medullae spinalis. Arcus trium superiorum vertebrarum sunt dissecti, atque, aperta longitudinaliter dura matre, in canali vertebrarum cernitur medulla spinalis.

CDXLVII. Vertebrae omnes lumborum cum osse sacro, musculis, atque integumentis communibus partis inferioris spinae, infantis, qui spina bifida laboravit. Ipsum tumorem ante nativitatem jam fuisse disruptum constare videtur ex margine crasso, rotundatoque parvam aperturam cingente.

CDXLVIII. Eadem ossa infantis, qui in eodem loco simili vitio laboravit. Tumor tenui tantum membrana tectus, in partu disrumpebatur; foramen in arcubus duarum inferiorum vertebrarum praesens cernitur, per quod dura mater transiit cum filamentis nervosis cohaerentibus.

CDXLIX. Eadem ossa infantis simili vitio affecti. Integumenta communia margine rotundo, crasso tumorem circumdant; ipse tumor membrana tenuissima investiebatur, cujus pars tantum superest, dum nunc in ipsius fundo cernuntur filamenta caudae equinae ad os sacrum descendentia, neque tumorem intrantia.

CDL. Ossa pelvis cum vertebris lumborum infantis, simili vitio affecti. Deficit major pars posterior ossis sacri, eique similis tumor, quam in praecedentibus casibus, fuit impositus.

CDLI. Hernia medullae spinalis in cervice, ex puero. Dura mater a medulla spinali separata monstrat parvum canalem in extremo apertum. Ex ipsa facie posteriori medullae surgit protuberantia cylindrica, quae canali durae matris continebatur, et cum ea transibat foramen in arcu vertebrae tertiae et quartae cervicis a superiore. Vertebrae colli describuntur N°. DCLXXXV, ejusque cranium N°. DCXXVII. Durante vita observabatur in cervice tumor mollis cum pedunculo, ut videbatur contracto, qui a chirurgo abscindebatur, sed effluente per vulnus humore seroso, infans operationem vix supervixit.

CDLII. Pars medullae spinalis valde extenuata ex hydrorachitide.

CDLIII. Pars medullae spinalis ex spina bifida infantis recens nati.

CDLIV. Globus oculi transversim dissectus. In cornea adest cicatrix post institutam operationem cataractae, ab interiore apparet portionem humoris vitrei penetrasse pupillam.

CDLV. Funis spermaticus extus involucro crasso, celluloso obductus cum teste, cujus tunica vaginalis, nunc dissecta, ex hydrocele fuit expansa. In fune sper-

spermatico cernitur lipoma, aliquando pro tertio testiculo habitum.

CDLVI. Funis spermaticus cum teste hominis, qui hydrocele laboravit. Tunica vaginalis longitudinaliter dissecta, saccum format sat magnae capacitatis, intra quem testis prominet.

CDLVII. Uterque testis cum funibus spermaticis. In altero tunica vaginalis ex hydrocele valde distenta, atque incrassata, cernitur.

CDLVIII. Hydrocele in qua superficies interna ex praegressa inflammatione tota est rugosa.

CDLIX. Hydrocele insignis voluminis; tunica vaginalis testis est incrassata, ipsius superficies interior, et superficies externa albugineae inflammatione est degenerata; inferiori parti adhaeret portio scroti, firmiter adnexa tunicae vaginali.

CDLX. Testis cum tunica vaginali in insignem tumorem expansa, et crassitudine multum aucta; tunica vaginalis indurata, coriacea, continebat humorem sanguineo-purulentum, atque facile distinguitur a tunica cellulosa valde etiam degenerata atque constipata, in plura strata quasi divisa, quae forte originem traxerunt a degenerata tunica dartos, atque musculo cremastere.

CDLXI. Testis hominis qui sarcocele cum hydrocele juncta laboravit. Corpus testis volumine insigniter est auctum, ejusque substantia valde degenerata. Tunica vaginalis capacitatem insignem habet, mirum in modum est incrassata, superficies ejus interna tamen est glabra.

CDLXII. Testis hominis adulti, volumine acutus, ita ut pondere admodum molestus fuerit, ejusque exstirpatio provocaretur ab aegroto. Ablata est tunica vaginalis, et albuginea pro parte dissecta, dependet a denudata testis pulpa, quae incisa lobulos majores, et solidiores, gyris cerebri fere similes offert, nihil tamen morbosi ostendens; incisione magna copia humoris lactei diluti exstillabat; spermatocele ergo adfuise videtur.

CDLXIII. Testis cum parte funis spermatici, atque vase deferente Canis Molossi, morbose ut videtur affectus.

CDLXIV. Testis alter simili modo affectus.

CDLXV. Genitalia externa et interna foeminae adultae; vagina est brevissima, rugosa atque a parte uteri membrana clauditur. Corpus uteri incisum nullam monstrat cavitatem; deficit etiam collum et ostium uterinum (1).

CDLXVI. Uterus foeminae adultae cum portione superiore vaginae, hujus nec non uteri tunica interna indurata, albida, fere cartilaginea insignem asperitatem offert. Totum orificium corpusque uteri valde est induratum, et substantia compacta.

CDLXVII.

(8) Vid. A. Bonn, *Verhand. van het Zeeuwsche Genootschap enz.* Tab. 6. p. 330.

CDLXVII. Uterus cujus collum, ostium cum adjuncta parte vaginae, et vesica urinaria, ulcere consumta sunt, adeo ut inter vesicam et vaginam lata adsit apertura.

CDLXVIII. Uterus vetulae cum tumore scirrhoso majore, pedunculato ex fundo adsurgente, atque duobus aliis minoribus, quorum alter etiam quodammodo pedunculi ope cohaeret.

CDLXIX. Uterus longitudinaliter sectus ex cujus pariete posteriore prominet tumor scirrhosus cum duobus aliis minoribus. Ovarium justo etiam majus est.

CDLXX. Uterus longitudinaliter dissectus, cujus substantia compacta, dura, fibrosa apparet; in superficie posteriore cernitur steatomatosus tumor diametri 1 poll. rhen., etiam sectione divisus.

CDLXXI et CDLXXII. Uterus in duas partes juxta longitudinem divisus, exhibens substantiam crassitie auctam, atque induratam, fibrosam, cum steatomatibus diversae magnitudinis, quae circularibus fibris facile a reliqua fabrica distinguuntur, ovarium hydrope fuit distentum; inflammationis praegressae reliquiae, atque concretiones tubarum cum corpore uteri observantur.

CDLXXIII. Uterus cum ovariis, atque tubis Faloppianis; ovarium dextrum hydropicum monstrat tres saccos, qui aqua expansi fuere; horum duo minores, ovi gallinacei magnitudinis, interiorem membranam laevem habent, tertius major superficiem internam obductam monstrat pseudo-membrana, inflammationis praegressae sequela.

CDLXXIV. Uterus puerperae, cujus fundo adhaeret omentum. Ovarium hydrope in tres saccos amplos distentum est; horum alter parietes habet crassos, fibrosos, figuram conservantes.

CDLXXV. Segmentum uteri puerperae valde incrassati, substantiae crassae, atque compactae.

CDLXXVI. Placenta cum foetu quatuor mensium; dissecta parte placentae substantia ejus, quae utero adhaesit apparet compacta, fibrosa, ex qua exsurgunt filamenta magis dissoluta, inter quae et membranam amnios insignis adest quantitas sanguinis coagulati, separans hanc membranam ab ipsa vasculosa structura placentae. Funis umbilicalis prope marginem placentae inseritur, ejusque vasa majora, interiori parti membranae amnios adhaerentia, sanguine in ipsius substantia effuso et coagulato, videntur a reliqua placenta esse disjuncta. Foetus satis bene est nutritus.

CDLXXVII. Placenta pro parte dissoluta, quae uteri ostio interno adhaerens, sensim sub evolutione colli descendit, ac dein intra vaginam prolapsa, lethalis haemorrhagiae causa fuit.

CDLXXVIII. Massa hydatidum, in quam placenta erat degenerata.

CDLXXIX. Portio placentae cujus vasa in hydatides sunt degenerata, atque a vasorum ramis dependent.

CDLXXX. Ovi abortivi paucorum mensium pars major omnes membranas monstrans, a funiculo umbilicali a parte placentae crasso, dein tenuissimo, atque verum nodum offerente dependet foetus, cujus artus cum cute trunci videntur coaliti, ita tamen ut eorum singulae partes conspiciantur; totus foetus crusta quasi est obductus.

CDLXXXI. Sectio longitudinalis uteri cujus paries posterior solito crassior est; in fundo cavitatis cernitur tumor, ut videtur polypi initium.

CDLXXXII. Polypus uteri per medium dissectus, qui ab orificio uteri, ope pedunculi tenuioris intra vaginam descendens, quotidie contortus, tandem sponte, absque praegressa ligatura, decidit. Substantia apparet crassa, fibrosa, ac vasis intertexta.

CDLXXXIII. Polypus uterinus insignis voluminis a pedunculo elongato ab ostio uteri dependens. Cadaveris sectione sequentia detegebantur. Abdomine incisione cruciata aperto, mox in conspectum veniebat corpus quoddam, complanatum, ovalis formae, magnitudinis capitis virilis, atque substantiae compactae, supra ossa pubis infimam abdominis, et pelvis capacitatem totam replens, obductum crusta alba, quasi ceracea, cujus superiori parti adnexus erat uterus, tanquam parva appendix, cum suis tubis atque ovariis. Hujus corporis praeternaturalis paries anterior tegebatur corpore atque inferiore parte vesicae urinariae, cavitate pelvis expulsae. Omentum erat tenue, macilentum, nec valde deorsum extensum; ventriculus nec non intestina erant contracta, sed colorem naturalem offerebant, absque ullo indicio praegressae inflammationis, vel gangrenae partium; in cavitate abdominis aderat parva quantitas humoris sanguinolenti. Tumore illo praeternaturali in ambitu a membranis, ligamentisque dissecto, sursumque attracto, tota haec pars cum vagina circa hujus ostium externum abscindebatur, atque e corpore tollebatur. Ipsius longitudo erat 183 lin. belg., 7 poll. rhen., latitudo 157 lin. belg., 6 poll. rhen., crassities 91 lin. belg., 3 poll. 6 lin. rhen., dum tota circumferentia aequabat 393 lin. belg., 15 poll. rhen., pondus ipsius erat $3\frac{3}{4}$ librarum.

Vagina in superiore parte maxime dilatata, tanquam saccus tumorem polyposum continebat; ipsius pariete anteriore ergo dissecto, mox ipse polypus prodibat, cohaerens interventu pedunculi, cujus circumferentia erat 26 lin. belg., 1 poll. rhen., pyriformis figurae, per ostium uterinum transeuntis, cum superficie interna uteri. Fundus vaginae insignis erat crassitiei, parietes vero erant membranacei. Tumoris color cum colore lienis conveniebat, substantia erat compacta, quasi carnosa, tuberculis et sulcis obsessa, qui sulci in ipsius corpus penetrabant, dum pedunculus inter duos lobos sursum directos, ab iisque tectus, ad intimam partem tumoris descendebant. Lobis illis a se invicem remotis constabat, pedunculum esse tectum prolongatione membranae internae colli uteri, et

mediae parti tumoris esse insertum. Inferior pars tumoris cum latere sinistro vaginae erat concreta, atque offerebat superficiem rotundatam, tuberculosam cum sulco profundo, ostio uterino non dissimilem (9).

CDLXXXIV. Segmentum ut videtur molae crassae.

CDLXXXV. Digiti pedis anterioris Ovis, inflammatione tumidi; margines unguium inaequales, callosi, in plantam pedis convoluti cernuntur.

CDLXXXVI. Digiti pedis Ovis in quibus idem morbus jam majores fecit progressus; margines unguium magis excreti, et in plantam incurvati sunt; ipsa planta unius digiti apparet ulcerosa, atque fungosa carne obsessa; dum unguis utriusque digiti praesente suppuratione a cute subjecta separari incipit.

CDLXXXVII. Digitus sinister Ovis, eodem morbo affectus, sed majori gradu, ita ab altero separatus, ut bursa mucosa digitis interposita in situ, et lateraliter aperta appareat, quae tamen ipso morbo minime affecta cernitur. Unguis praesente suppuratione cutis subjectae ab eadem partim est separatus.

CDLXXXVIII. Digitus alter Ovis, eodem morbo, in ultimo stadio, affectus. Unguis totus a subjecta cute est separatus; haec suppuratione affecta, atque fungosa carne obsessa apparet. Separatus unguis in fundo lagenae cernitur (10).

MONSTRA.

A CONCRETIONE DUORUM, VEL PLURIUM INDIVIDUORUM.

EX HOMINE.

CDLXXXIX. Foetus duo quatuor forte mensium, thorace et abdomine concreti; funis umbilicalis sacco communi abdominali inseritur. Manus sunt deformes ex coalitione digitorum.

CDXC. Infans recens natus torosus, biceps, caput alterum perfectum ab anteriore conspectum ad ipsum truncum proprie pertinere videtur, inter collum atque humerum dextrum alterum caput minus, collo breviori instructum depositum est. In hoc capite duo oculi in unum sunt conjuncti, deficiente to-

(9) Conf. J. Veirac, *Verhand. van het Genootschap ter bevordering der Heelkunde te Amsterdam:* 6 Deel.

(10) De quatuor his praeparationibus conferatur A. Bonn, *Bijdragen tot de kennis en genezing van het* Rotkreupel *der Schapen:* Verh. van het Koninkl. Nederl. Instit. te Amsterdam. Deel 5. p. 126 en verv. Tab. 2.

toto naso, cujus locum tenet complanata superficies; si a posteriore infans examinatur hocce caput videtur ad truncum pertinere. Inter duo capita in dorso parva datur prominentia, procul dubio rudimentum duorum artuum superiorum continens, dum quatuor scapulae adesse videntur. Circa anum, qui simplex est, datur excrescentia singularis, quae digitum pedis aemulatur; clunes duo adsunt; genitalia videntur foeminina, sed deformia sunt, atque ex confluxu harum partium duorum infantum enata.

CDXCI. Lingua duplex infantis recens nati. Linguae sunt concretae in radice, unica adest larynx, atque pharynx, inter sejunctas partes linguae adest reflexa portio integumentorum oris, quae cum palato cohaerebat.

EX ANIMALIBUS.

CDXCII. Vitulus immaturus duplici capite, et quatuor tantum artubus instructus. Spina tota est duplex, hinc etiam duae caudae, abdomen simplex, unicum monstrat umbilicum; neque inter duo capita, neque ad pelvim rudimenta aliorum artuum detegi possunt; genitalia sunt deformia, ita ut rite distingui non valeat cujusnam sit sexus; videtur autem foeminini sexus. Unicus adest anus.

CDXCIII. Caput duplex Ovis, quatuor adsunt oculi, quorum interni valde a se invicem distant; duae tantum sunt auriculae; collum est simplex.

CDXCIV. Foetus maturus Felis, cum capite duplici, palpebrae inter se confluxerunt, licet orbitae distinctae supersint, auriculae tantum sunt duae.

CDXCV. Foetus maturus Felis, simili ratione monstrosus; maxillaria inferiora ossa confluxerunt, atque unam quasi maxillam constituunt, licet maxillaria superiora valde a se invicem remota sint; oculi non confluxerunt.

CDXCVI. Foetus maturus Felis simili ratione monstrosus; oculi vero penitus confluxerunt; alterius capitis os est clausum, ita ut non nisi vestigium ipsius appareat, aperturae narium etiam deficiunt. Alterius capitis labium superius, atque palatum totum est fissum.

CDXCVII. Foetus Suis, acephalus. Ipsum conceptaculum cerebri videtur pro parte duplex; duae adsunt auriculae, oculus dexter est naturalis, sinister vero videtur ex duplici globo constare; palpebrae etiam sunt deformes, atque cruciatam aperturam offerunt; in vertice adest proboscidis species, et inter hanc atque auriculam dextram conceptaculum cerebri est apertum, atque propullulantem partem cerebri monstrat. A latere capitis sinistri infra palpebram duplicatam altera adest proboscis. Ossa maxillaria, rostrum, cavitas oris, et omnes reliquae partes sunt naturales.

CDXCVIII. Foetus maturus Felis, duo exhibens capita, tali vero ratione concreta, ut unicum quasi constituant cranium deforme, in quo narium atque

oris aperturae utriusque capitis in extremo sibi proxime adstantes apparent.

CDXCIX. Duo oculi vituli bicipitis inter se juncti, ita tamen ut toti quanti separati manserint, quod constat sectione verticali; ab exteriore vero corneae confluxerunt.

D. Foetus maturus Felis, cum capite simplici, et maxilla inferiore fissa, corpore duplici, a capite ad umbilicum juncto, quatuor adsunt artus posteriores, tres anteriores, quorum tamen unus ex duobus constare videtur.

DI. Foetus maturus Felis, simili ratione monstrosus cum octo tamen distinctis artubus. Caput est naturale.

DII. Foetus maturus Felis, cum octo artubus; duo supernumerarii posteriores circa sterni inferiorem partem prodeunt, inter hos adsunt indicia partium genitalium, nulla vero cauda; a latere sinistro capitis duo artus supernumerarii anteriores, deformes cernuntur. Palatum durum et margo alveolarum est fissus.

DIII. Foetus maturus Leporis timidi, cum quatuor artubus posterioribus, prodeuntibus duobus inter caudam et anum.

DIV. Pullus gallinaceus, cum duplici capite, atque defectu conceptaculi cerebri.

DV. Pullus gallinaceus cum tribus artubus posterioribus; prodeunte tertio ex ossibus pelvis circa ejus mediam partem.

DVI. Pullus gallinaceus cum quatuor artubus posterioribus, prodeuntibus supernumerariis ex pelvis posteriore parte.

EX IRREGULARI PARTIUM EVOLUTIONE.

Evolutio nimia.

DVII. Foetus humanus quatuor forte mensium, sexus masculini; nasus est deformis ex tuberculo mobili adhaerente.

DVIII. Brachium sinistrum infantis recens nati; a digito auriculari dependet appendix globosae figurae, in qua tamen unguis primordium adesse videtur.

DIX. Brachium sinistrum infantis recens nati. Pollex juxto brevior carpo adhaeret, deficiente, ut videtur, osse metacarpi; inter hunc et indicem adest supernumerarius digitus, in quo etiam unguis invenitur, sed cute tantum cohaerere videtur cum manu.

DX. Extremum pollicis pedis dextri hominis adulti, valde deforme, atque globosum.

DXI. Fringilla cum cornu spirali ex maxilla prodeunte.

Di-

Divisa quae erant unienda.

DXII. Pollex duplex dextrae manus hominis adulti. Os metacarpi simplex duos sustinet digitos, qui vero in extremo tantum sunt fissi, cuique unguis adhaeret, licet supernumerarius tamen sit minor.

DXIII. Duo brachia infantis recens nati cum digitis monstrosis. Omnes digiti sunt breves, atque crassi. In manu dextra septem adsunt digiti, quorum duo medii concreti sunt, ita tamen ut duplex sit extremum, atque sulco distinguantur, nec non duos habuerint ungues. Septimus digitus margini exteriori metacarpi adhaeret. In sinistra manu sex adsunt digiti; atque supernumerarius ossi metacarpi ultimo insistit; detracta est cuticula cum unguibus.

DXIV et DXV. Brachium dextrum et sinistrum puellae cum sex digitis. Ossa metacarpi sunt denudata, quo constat extremum inferius ossis metacarpi digiti auricularis duplici extremo terminari, atque alteri capitulo digitum supernumerarium esse impositum.

DXVI. Ossa tarsi, et metatarsi dextri lateris infantis recens nati; os metatarsi ultimum etiam duplici extremo terminatur.

DXVII. Pes sinister ejusdem infantis cum sex digitis. Dissectione integumentorum constat etiam ultimum ossiculum metatarsi duplici capite terminari, atque huic duos impositos esse digitos. Tendinum divisio etiam apparet.

DXVIII. Foetus quinque vel sex mensium cum sex digitis in pede sinistro.

DXIX. Penna Anserina cum rachi duplici.

Evolutio impedita.

DXX. Foetus humanus monstrosus, constans pelvi atque artubus inferioribus, verus ergo acephalus, una cum gemellis natus. Ex regione abdominis, quae pubi proxima est, exsurgit funis umbilicalis, qui absque ulla flexura procurrens, et vasa umbilicalia continens, ad longitudinem 183 lin. belg., 7 poll. rhen. extensus rotundo fine, nullam omnino aperturam, ulla arte detegendam exhibente, terminatur. Artus a se invicem recedunt, atque in genubus ad acutissimum angulum sunt flexi, nates vix protuberant, atque nullam plicam exhibent. Sectione cruciata cavitate abdominis aperta, constabat nullam adesse spinam, nequidem os sacrum, sed innominata ossa a posteriore esse concreta. In cavitate pelvis inveniebatur pars intestini crassi, duplicem flexuram sigmoïdeam formantis, mesenterii ope cum peritoneo cohaerentis, atque ad anum se extendentis, cujus tamen apertura externa desideratur, desinente intestino in filum tenue. Alia portio intestini absque ulla apertura, neque cum crasso cohaerens praeterea ade-

rat. Utraque haec intestinorum portio materie glutinosa erat distenta (11).

DXXI. Acephalus verus, constans abdomine atque artubus inferioribus. Tota pars superior globosa est, umbilicus est tenuis, et ad parvam supra eum distantiam parva cernitur protuberantia tuberculosa, supra quam duo parva a se invicem distantia puncta, papillas mammarum aliquo sensu aemulantia, cum dicto tuberculo in triangulo aequilateri sita, observantur. Membrum virile est deforme, scrotum vix formatum, artus inferiores sunt deformes, tuberculosi, pedes obtusi, loco digitorum duo tubercula monstrantes.

DXXII. Foetus quinque mensium, cujus caput paululum deforme est, nasus nimis est parvus, atque fissura oris fere ad auriculas est extensa.

DXXIII. Foetus quinque vel sex mensium funiculi umbilicalis tenuissimi ope cum placenta cohaerens, male nutritus. In facie narium aperturae deficiunt, labii inferioris pars media quasi exsecta est; circa umbilicum hernia adesse videtur; artus sunt contorti.

DXXIV. Ovum abortivum dissectum. Conspiciuntur diversae ovi membranae; foetus a funiculo umbilicali brevi dependet. Os foetus est apertum, atque in palato, et labio videtur jam adesse labium leporinum, ac palatum fissum. Partes minores non sunt evolutae.

DXXV. Pars inferior capitis infantis recens nati Judaei; cum labio leporino duplicato. Maxilla inferiore in symphysi cum integumentis communibus dissecta, constat totum palatum durum deficere, unde interiora ossa narium facile conspiciuntur; medio loco cernitur vomer, ab anteriore parum dextrorsum incurvatum, atque sustinens eam marginis alveolaris portionem, quae dentes incisores recondit, et in sinistro latere duos monstrat dentes, quorum externus appendicis instar suo alveolo inclusus, reliquae parti adhaeret; in hoc latere insigniter distat hoc ossis frustum a reliquo margine alveolari; in dextro autem latere, licet in processu alveolari adsit fissura, tamen gingivarum ope partes aliquo modo cohaerent in margine inferiore, unde hujus lateris apertura nasi ab inferiore est clausa, dum in opposito haec apertura cum fissura palati unam eandemque format fissuram. Labium ipsum superius ab utroque latere est fissum, atque parva portio cutis in medio superest, cohaerens cum ossiculo prominente. Conceptaculo cerebri horizontaliter dissecto, constat os cribrosum perfectum adesse.

DXXVI. Auriculae binae deformes infantis recens nati, antrorsum quasi sunt inflexae, atque nondum evolutae. Cutis faciei ante dextram auriculam verrucis est obsessa.

DXXVII. Puella recens nata artubus omnibus carens. Summi humeri parvam ro-

(11) Conf. A. Bonn, *over een wanstaltige vrucht, geboren met twee welgemaakte kinderen.* Verh. van het Genootschap ter bevordering der Heelkunde te Amsterdam. T. 3. p. 124.

rotundam eminentiam monstrant, cum specie cicatricis; ab utroque latere pelvis cutis in verrucae speciem est elevata. Funis umbilicalis est tenuissimus.

DXXVIII. Brachium sinistrum infantis, in quo defectus adest pollicis.

DXXIX. Pudenda externa pueri recens nati; scrotum in duos quasi saccos est fissum, atque membrum virile fissurae quasi immersum.

DXXX. Pudenda externa pueri recens nati; scrotum totum corrugatum vacuum, linea media, raphe dicta, chordae adinstar juxta scrotum se extendit. Testes in inguinibus inveniuntur. Praeputii pars inferior deficit, et apertura urethrae in inferiore parte glandis observatur. Prima species ergo hypospadaei.

DXXXI. Penis pueri recens nati, in quo eadem mala conformatio adest.

EX ANIMALIBUS.

DXXXII. Monstrum Ovis, sistens verus acephalus. Deficiunt omnes trunci partes ante umbilicum, artus posteriores sunt deformes.

DXXXIII. Foetus Canis cum capite valde obtuso; ossa intermaxillaria deficere videntur; nasus est quasi retractus inter turgidum labium superius fissum, palatum usque ad marginem gingivarum est divisum.

DXXXIV. Foetus Canis; inter duas palpebras descendit proboscidis species a solis integumentis communibus facta; partim deficere videntur ossa maxillaria superiora, hinc rostrum est obtusum, et fissura oris lata.

DXXXV. Foetus Canis minoris cum simili capite deformi.

DXXXVI. Foetus Ovis. Ossa maxillaria superiora deficiunt, integumenta vero communia proboscidis speciem constituunt, oculi tamen sunt naturales, maxilla inferior sursum est incurvata.

DXXXVII. Caput foetus Ovis, monstrosum ex defectu, vel nimia parvitate maxillae inferioris. Orbitae videntur inter se confluxisse, oculi tamen sunt distincti, et separati. In fronte integumenta communia formant proboscidis speciem cum aperturis narium. De ossibus maxillaribus superioribus, inferioribus aut cavitate oris nihil adesse videtur, auriculae inter globos oculorum atque colli partem superiorem confluxerunt.

DXXXVIII. Integumenta capitis foetus Suis monoculi, cum proboscide supra oculum.

DXXXIX. Foetus Suis cum capite monstroso. Ossa maxillaria superiora deficiunt, orbitae confluxerunt et unicus adest oculus in media parte capitis; nulla adest proboscis; maxilla inferior debitae longitudinis, ob defectum ossium maxillarium superiorum, sursum est incurvata.

DXL. Caput foetus Suis simili ratione monstrosum.

DXLI. Foetus Suis cum capite monstroso, ex defectu, vel nimia parvita-

te maxillae inferioris. Ex media parte frontis proboscidis species descendit, ante orbitam simplicem, duos globos oculorum inter se concretos continentem; deficiunt ossa maxillaria atque nihil de cavitate oris cernitur, dum auriculae inferioribus partibus confluentes in superiore parte colli plicam formant.

DXLII. Foetus Canis; confluxerunt inter se orbitae, concreti globi oculorum in media parte frontis per fissuram palpebrarum cernuntur; rostrum totum deficit, ut et fissura labiorum.

DXLIII. Foetus Canis cum capite globoso, praeter duas auriculas, in anteriore parte faciei sibi proxime appositas, nullae aliae faciei partes apparent.

DXLIV. Similis monstrosus foetus Canis, dissectis integumentis communibus atque in quatuor lamellis reclinatis, totum cranium globosum apparet.

DXLV. Foetus Cervi cum capite monstroso. Auriculae in vertice cranii suis partibus inferioribus confluxerunt. Orbitae sistunt cavitates insignes palpebris concretis tectae, ita, ut globi oculorum non appareant; de reliquis facici partibus etiam nihil distincte conspicitur.

DXLVI. Foetus Felis in quo deficiunt artus posteriores.

DXLVII. Fringilla artu sinistro posteriore carens.

Concreta quae divisa manere debuerant.

Huc pertinet atresia ani, vaginae etc. N°. CCCXC-CCCXCIV descripta.

A MUTATA FABRICA, SEU DEGENERATIONE MORBOSA ORGANORUM.

DXLVIII. Foetus maturus sexus potioris cum labio leporino duplicato, sequentibusque deformitatibus. A latere sinistro faciei tres adsunt verrucae satis magnae. In vertice aliquantum sinistrorsum adest hernia cerebri, membranis tenuioribus ab integumentis communibus, ut videtur, ortis tectus; artus sunt deformes. Sinistri lateris brachium longitudinis 26 lin. belg., 1 poll. rhen. in unicum digitum terminatur, qui ex metacarpo et digitorum ossibus constare videtur. In dextro latere brachium paulo longius est, atque manum offert tribus digitis instructam. Artus inferiores etiam vix notabilem longitudinem habent, uterque vero pes licet introrsum conversus rite tamen est conformatus.

DXLIX. Foetus quatuor forte mensium acephalus spurius, cum spina bifida ad inferiorem partem ossis sacri se extendente, atque hernia abdominali. Abdomen valde est complanatum. Hepar cum toto tractu intestinorum, disruptis herniae membranis extra corpus per angustam umbilici aperturam dependet.

DL. Foetus recens natus acephalus, cum spina bifida. Caput in nucham valde est reflexum. Spina bifida ad inferiorem dorsi partem se extendit, tenuis-

si-

simis membranis, a superiore duos saccos constituentibus, tegitur, capilli superiorem partem circumdant.

DLI. Foetus recens natus acephalus, cum spina bifida usque ad lumbos, omnibus integumentis destituta, destructa etiam tota medulla spinali; cerebri massa superstes membrana tenera tegitur, atque sanguinem coagulatum refert.

DLII. Foetus sexus sequioris acephalus, cum spina bifida atque sacco hernioso a parte posteriore cranii dependente. Caput retrorsum positum, pectori impressum est, aeque ac si collum deficeret. Frons tota deficit, ex vertice capitis descendit saccus membranaceus satis amplus, in duas partes inaequales divisus, et sulco a se invicem separatas cui processus falciformis durae matris adhaerere videtur, cingitur hic saccus margine cutis capillis tectae. Spina ad os sacrum est fissa, atque integumentis tenuioribus tecta.

DLIII. Foetus trium vel quatuor mensium funiculi umbilicalis ope cum placenta cohaerens. Ex capitis vertice saccus membranaceus tenuissimus, humore tenui repletus, descendit, tota pars superior conceptaculi cerebri, ut in acephalis spuriis, deficit. Caput pectori est impressum; spina dorsi est bifida usque ad lumbos, ibique cyphosis speciem format. Funis umbilicalis desinit in ingentem herniam umbilicalem. Artus inferiores in articulationibus genuum, et crurum cum pedibus introrsum sunt flexi.

DLIV. Puer recens natus sum insigni hernia cerebri in *vertice capitis*. Totus saccus ex communibus integumentis formatus, nullis *capillis* tegitur; hi vero circumdant collum tenue sacci, ossa conceptaculi cerebri sunt complanata, et per foramen in media verticis cerebrum expulsum fuisse videtur. Antea labium leporinum adfuisse videtur constare ex cicatrice in ipso labio superiori; nasus etiam est deformis, et pro parte duplex. In manu dextra adest pollex cum tribus prioribus digitis; pes dexter ex coalitione digitorum deformis est, pes sinister deficit, desinente crure in extremum obtusum.

DLV. Foetus quatuor forte mensium cum hernia cerebri.

DLVI. Foetus septem mensium sexus potioris cum insigni hernia cerebri. Frons est complanata, non tamen depressa ut in acephalis, totum conceptaculum cerebri valde est elongatum, saccumque amplum quasi refert, qui tamen non solis integumentis communibus, capillis crispis nigris tectus, componitur, sed revera a verticis et occipitis ossibus formatur. Utrique digito minimo parvus supernumerarius adhaeret digitus tanquam appendix.

DLVII. Puer recens natus cum tumore insigni in anteriore parte colli, ex degenerata, et magnitudine aucta glandula thyreoïdea, N°. CCCXVIII descripta. Tumor hic insignis est magnitudinis, a colli sinistra parte ad auriculam dextram se extendit, descendens dein usque ad marginem inferiorem thoracis.

DLVIII. Puella recens nata cum insigni polyposo tumore ex apertura dex-

tra nasi, atque ex cavitate oris prodeunte. Polyposa massa cavitatem oris adimplens, extrorsum tumorem insignem tuberculatum, irregularis figurae, format. Polypus vero e naso surgens licet longe minor, tamen insignis est magnitudinis.

EX ANIMALIBUS.

DLIX. Foetus Canis acephalus spurius, cum nimis brevibus ossibus maxillaribus superioribus. Integumenta communia in vertice conceptaculi cerebri relinquunt spatium triangulare, in quo ossa basis conceptaculi nuda apparent.

DLX. Cranium vituli qui hydrocephalo laboravit.

EX VEGETABILIBUS.

DLXI. Fructus duo Citri medicae inter se in basi concreti, alter duplo longior altero est.

DLXII. Fructus Citri aurantii alterum fructum includens.

DLXIII. Mala duo Citri aurantii deformia.

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

OSSA MORBOSA.

MORBI OSSIUM A CAUSA EXTERNA.

Morbi ossium a compressione.

DLXIV. Cranium cum maxilla inferiore infantis partu laborioso nati; totum cranium valde est elongatum, quum ossa verticis retrorsum e situ quasi sunt pulsa.

DLXV. Cranium cum maxilla inferiore infantis aliquot dies post partum mortui. In media parte ossis verticis dextri notabilis adest intropressio, producta quum caput aliquamdiu incuneatum fuit in introitu pelvis minoris, a prominente nimis promontorio ossis sacri.

DLXVI. Cranium cum maxilla inferiore infantis recens nati, cum notabiliori impressione partis superioris ossis verticis dextri, atque duplici *fissura hujus ossis*, a parte intropressa in suturam sagittalem procurrente.

DLXVII. Cranium cum maxilla inferiore infantis recens nati totum fere obliquum ex situ praeternaturali in utero; dextrorsum inclinatum fere est totum conceptaculum cerebri, ita ut os verticis dextrum sit deforme, os temporis, et ossa basis conceptaculi cerebri hujus lateris situm naturalem mutaverint.

DLXVIII. Conceptaculi cerebri pars superior hominis junioris; os frontis in parte dextra, plagam offert oblongam, complanatam, aequalem, ortam assidua compressione tumoris mollis, ex genere lipomatum.

DLXIX. Cranium cum maxilla inferiore infantis aliquot mensium, qui insigni steatomate in orbita sinistra, cohaerente cum musculis oculi et periosteo ossis jugalis laboravit. Hoc tumore oculus non tantum e situ fuit propulsus, atque orbita valde ampliata, quum os maxillare superius, et os jugale extenuata, e sede depulsa fuerunt, sed totum conceptaculum cerebri obliquam acquisivit figuram. In recenti statu latitudo orbitae inter extrema supercilii erat 35 lin. belg., 1 poll. 4 lin. rhen. ejusdem latitudo in inferiore parte 41 lin. belg., 1 poll. 7 lin. rhen. altitudo orbitae 44 lin. belg., 1 poll. 8 lin. rhen. Exsiccatione amplitudo orbitae parum est imminata.

Morbi ossium a contusione.

DLXX. Tibia sinistra infantis glande e sclopeto emissa laesa. Glans plumbea tota complanata substantiae ossis aliquamdiu inhaesit, unde hoc in loco pars ossis deperdita est, superstite tantum lamina posteriore; novo callo cellularis substantiae os ab inferiore et posteriore obductum est. Interna ossis superficies, cui adhaesit glans, est porosa.

DLXXI. Pars anterior conceptaculi cerebri hominis junioris, cujus os frontis parum supra orbitam sinistram cuspide unci navalis, magna vi fuit pertusum; periit aeger ex haemorrhagia intra conceptaculum cerebri, et concussione cerebri lapsu producta. Instrumento laedente mox retracto, fragmenta tabulae externae partim separata extrorsum sunt tracta, quod procul dubio tenuitati atque majori elasticitati ossium in juniore hac aetate adscribendum videtur.

Necrosis ossis.

DLXXII. Pars corporis ossis femoris, longitudinis 192 lin. belg., 7 poll. 4 lin. rhen. post fracturam in parte inferiore exfoliatione separata. In extremitatibus egregie apparet processus naturae in separatione partis mortuae a viva.

DLXXIII et DLXXIV. Tibiae, et fibulae dextrae pars inferior ex homine adulto. Tempore hyemali intenso frigore pedes congelati, ac sphacelo affecti fuerunt, ad altitudinem palmae manus supra articulum pedum. Vita in affectis partibus tota extincta, crena inflammatoria vivam partem a mortua distinguit. Haec crena non tantum se extendebat per partes molliores externas, sed etiam ad periosteum atque ipsum os. Totum itaque extremum mortuum hujus ossis ab exteriore et interiore, uti in sectione longitudinali tibiae apparet, crena non tantum a viva parte distinctum est, sed absorptione jam periit quaedam pars intermedia; in extremo vivo callus osseus in superficie externa est secretus, dum ab interiore cellularis substantia apparet. In utraque vero parte cellularis substantia in recenti specimine omni medulla erat orbata, et vacua nunc etiam cernitur; altera pars serrae ope ablata in spiritu vini reconditur N°. CCXCV.

Fibulae extremum jam a mortua parte est separatum, atque in toto ambitu callo obductum (1).

Fracturae.

DLXXV. Ossis femoris dextri hominis adulti pars superior, ab inferiore fractura separata. Circa marginem fracturae indicia apparent formatae crenae inter

(1) Conf. A. Bonn, *Tab. oss. morb.* Tab. 18. Fig. 1. Tibia. Fig. 2. Fibula.

ter partem vivam et mortuam; a fractura adscendit subtilis fissura, similisque fissura etiam in ambitu colli observatur.

DLXXVI. Tibiae sinistrae hominis robusti pars superior, ab inferiore fractura separata. In extremo diffracto cernitur pars necrosi affecta a viva parte crena distincta. Inter superficies articulares genu et tuberculum, cui inseritur ligamentum patellae, adest insignis exostosis.

DLXXVII. Os humeri hominis adulti quod in media parte diffractum, non vero conferruminatum fuit. Extremum utrumque valde extenuatum est, atque novam pseudo-articulationem formavit.

DLXXVIII. Ossa articulum genu componentia, ligamentis nexa. Patella fractura transversa in media parte divisa est, atque fragmenta per distantiam 60 lin. belg., 2 poll. $3\frac{1}{2}$ lin. rhen. a se invicem remota, uniuntur substantia ligamentoso-aponeurotica.

DLXXIX. Conceptaculi cerebri pars superior hominis adulti. Fractura hic adfuit in latere sinistro ossis frontis et lamella orbitali, fragmentum introrsum fuit pressum, et ossi reliquo pro parte subjacet; effuso callo autem tota haec fractura rursus est conferruminata, magnitudine orbitae parum imminuta. Aeger diu hanc laesionem supervixisse videtur, ut ex toto habitu ossis in ambitu vulneris apparet (2).

DLXXX. Costa dextra Bovis, quae circa posteriorem partem fuit diffracta; licet extrema inter se callo rursus concreta sint, et ab exteriore tumorem globosum referant, constat cystidis speciem hic a callo fuisse formatam, apertura magna ab interiore hiantis, quae in recenti statu repleta fuit substantia molli membranacea, vasculosa.

DLXXXI. Pars superior conceptaculi cerebri hominis adulti, melancholici, qui de rebus suis domesticis desperatus, ex vitae taedio mortem sibi intulit sclopeto manuali, fronti imposito. Glans plumbea transiit os frontis in media fere parte, in quo adest foramen ovale, cujus margo in tabula externa est acutus, aequabilis, in tabula autem interna inaequabilior ex dissilitis fragmentis minoribus; percurrit dein glans dextrum haemisphaerium cerebri ad ossis occipitis partem dextram prope suturam lambdiformen, ibique rursus hoc os perforavit foramine vero minore, atque magis rotundo; in hoc foramine margines tabulae internae sunt aequabiles, tabulae vero externae valde inaequabiles, dissilitis fragmentis etiam majoribus; simulque fissura in osse occipitis et verticis producta fuit.

DLXXXII. Cranium cum maxilla inferiore hominis edentuli, qui lapsu diffregit os maxillare superius dextri lateris, ita ut diffracta pars cum osse jugali, in nexu cum osse frontis etiam ab eo soluto, introrsum pressa sit. Fractura tamen rur-

(2) A. Bonn, l. c. Tab. 3.

rursus fuit sanata, pars tamen corporis ossis maxillaris periit, unde antrum Highmori foramine magno hiat. Omnia autem probant aegrum sanationem diu supervixisse (3).

DLXXXIII. Cranium cum maxilla inferiore hominis adulti, cujus facies, in praelio navali A°. 1780. prope *Doggersbank*, a globo e tormento bellico explo-so, et faciem transeunte, maximam partem destructa fuit. Ossa maxillaria superiosa atque ossa nasi in plura fragmenta fracta, et os jugale dextrum in nexu cum osse frontis dissolutum, fuerunt. Quum diu supervixit miser, omnia ea fragmenta mirum in modum rursus sunt concreta; a latere dextro dens molaris primus, atque appositus bicuspidatus, a sinistro duo dentes molares supersunt, dum reliquus margo alveolaris valde deformis est. In maxilla inferiore ab utroque latere duo dentes molares supersunt, deperditis reliquis, deletis pro parte eorum alveolis.

DLXXXIV. Cranium cum maxilla inferiore hominis junioris, Dani, qui lapsu ex alto, utrumque os femoris, et os humeri dextrum diffregit; quae autem fracturae, dum aliis morbis laborabat nondum sunt sanatae; in conformatione menti etiam aliqua deformitas cum difficultate manducationis observabatur, sed haec parvi momenti existimabat aeger. Post mortem vero constitit utrumque capitulum maxillae inferioris etiam lapsu fuisse diffractum, ipsaque fragmenta ab interiore, loco decliviori, cum maxilla rursus esse concreta, ita tamen ut articulatio a parte ossium temporum illaesa superfuerit, sed ex deleta figura naturali capitulorum motus fuit difficilior, et longitudo maxillae imminuta. Interior superficies maxillae, nec non ipsius margo inferior infra dentes incisores indicia praebent hac in parte maxillam fuisse fractam, vel carie affectam, licet in externa superficie nulla vestigia supersint (4).

DLXXXV. Ossa pelvis juvenis; os innominatum dextrum prope conjunctionem cum osse sacro glande plumbea, e sclopeto emissa, diffractum est; glans in substantia ossis haeret, neque aeger vulnus diu supervixisse videtur.

DLXXXVI et DLXXXVII. Tibiae et fibulae pars inferior hominis adulti; uterque malleolus fuit diffractus, atque callo rursus cum osse concretus.

DLXXXVIII. Os femoris Avis, longitudinaliter dissectum, quod defractum, sed rursus sanatum fuit. Extrema juxta se invicem sunt collocata, atque magna copia calli juncta, extrema ipsa sunt clausa.

Morbi articulationum.

DLXXXIX-DXCI. Os humeri, radius, atque ulna dextri lateris foeminae adul-

(3) A. Bonn, l. c. Tab. 5.
(4) A. Bonn, l. c. Tab. 7.

adultae, quae abscessu in articulo horum ossium laborans, constanter amputationem negavit, unde tandem marasmo affecta periit. Capita trium horum ossium non tantum omni cartilagine articulari sunt orbata, sed tota cariosa, deformia, dum ultra articulationem ossa etiam in superficie externa consumta sunt. Omnia haec ossa sunt levissima.

DXCII. Articulus genu hominis adulti; consumto carie condylo ossis femoris externo, atque pro parte condylo interno, tibia oblique in latus externum, atque retrorsum est luxata, et pone condylos ossis femoris posita, in femore excavationem produxit. Patellae superficies articularis, novo producto callo, se accommodavit ad superficiem anteriorem valde inaequabilem condylorum ossis femoris. Videtur itaque caries in articulo adfuisse, quae sanata est absque concretione ossium.

DXCIII. Scapula, clavicula, atque pars superior ossis humeri dextri lateris, ligamentis nexa foeminae adultae, quae post gravem summi humeri contusionem, laborabat tumefactione insigni totius articuli, cum vehementi dolore, atque effusione humoris fluctuatione manifesta. Variis ex arte praescriptis remediis tumor imminuebatur, adeo ut crepitatio ossium sub motu ossis humeri, cavitatis glenoïdeae superficies solito latior, nec non acromii fractura facile distinguerentur, depulso interiora versus capite ossis humeri. Dein dissectione cadaveris constitit, et in specimine adhuc apparet, scapulae cavitatem articularem *insigniter* esse auctam ex callo secreto in margine interiore atque *inferiore*; adeo ut longitudo ipsius sit 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen., atque latitudo 33 lin. belg., 1 poll. 3 lin. rhen., cum superficie articulari satis aequabili. Cum hoc deformi novo articulo committebatur pars superior ossis humeri, cujus vertex, consumto toto fere capite, continuo attritu superficiem acquisivit laevem; cum ligamento capsulari cohaerent fragmenta duo ossea, quae novae formationis videntur. Summus humerus diffractus cernitur, ejusque abruptum extremum cum clavicula junctum, ac depressum, ligamenti ope cum spina scapulae cohaerens, omnem motum claviculae sequebatur.

DXCIV. Cranium cum maxilla inferiore foeminae edentulae. Maxilla inferior a latere sinistro fuit luxatum, hujus lateris capitulum altero est minus, detritum, atque cariosum; tuberculum ante sinum articularem in osse temporis etiam deletum, indicia praebet huic diu impositum fuisse capitulum maxillae.

DXCV-DXCVII. Os humeri, radius, atque ulna hominis adulti, qui luxatione radii laboravit; in extremo inferiore humeri capitulum pro articulo capitis radii vix a superficie articulari ulnae distinguitur, adeo ut unica tantum adsit superficies. Ulnae caput superius nullam superficiem articularem exhibet ad admittendum caput radii. Radii caput superius in vertice nondum cum capitulo ossis humeri fuisse articulatum ex deleta partim hac superficie constat, verum pars ipsius

lateralis, caeterum ulnae adnexa, latior est atque unciformem processum monstrat.

DXCVIII. Scapula dextra hominis adulti, qui videtur subluxatione deorsum ossis humeri laboravisse; cavitatis enim glenoïdeae pars superior vix mutata cernitur, inferior autem magis est ampliata, margines ex callo noviter producto sunt elevati, inaequabiles, atque superficies articularis sulcata.

DXCIX. Scapula sinistra hominis adulti, qui luxatione ossis humeri laboravit; cavitas glenoïdea scapulae callo noviter formato deleta est, atque alia superficies articularis producta est ad interiorem superficiem colli scapulae, quae porosa, leniter excavata, et limbo crasso cincta invenitur.

DC. Pars inferior ossis humeri, cum ossibus cubiti, carpi et metacarpi sinistri lateris hominis adulti; ligamentis omnia ossa sunt nexa. Radii caput inferius extrorsum in articulo cum ulna luxatum est, ita ut ulnae capitulum inferius extrorsum promineat, et radius immobilis cum manu in statu supinationis sit.

DCI. Ossa pedis extremi cum inferioribus partibus tibiae atque fibulae sinistri lateris foeminae adultae; distorsione ossis navicularis et cubiformis totus situs pedis est mutatus, digiti deorsum introrsumque sunt positi, ita ut pedi insistere non potuerit; ossa tarsi anchylosi cohaerent.

MORBI A CAUSA INTERNA.

DCII. Os innominatum dextrum hominis robusti; parte superiore acetabuli sursum propulsa, acetabuli latitudo insigniter adaucta est, licet in fundo nullam mutationem subierit. Caput ossis femoris latitudine procul dubio valde fuit auctum.

Anchylosis.

DCIII. Cranium cum maxilla inferiore, atque sex superioribus vertebris colli hominis adulti, qui per seriem annorum laborans paralysi universali in lecto decubuit. Maxilla inferior anchylosi ossibus temporum est nexa, sed tam parva quantitate calli, ut primo intuitu nulla vera anchylosis obtinere videatur, et omnis ambitus articulationis sanus appareat, accuratiori vero examine constat veram anchylosin hic locum habere. Dentes incisores omnes, cuspidati et non nulli bicuspidati fuerunt evulsi, et nonnullorum tantum alveoli supersunt. Post luxationem epistrophei, qua processus dentiformis ab arcu atlantis introrsum cessit, et in quibus partibus vestigia praesentis cariei supersunt, canalis pro medulla spinali capacitate valde fuit imminutus, caput antrorsum promotum, et superior cervicis pars in eundem sensum incurvatum. Anchylosi etiam omnes processus articulares vertebrarum, et atlas cum osse occipitis cohaerent. Sectione horizontali cum perpendiculari juncta conceptaculum cerebri a latere dextro est aper-

apertum, ita ut inminutio canalis vertebralis apparcat, prominente processu dentiformi epistrophei in media parte foraminis magni.

DCIV. Thorax cum infima vertebra colli, atque quatuor vertebris lumborum ejusdem hominis; omnes vertebrae anchylosi processuum articularium et marginum nonnullorum corporum inter se, et cum costarum capitulis et tuberculis, exceptis costis duabus inferioribus dextri lateris, concretae sunt. Costae superiores quatuor ad aliquam a spina distantiam sunt diffractae, reliquae sunt integrae. Sterni tria ossa etiam inter se sunt concreta. Spina dorsi parum antrorsum est incurvata.

DCV. Ossa pelvis ejusdem hominis; infima lumborum vertebra anchylosi processuum articularium cum osse sacro, atque hoc cum ossibus iliis cohaerent. Licet ossium pubis margines ad se invicem jam accesserant, tamen vera anchylosis hic nondum locum habuit.

DCVI. Os sacrum hominis adulti, cum coccyge et duabus inferioribus vertebris; coccygis ossa inter se, et cum osse sacro anchylosi sunt juncta, atque tali ratione incurvata, ut extremum inferius coccygis sursum antrorsumque spectet.

DCVII. Duo ossa innominata cum osse sacro hominis adulti, in conjunctione ossium pubis concreta. In sinistro latere fractura rami horizontalis atque descendentis circa tuber ossis ischii adfuit; tuber ischii hinc praeternaturalem acquisivit figuram, extrorsum est incurvatum, ab inferiore valde complanatum, atque ab exteriore tuberculosum. Ossa pubis firmiter inter se sunt concreta, atque ab exteriore superficiem inaequabilem, asperam monstrant, dum a parte pelvis glaberrima superficies superest; in nexu autem horum ossium foramen conspicitur stylum admittens, quo constat ab interiore tamen cavum superesse, atque ossa non nisi in ambitu fuisse concreta.

DCVIII. Ossa innominata cum osse sacro viri adulti. Ossa pubis ligamento capsulari in os verso, a superiore et pro parte a posteriore, firmiter inter se sunt concreta; praeterea in margine anteriore etiam concretio observatur, licet superficies articulares inter se non cohaereant.

DCIX. Anchylosis ossis femoris cum tibia sinistri lateris hominis adulti. Praegressa luxatione tibiae mirum in modum haec ossa juncta sunt; firmiter enim condylus internus femoris cum posteriore superficie tibiae sub angulo recto concrevit, adeo ut crus hujus lateris pone crus alterius positum fuerit.

DCX. Tibia et fibula sinistri lateris hominis adulti. Tibiae caput superius obliquam monstrat superficiem articularem, ita ut sub angulo femori adjunctum fuisse videatur. Fibulae caput superius e loco articulari depulsum per distantiam 26 lin. belg., 1 poll. rhen. juxta tibiam descendit, ibique superficiei externae firmiter accrevit. Corpus fibulae est incurvatum, complanatum, atque a tibia solito magis recessit, malleolus vero in situ mansit, sed post mortem elasticitate ossis parum a tibia resiliit.

Morbi ossium a tinea capitis.

DCXI. Os verticis infantis, qui Tinea capitis laboravit. Locus affectus tumefactus atque valde porosus est, ipsa tabula interna est sana, sed externa atque diploë valde cellularis, sive spongiosa ut in ipsa sectione apparet.

Morbi ossium a causa venerea.

DCXII. Cranium cum maxilla inferiore hominis adulti, aperto a latere sinistro conceptaculo cerebri. E lue Venerea omnia ossa, quae superiorem partem camerae cerebri constituunt, fere tota, vel saltem pro majori parte destructa sunt. Ossis verticis dextri major pars exfoliatione deperditum est, adeo ut sola dura mater hic adsit, dum margines sat probant hoc latum admodum ulcus fere ad sanationem jam pervenisse. Ossis frontis tabula externa exfoliatione etiam separata est, adeo ut praeter tenuissima, atque hic et illic perforata tabula interna nihil duram matrem tegat; hinc sinus frontalis sinister etiam est apertus, margines vero hic acutiores sunt, sed tamen incipientis sanationis indicia praebent. Pars sinistra conceptaculi, serrae ope ablata, deperdita est. Maxillae inferioris ramus horizontalis dexter, carie etiam fere totus est consumtus, adeo ut nonnisi paries interna supersit, atque dentes bicuspidati et molares proprie dicti una cum alveolis perierint, reliqui dentes, molari primo excepto, cujus alveolus est clausus, adsunt; in maxilla superiore a dextro latere omnes dentes adsunt, in sinistro autem perierunt, atque margo alveolaris est cariosus.

DCXIII. Cranium cum maxilla inferiore foeminae adultae, quae carie venerea laboravit, sed ab ea sanata, diu adhuc supervixit. Ossa externa narium pro parte perierunt, destructum autem totum est septum, nec non ossa spongiosa inferiora; hinc ossa nasi perpendicularem situm acquisiverunt, ossa maxillaria ab anteriore sunt depressa, et apertura narium valde imminuta, oblongam offert fissuram. In maxilla superiore omnes perierunt alveoli, et bases ossium palati sunt foramine pertusae. Maxilla inferior multum antrorsum prominens nullos continet dentes, plurimorumque alveoli sunt delcti.

DCXIV. Os verticis dextri lateris insignis crassitiei. Externa superficies est rugosa, denticuli suturarum sunt obtusi, interna superficies impressiones satis profundas arteriarum durae matris exhibet.

DCXV. Tibia dextra hominis adulti juxta totam longitudinem tumefacta, unde triangularis forma in ovalem, ab anteriore et posteriore compressam formam transiit. Corticalis substantia est satis compacta, atque cavum medullare cellulosa tela tota repletum.

DCXVI. Tibia dextra hominis adulti in parte media tumida; sectione transversali constat cellulas corticis, qua parte os intumuit, esse auctas, et a se invicem quasi separatas, dum reliqua substantia corticis valde est aucta, atque sana compactior.

DCXVII. Os femoris sinistri lateris hominis adulti ponderosum, crassum, et in externa superficie lamellis osseis, maxime in media parte obsessum, cum quatuor foraminibus fistulosis ad cavum medullare tendentibus, quorum duo in superiore, totidem in inferiore parte observantur, quae probare videntur ipsum vitium in cavo medullari esse quaerendum. Dissectione transversa ossis constat substantiam totam non esse valde solidam, sed magis pumicosam, ipsumque cavum medullare esse imminutum.

DCXVIII. Ossis femoris dextri lateris ejusdem hominis pars inferior, in tres partes transversim dissecta. Totum hoc os simili vitio affectum fuisse constat. Sectio inferior mediam partem aperturae canalis fistulosi transiit; hic canalis parietes internos aequabiles monstrat, atque penetrat ad substantiam ossis pumicosam, dum ab interiore obductus fuit pseudo-membrana, conveniente cum ea, quae fistulosos canales partium mollium investire solet, intra hanc aperturam durante vita fragmentum oblongum, solutum a reliquo osse, in ulceris fundo conspiciebatur. Fistula vero haec a cavitate medullari, in hoc osse pumicoso valde imminuta, distincta est. In superiore parte omnis cavitas est deleta, et substantia ossea *cellularis*, vel pumicosa.

DCXIX. Os femoris sinistrum hominis robusti, in parte media et interiore obsessum exostosi, longitudinis 144 lin. belg., 5 poll. 6 lin. rhen., atque squamae ad instar ossi adhaerens; media in parte inter exostosin atque corpus ossis spatium, sive fissura adest, utrumque extremum indicia offert partem de osse sano fuisse separatam, atque dein iterum cum eo concrevisse.

DCXX. Conceptaculi cerebri pars superior hominis adulti. In osse verticis dextro foramen adest exesum carie, a fungo durae matris producta; in tabula externa margines sunt inaequabiles, porosi; in tabula interna erosio major fuit ab anteriore parte, margines hic in genere sunt acuti, sed in toto ambitu tabula haec valde est porosa, tumefacta, atque indicium praebet praesentis *inflammationis* chronicae durae matris.

Morbi ossium a morbo rhachitico, vel affinibus morbis.

DCXXI. Ossa diversa infantis rhachitico morbo affecti, partim longitudinaliter dissecta, et maceratione depurata, in quibus substantia ossea mutata observatur; partim enim tumefacta, et leviora quam in statu naturali, fibrosam structuram optime demonstrant.

DCXXII. Ossa verticis, occipitis, multiforme, cribriforme, maxillaria superiora, nasi, vomer, atque maxilla inferior infantis duorum vel trium annorum, morbo rhachitico affecta. Ossa verticis et frontis nova crusta ossea partim obducta sunt, quae supra tabulam externam est effusa, ut optime apparet in altera parte ossis frontis serra juxta longitudinem divisa; multiforme atque maxillaria superiora, et maxillare inferius erosa sunt.

DCXXIII. Cranium cum maxilla inferiore infantis rhachitici, duorum circiter annorum. Conceptaculum cerebri magnum, quadratae figurae, in fronte duobus tuberibus valde protuberat; fontanella adhuc satis magna est, ac superficies externa omnium fere ossium inaequabilis est. Prodierunt dentes incisores maxillae superioris, medii incisores, atque bicuspidati primi in maxilla inferiore.

DCXXIV. Os sacrum, coccygis, atque omnes vertebrae spinae, suprema excepta cum arteria aörta, cera impleta, foeminae adultae, quae singulari curvatura spinae, ad scoliosin pertinente, laboravit. Licet maxima curvatura sinistrorsum atque retrorsum circa inferiorem dorsi partem obtineat, dens epistrophei tamen perpendicularem habet situm ad mediam partem ossis sacri. Linea perpendicularis ab epistrophei processu ad extremum coccygis ducta est 445 lin. belg., 17 poll. rhen., ducta vero fila ab eadem superiore vertebra juxta omnes processus spinosos, ad extremum rursus coccygis = 628 lin. belg., 24 poll. rhen., adeo ut ipsa curvatura sit insignis. Ex lato osse sacro vertebrae lumborum mox retrorsum atque sinistrorsum inflectuntur, adeo ut vertebrarum lumborum situs sit fere horizontalis; suprema lumborum vertebra tantopere sinistrorsum est conversa, ut processus transversus sinister mediam dorsi partem occupet; corpora duarum inferiorum vertebrarum dorsi a latere dextro maximam partem compressione deleta sunt, ita ut superior spinae pars rursus antrorsum adscendat, et corpora ab anteriore, processus spinosi a posteriore inveniantur. Arteria aörta flexuram sequens angulum ergo offert supra ortum arteriae coeliacae 45 graduum, et non obstante insigni hac curvatura, ubique naturalem capacitatem conservavit. Omnia ossa caeterum sunt sana, satis robusta, atque solida.

DCXXV. Spina dorsi, vertebra suprema excepta, cum ossibus thoracis pueri, qui ingenti cyphosi laboravit. Praeter duas costas superiores utriusque lateris reliquae omnes ad aliquam distantiam a fpina, atque a cartilaginibus costarum sunt resectae, ita tamen ut constet de situ mutato sterni et omnium costarum. Corpus supremae vertebrae lumborum atque novem sequentium vertebrarum dorsi carie sunt consumta, atque extrema inter se concreta, hinc curvatura insignis est producta, et processus spinosi acutum formant angulum. Linea quae juxta omnes processus spinosos ducitur 105 lin. belg., 4 poll. rhen. longior est perpendiculari, a dente epistrophei ad coccygem ducta. Ubi circa vertebras dorsi caries observabatur, saccus aderat amplus, membranaceus collectionem fragmen-

to-

torum ossium pumicosorum, cum insigni quantitate puris continens, intra mediastinum posterius situs, atque desinens in duos sinus ad ligamenta POUPARTII tendentes. Diu ulceribus fistulosis ad inguina apertis laboraverat, atque tandem macie consumtus perierat.

Crania hydrocephalo affecta.

DCXXVI. Pars superior conceptaculi cerebri foetus septem mensium, monoculi, qui etiam hernia umbilicali laborabat. Caput aliquantum est obliquum, parte laterali dextra majore parte sinistra. Os frontis ex uno osse constans exiguum spatium, sive fontanellam reliquit cum ossibus verticis, quod procul dubio a concretione nimis cito partium ossis frontis derivandum est. Ossa vero parietalia in media parte suturae sagittalis relinquunt inter se spatium latum, quodammodo triangulare, periosteo atque dura matre clausum. In nexu apicis ossis occipitis cum parietalibus etiam parva adest fontanella. Dura matre ab interiore relicta, constat totum processum falciformen deësse.

DCXXVII. Ossa verticis cum superiore parte ossis occipitis foetus sex mensium; in sutura sagittali ab ossibus parietalibus simile spatium relictum est quam in praecedenti specimine, periosteo clausum. Separata ab interiore dura matre constat ossium superficiem solito esse inaequabiliorem, atque ossa majorem habere crassitiem quam in infante recens nato.

DCXXVIII. Cranium cum maxilla inferiore foetus. Omnia ossa conceptaculi cerebri tenuissima, hydrocephalo interno maxime a se invicem remota, atque membranis nexa sunt. Verticis ossa solito sunt multo minora, atque circumdantur ab omni parte innumeris ossiculis WORMIANIS, oblongis, radiatim dispositis; ossis occipitis pars occipitalis etiam non satis evoluta, simili ratione ossiculis WORMIANIS circumdatur. Ossa faciei sunt naturalia. Ossa trunci et artuum ex emollitione erant valde deformia.

DCXXIX. Cranium cum maxilla inferiore infantis aliquot mensium. Fontanella major solito magis inter ossis frontis partes descendit, ibique fissuram oblongam atque latam refert, cujus inferior margo indicium praebet parvi processus, cui durae matris processus falciformis adhaeret. Totum cranium demonstrat hydrocephalo interno hunc infantem laboravisse. Latitudo fissurae inter partes ossis frontis est 25 lin. belg., $11\frac{1}{2}$ lin. rhen. Longitudo totius fontanellae = 63 lin. belg., 2 poll. 5 lin. rhen.

DCXXX. Cranium cum maxilla inferiore infantis quinque vel sex mensium, qui hydrocephalo interno laboravit. Cranium solito est longe majus; fontanella major admodum est insignis, sed ejusdem formae quam in praecedente specimine, ex ejus margine inferiore ab osse frontis sinistro formatur processus longitu-

dinis circiter 30 lin. belg., 1 poll. 2 lin. rhen., cui processus falciformis durae matris adhaeret. Latitudo fontanellae inter ossa frontis est 33 lin. belg., 1 poll. 3 lin. rhen.; totius fontanellae longitudo = 80 lin. belg., 3 poll. 1 lin. rhen., pleraque ossa sunt in plurimis locis fenestrata, clausis illis foraminibus dura matre, caeterum ubique valde tenuia; orbitae sursum sunt elongatae, lamellae orbitales ossis frontis in fundo parum depressae.

DCXXXI. Pars superior conceptaculi cerebri infantis unius anni, hydrocephalo distenti. Fontanella adhuc valde est magna; ossa vero suturarum ope jam sunt juncta; in verticis osse dextro duo apparent foramina praeternaturalia dura matre ab interiore clausa.

DCXXXII. Cranium infantis recens nati, cum maxilla inferiore. Latitudo cranii inter duo tubera ossium verticis est 100 lin. belg., 3 poll. 10 lin. rhen. Fontanella anterior est insignis. Inter ossa verticis prope suturam lambdiformen apertura oblongo-transversa superest, membranis clausa, latitudinis 39 lin. belg., 1 poll. 6 lin. rhen., atque longitudinis 30 lin. belg., 1 poll. 2 lin. rhen. Ex tota figura conceptaculi cerebri constare videtur, hunc foetum hydrocephalo interno laboravisse.

DCXXXIII. Cranium cum maxilla inferiore infantis aliquot mensium, qui hydrocephalo interno laboravit. Omnia ossa conceptaculi cerebri ad distantiam transversi digiti a se invicem distant, atque in membranis, ossa conjungentibus, parva ossicula Wormiana distinguuntur. Fontanella major se inter ossis frontis partes non extendit; hae enim partes fere sibi invicem adstant. Omnia ossa in externa superficie sunt porosa, atque in osse verticis dextro locus est cariosus.

DCXXXIV. Cranium cum maxilla inferiore horizontali sectione divisum infantis duorum annorum et quod excurrit, in quo prima dentitio jam est absoluta, qui hydrocephalo interno laboravit. Totum conceptaculum cerebri magnitudine est auctum. Frons protuberat, vertex est complanatus, ossis occipitis pars quae ad conceptaculum cerebri pertinet valde ampla, ea vero pars quae cerebellum tegit, vix est evoluta. Os frontis sutura adhuc dividitur; fontanella satis est ampla, sutura sagittalis tota deleta, os verticis dextrum non longe a loco ubi sutura esse solet foramine pertusum. Conceptaculi cerebri ossa, quae valde tenuia sunt, membranarum ope adhuc connectuntur. Faciei magnitudo est naturalis, orbitae vero sursum sunt elongatae, atque lamellae orbitales ossis frontis depressae. Longitudo conceptaculi cerebri est 175 lin. belg., 6 poll. 8½ lin. rhen. Latitudo in medio = 140 lin. belg., 5 poll. 4 lin. rhen.

DCXXXV. Pars superior conceptaculi cerebri infantis recens nati, hydrocephalo laborantis. Ossa verticis, ut et reliqua valde sunt tenuia, in diversas partes fissa, atque membranis nexa; omnia ossa a se invicem insigniter distant, unde tota haec pars fere est membranacea, atque expansio cranii inprimis superiora versus locum habuit; sectio fuit instituta supra orbitas atque tentorium cere-

bel-

belli. In hac sectione diameter longitudinalis = 131 lin. belg., 5 poll. rhen., transversalis, nec non altitudo = 144 lin. belg., 5 poll. 6 lin. rhen.

DCXXXVI. Pars superior conceptaculi cerebri hominis adulti, solito longe capacioris; suturae distinctae supersunt, atque os frontis etiam in duas partes est divisum. Videtur hydrocephalo laboravisse. Ossa vero sunt debitae crassitiei, et satis ponderosa; diameter longitudinalis = 185 lin. belg., 7 poll. 1 lin. rhen., et transversalis = 150 lin. belg., 5 poll. 9 lin. rhen.

DCXXXVII. Cranium cum maxilla inferiore foetus Equi, qui hydrocephalo laboravit; hinc fronte elevata conceptaculum cerebri cavitatem ab anteriore globosam format. In utroque latere insignis plaga membranacea adest, major vero in dextro quam in sinistro latere, intermedia parte ossea, ex fronte ad verticem tendente, cui processus falciformis adhaeret. Sectione horizontali conceptaculum cerebri est apertum.

DCXXXVIII. Cranium cum maxilla inferiore vituli robusti, qui aliquamdiu hydrocephalo laboravit. Totum conceptaculum cerebri mirum in modum est auctum, et ex osse satis solido constat, superstite parva plaga membranacea in vertice. Cornua jam prodierunt, et nucleos robustos in basi monstrant. Totum conceptaculum sectione horizontali est dissectum.

MORBI OSSIUM, ATQUE DEGENERATIONES ALIARUM PARTIUM, QUAE AD PRIORES SECTIONES REFERRI NON POTUERUNT.

DCXXXIX. Scapula dextri lateris hominis adulti, qui singulari ossium morbo laboravit, et cujus nonnulla ossa spiritu idoneo recondita, descripta sunt N°. CCCII ad CCCIX. addita historia morbi, et sectione cadaveris. In hac scapula variis in locis a se invicem secesserunt tabulae ossis, atque partim destructae exesam offerunt naturam.

DCXL. Os humeri dextri lateris ejusdem, breve sed robustum, in superiore parte totum incurvatum, ibique simili ratione exesum.

DCXLI. Os innominatum dextrum ejusdem, simili ratione sed majori gradu exesum, adeo ut tota substantia ossea variis in locis sit deperdita, ibique substantia cartilaginosa repleta.

DCXLII. Os femoris dextrum ejusdem; utrumque extremum, superficiebus articularibus exceptis, valde tumefactum atque deforme est, tabula externa est exesa, inaequabilis, atque substantia cartilaginosa repleta apparet.

DCXLIII. Tibia et fibula dextri lateris ejusdem; utrumque hoc os extrorsum valde est incurvatum. Tibiae extrema insigniter tumefacta, simili ratione affecta sunt quam praecedentia ossa; superficies articulares etiam videntur degeneratae.

DCXLIV. Calcaneus dextri lateris ejusdem, maceratione depuratus, deperdita nunc omni substantia cartilaginosa totum os singularem adspectum offert.

DCXLV. Duo ossa metatarsi ejusdem, simili ratione affecta.

DCXLVI. Cranium absque maxilla inferiore vetulae, quae insigni carie in tota superiore parte conceptaculi cerebri laboravit. In osse verticis dextro adest foramen ex consumtione fere totius hujus ossis, ut et aliud prope unionem suturae sagittalis et lambdiformis, nec non tertium minus in osse frontis; omnis vero reliqua superficies tuberculosa, inaequabilis sanatae cariei offert indicia (5).

DCXLVII. Pars inferior cranii hominis adulti. In maxilla superiore omnes adsunt dentes, verum valde abrasi et partim in ambitu et in superficie coronae crusta calcarea tecti. Maxilla inferior carie a latere sinistro pro majori parte est consumta, pars vero dextra post sanatam cariem tota est deformis, adeo ut margine suo anteriore multum retrorsum cedat, neque ulla ratione manducationi inservire potuerit; margo alveolaris totus est deletus.

DCXLVIII. Articulatio genu hominis robusti, mirum in modum degenerata. Uterque condylus ossis femoris tantopere extensus est, ut circumferentia ossis sit 582 lin. belg., 22 poll. 3 lin. rhen., diameter recta = 170 lin. belg., 6 poll. 6 lin. rhen., transversalis = 183 lin. belg., 7 poll. rhen. Externa superficies in genere aequabilis, intropressionibus divisa, inprimis, ubi ipsius expansio minimam invenit resistentiam. Sectione horizontali tumore hoc osseo dissecto, ab interiore sistit cavum, tenui lamella ossea cinctum, cujus parietes sunt valde fibrosi atque texturam reticulatam referunt. Anteriori parti anchylosi adhaeret patella, quae ceterum sana videtur. Tibia nullo vitio laborans, mobili articulo cohaeret cum femore, cujus margines, circumdantes tibiam, impediunt quin solvatur.

DCXLIX. Costae quatuor spuriae sinistri lateris, cum partibus cartilaginum, pro parte in os versarum. Inter se hae costae cohaerent, lamella insigni ossea ad pleuram deposita, et cui ab interiore adhaesit pulmo.

DCL. Exostosis insignis magnitudinis e conceptaculo cerebri Vaccae, mactatae mense Novembris anni 1795. in Pago *Gouderak*. Durante vita nulla laesio observata erat in organis sensuum externorum, vel aliqua functione. Externa superficies quodammodo aemulatur superficiem cerebri, atque numerosissima vasa juxta eam proserpuisse manifestum est; substantia est ossea, admodum compacta, atque securis ope ab ipsis ossibus separata, unde insignis portio, unius circiter librae, deperdita est; cuinam vero parti conceptaculi adhaesit plane est incognitum. Longitudo hujus exostosis est 183 lin. belg., 7 poll. rhen. Latitudo maxima 92 lin. belg., 3 poll. 6 lin. rhen.

VA-

(5) Vid. A. VAN SOLINGEN, *de stupenda inprimis cranii carie per naturam et artem feliciter curata.* Ultraj. 1780. in 8vo.

VARIA.

DCLI. Pars superior conceptaculi cerebri infantis recens nati. Inter duas partes ossis frontis os WORMIANUM oblongum adest; fontanella non nisi parva superest.

DCLII. Conceptaculi cerebri hominis adulti pars superior. Os WORMIANUM adest insigne ubi antea adfuit fontanella anterior, et cujus figuram egregie servavit.

DCLIII. Similis pars conceptaculi cerebri hominis adulti cum osse WORMIANO in eodem loco, licet suturae in externa superficie supersint nequidem vestigium earundem ab interiore conspicitur.

DCLIV. Conceptaculi cerebri hominis adulti pars superior. Os WORMIANUM sat magnum, oblongum adest inter os frontis et duo ossa verticis.

DCLV. Ossa verticis hominis adulti, quibus adhaerent in margine posteriore tria ossa WORMIANA notabilis magnitudinis. Denticuli in sutura sagittali sunt solito majores.

DCLVI. Pars posterior conceptaculi cerebri hominis adulti, cum duobus majoribus, atque pluribus minoribus ossiculis WORMIANIS, in sutura lambdiformi.

DCLVII. Pars posterior conceptaculi cerebri, perpendiculari sectione a reliqua parte separata. In sutura lambdiformi adfuerunt ossa WORMIANA diversae magnitudinis, quae exciderunt, ita ut spatia vacua inter haec ossa sat magna supersint.

DCLVIII. Os occipitis cum parte ossis verticis sinistri; in sutura lambdiformi os WORMIANUM oblongum, magnum adest, cujus margines in externa superficie, sunt valde dentati, in interna vero aequabiles flexuosam lineam tantum monstrant.

DCLIX. Cranium absque maxilla inferiore atque dentibus hominis adulti. Sutura squamosa ossis temporis dextri duplex est, praesente osse WORMIANO juxta totam longitudinem nexus ossis squamosi cum osse verticis.

DCLX. Cranii pars inferior cum maxilla inferiore atque paucis dentibus molaribus; utrumque os jugale transversa sutura in duas partes dividitur.

DCLXI. Conceptaculi cerebri pars posterior cum atlante hominis adulti. Pone foramen, quo sinus lateralis durae matris cum vena jugulari interna conjungitur, et quod in hoc latere longe minus est quam in opposito, descendit processus cylindraceus, solidus, crassitiem apicis digiti minimi habens, mobili articulatione junctus cum processu transversali dextro atlantis.

DCLXII. Sternum cum cartilaginibus costarum juvenis. Medium os, insignis latitudinis, ex pluribus frustis osseis constat, quae inter se foramen reliquerunt, membrana clausum; margo inferior est crassus, et totum inferius os desideratur.

DCLXIII. Os femoris dextrum hominis adulti; longitudo a vertice trochanteris majoris ad superficiem articularem condyli externi = 473 lin. belg., 18 poll. 1 lin.

1 lin. rhen. Os hoc inventum fuit in coemeterio, vulgo *Reuzen Kerkhof* dictum in parte Septemtrionali Hollandiae, inter pagos *Zijp* et *Wieringen*.

Os femoris sinistrum hominis adulti cum priore inventum; media in parte adfuit fractura valde obliqua; inferius fragmentum ante superius situm, ei firmissime ope calli adjunctum est, dum extrema sunt clausa, partim acuminata, partim rotundata.

Tibia dextra hominis adulti cum prioribus inventum, etiam obliqua fractura circa inferiorem partem olim divisa; licet fragmenta juxta lineam rectam fuerint reposita, et firmiter inter se concreta, tamen a superiore a se invicem remota manserunt, ibique foramen superest stylum ad cavum medullare admittens.

DCLXIV. Pars superior ossis femoris sinistri hominis adulti, serrae ope juxta longitudinem divisi. Ex mala evolutione colli atque capitis, hujus figura est oblonga, atque superficies articularis ovata, dum collum est breve, atque ab anteriore complanatum; hinc caput ultra trochanterem majorem non adscendit.

MONSTRA.

A concretione duorum individuorum.

DCLXV. Foetus Cervi, duplici capite atque collo instructi.

DCLXVI. Foetus Cervi, quatuor pedibus anterioribus instructi.

DCLXVII. Sceletus vituli bicipitis; duo vituli thorace sunt concreti, ita ut costae sinistrae unius cum costis dextri lateris alterius sterni ope cohaereant; utriusque spina dorsi in media parte parum est incurvata, atque dein vertebrae colli tantopere incurvantur, ut caput unius pectori alterius infra artus anteriores incumbat; octo sunt artus bene conformati.

DCLXVIII. Cranium duplex vituli. Confluxerunt duo crania sub angulo acutissimo, hinc duo ossa maxillaria superiora inter se sunt concreta, atque duo margines alveolares, dentes molares continentes, constituunt inter duo palata planum triangulare, cujus apex retrorsum tendit. Confluxerunt etiam binae orbitae, ita ut unica satis magna adsit, in qua tamen separationis vestigia in margine observantur. Deficiunt omnia ossa, quae conceptaculum cerebri a superiore formare solent, adeo ut ad acephalos spurios pertineat. Simplex vero os occipitis terminat conceptaculum, sed caeterum margines ossium praesentium supra basin conceptaculi cerebri non prominent, ossium frontalium solae partes orbitales supersunt, ossa cribrosa, aeque ac omnia foramina, in basi conspiciuntur. Inter duo ossa maxillaria inferiora, quorum alterum ad unum, alterum ad secundum caput pertinet, adest os deforme, ex duobus ramis ossium maxillarium jcompositum, cujus partes anteriores, dentes incisores continentes, solito modo unguntur cum extremis duorum ramorum externorum, sed pone dentes molares

in

in mucronem acutum terminantur, atque sic triangulare spatium formant respondens simili in maxilla superiore.

DCLXIX. Cranium cum maxilla inferiore foetus Ovis, cum uno capite, sed duplici corpore. Conceptaculum cerebri sectione horizontali est apertum, camera cerebri magna, globosa, cum duabus cameris cerebelli juncta est; inter has ossa temporum duorum capitum inter se confluxerunt. Duo ergo adsunt ossa occipitalia, atque in vertice videntur reliquiae ossium verticis, quae inter se sunt mixta. Ossa nasi inter se sunt concreta, atque os satis latum formant. Ossa intermaxillaria parva, vix prominentia, obtusum reddunt anteriorem cranii partem, dum et ipsa maxillaria ossa justo sunt breviora. Maxilla inferior debitae longitudinis multum ante maxillaria superiora, atque intermaxillaria ossa prominet. Palatum juxta totam longitudinem est fissum, sed intermaxillaria ossa ab anteriore illam fissuram claudunt; vomeris os deficit.

DCLXX. Pes monstrosus Suis, constans ex duobus pedibus inter se concretis. Quatuor adsunt digiti majores, et duo digiti minores.

DCLXXI. Pes monstrosus Suis, quinque offerens digitos. Supernumerarius est tenuis, et oblique situs.

DCLXXII. Pelvis Phasiani Galli, quatuor pedibus instructi. Inter os innominatum sinistrum atque os sacrum deformia ossa alius pelvis inveniuntur, cum quibus articulatum est femur ab inferiore fissum, utrique extremo adnexa sunt ossa cruris et pedis, sed deformia.

DCLXXIII. Ovum Anserinum ovum continens. Ovum hoc insignis magnitudinis praeter duo vitella continebat aliud ovum, crusta calcarea etiam obductum. Verum itaque ovum in ovo (6).

Ab evolutione impedita.

DCLXXIV. Cranium cum maxilla inferiore atque vertebris colli, ligamentis junctis, juvenis viginti annorum. In maxilla inferiore omnes adsunt dentes, molari ultimo dextro excepto; in maxilla superiore a latere dextro ultimus dens molaris prodire incipit, in sinistro latere hic totus deficit, atque vix prodiit pene ultimus dens molaris. Conceptaculum cerebri deforme est tam situ, atque figura omnium ossium, quam capacitatis conformatione. Basis cranii versus spinam dorsi quasi depressa et repressa est; spatium inter palatum osseum atque vertebras colli solito est minus. Frons reclinata in verticem transit, solito depressiorem, qui dein in latius atque planius occiput desinit. Occipitis os, infra cristam occi-

(6) Conf. S. A. DE MORAAZ, *in de Algem. Genees- Natuur- en Huishoudkundige Jaarboeken.* Deel 3. Stuk 1. pag. 44.

cipitalem latum ac complanatum est, ita ut scrobes, lobos cerebelli recondentes etiam exigui sint, et haec pars cum superiore, angulum obtusum formet. Suturae coronalis, sagittalis atque lambdiformis nequidem vestigia adsunt. Lineae arcuatae ex quibus musculi temporales ortum traxerunt, valde sunt notatae, et in vertice a se invicem tantum distant 31 lin. belg., 1 poll. 2 lin. rhen.; musculi ipsi in cadavere deprehendebantur validissimi. Ubi apex ossis occipitis adesse solet planum invenitur triangulare, solidum, osseum, pluribus foraminulis pro ingressu vasorum pericranii praeditum. Sectione horizontali conceptaculo cerebri supra orbitas atque infra tentorium cerebelli diviso, triangularis apparet figura totius conceptaculi. In basi ossa omnia satis solida inveniuntur; cribriforme valde depressum est intra angustam fissuram lamellarum orbitalium, priores processus ossis multiformis crassi, lati, sed versus latera vix explicati sunt. Excavationes pro lobis mediis cerebri satis sunt insignes a prominentibus valde partibus petrosis ossium temporum. Sella turcica valde est exsecta. Pars basilaris ossis occipitis fere perpendicularis. Fissurae orbitales sunt amplae, sed breves; foramina pro ramis secundis quinti paris solito minora; foramina pro ramis tertiis quinti paris, inprimis a latere dextro, solito ampliora. Lunulae ita dictae majores pro transitu venarum jugularium exiguae; lunulae vero minores contra solito capaciores; magna sunt foramina pro nervis lingualibus mediis, atque venis vertebralibus. Gyrorum cerebri impressiones satis sunt notabiles; sulci vero pro vasis durae matris sunt superficiales. Ossium substantia solida est, omni fere diploë destituta. Faciei ossa neque forma neque magnitudine multum a statu naturali recedunt. Ex immatura ossium conceptaculi cerebri coalitione, quae procul dubio in tenuiori foetu jam locum habuit, facile intelligitur cerebri hemispheria se evolvere non potuisse. Cerebrum hujus juvenis descriptum est N°. CDXLIII.

DCLXXV. Cranium hominis adulti, absque maxilla inferiore, quoad magnitudinem cum praecedente conveniens, sed minus deforme, omnia ossa licet solito minora, tamen formam naturalem habent, nasus tantum ex comparatione ossium nasi cum reliquis ossibus videtur justo major fuisse; dentitio fuit perfecta omnes enim alveoli observantur, licet alveoli medii incisorum dentium sint clausi. Supersunt tres dentes molares proprie dicti in latere sinistro, in dextro autem molaris proprie dictus medius, atque bicuspidatus posterior adsunt. Forma conceptaculi fere est naturalis; omnes suturae distinctae supersunt; pars occipitalis cerebello respondens reliquis minus est evoluta, atque solito magis adscendit. Longitudo cranii, sive distantia a fronte ad occipitis maximam prominentiam est 131 lin. belg., 5 poll. rhen. Latitudo maxima inter partes mammillares 95 lin. belg., 3 poll. $7\frac{1}{2}$ lin. rhen. Altitudo, sive distantia inter verticem atque marginem priorem foraminis magni 92 lin. belg., 3 poll. 6 lin. rhen. Ossis occipitis foramen satis est magnum, et condylos habet naturalis magnitudinis; reliqua foramina etiam sunt naturalia, ea quae sinus transversales durae matris transmittunt solito sunt minora.

DCLXXVI.

DCLXXVI. Cranium cum maxilla inferiore foetus praematuro partu nati, monoculi. Palpebrae inter se confluxerant in cantho majori, deficiebat nasus, sed ex frontis parte inferiore descendebat prolongatio cutis, proboscidis instar, quae sursum elevari potuit, atque in apice duas parvas aperturas narium monstrabat. Conceptaculi cerebri figura est quadrangularis, os frontis recte adscendit, atque circa suturam coronalem latius est quam ad orbitas. Desideratur anterior fontanella. Os occipitis solito etiam rectius adscendit mox pone foramen magnum; inter os occipitis atque ossa temporum laterales fontanellae inveniuntur, omnia caeterum ossa inter se sunt contigua, neque spatia intermedia relinquunt. Ex glabella dependent duo parva ossicula inter se cohaerentia, atque mobilia, quae fundamentum praebuerunt prolongationi cutis. Lamellae orbitales ossis frontis sunt exiguae, neque fissuram pro osse cribriformi reliquunt; orbitarum reliquae partes superiores constituuntur duobus ossiculis oblongis, ad basin ossis multiformis confluentibus, et inter se spatium, membrana partim clausum, relinquentibus per quod decurrebant duo nervi optici. Haemisphaeria cerebri a se invicem vix erant distinguenda. Processus falciformis durae matris aderat brevis, et sinus longitudinalis desiderabatur, sinus vero transversales erant ampliores. Piae matris vasa sanguine erant turgida. Medulla cerebri erat mollissima, ac deliquescens, medulla oblongata ac spinalis majorem offerebant resistentiam. Nervorum omnia paria aderant, primis exceptis. Orbitae ex defectu ossis cribriformis atque processuum nasalium ossium maxillarium, nec non reliquarum partium narium internarum inter se confluxerunt; oculorum bulbi a distinctis nervis opticis dependebant, et licet essent contigui, tamen non nisi membrana adnata communi conjungebantur; inter fissuras duarum palpebrarum carunculae lacrymales cohaerentes, elevata proboscide cernebantur. Ossa maxillaria ab anteriore sunt complanata, atque ossa jugalia suis extremitatibus anterioribus tantum non in contactu veniunt; hinc nec non recte adscendente fronte facies valde est complanata. Palatum est angustum, in anteriore parte alveoli conspiciuntur. Inter processus pterygoïdeos aperturae posteriores narium sunt clausae. Maxilla inferior inprimis margine inferiore ante maxillam superiorem prominet.

DCLXXVII. Cranium et maxilla inferior foetus Suis, monoculi, cum proboscide. Ossa frontis circa glabellam in tubum elongantur, cui adhaerent ossa nasi deformia, atque ab inferiore sulcum relinquentia; a parte conceptaculi cerebri, ubi canalis osseus incipit, indicium adesse videtur ossis cribriformis. Conceptaculum cerebri ab anteriore latius est quam a posteriore; lamellae orbitales maximam partem componuntur processubus anterioribus ossis multiformis, et in media parte circa basin commune foramen habent pro nervis opticis, cum quo a latere sinistro confluit fissura orbitalis posterior. Processus nasales ossium maxillarium, atque omnes narium internarum partes desiderantur, hinc orbitae

inter se confluxerunt; canalis osseus a fronte productus multum ante hanc communem orbitam prominet. Maxillaria ossa marginem alveolarem convexum monstrant, et tres dentes valde cuspidatos in anteriore parte continent; aperturae posteriores narium sunt clausae. Os maxillare inferius ante maxillaria ossa superiora adscendens, multum prominet, atque dentes sex, ultra gingivas prominentes offert, quorum medii sunt obtusi, ac lati, sequentes vero cuspidati.

DCLXXVIII. Pars inferior conceptaculi cerebri infantis recens nati, sectione horizontali facta supra supercilia atque tentorium cerebelli. In palato cernitur fissura triangularis ex defectu basis utriusque ossis palati, atque partis posterioris lamellarum palatinarum ossium maxillarium; os vomeris descendit ad anteriorem partem lamellarum palatinarum, quae superest. Palatum molle cum uvula erat fissum, unde uvula quasi duplex fuit.

DCLXXIX. Cranium cum maxilla inferiore infantis recens nati, qui labio leporino duplici laboravit. Ab utroque latere septi narium labium superius erat fissum, procurrente utraque fissura usque ad alas nasi. Media pars labii, inter fissuras sita, cum apice nasi cohaerebat, prominente intra fissuram osse vomeris. Palatum totum erat fissum una cum uvula. In cranio siccato, deficiunt lamellae palatinae ossium maxillarium atque palati, unde cavitas oris cum cavitatibus narium communicat, imo una eademque quasi est. Vomeris os solito magis sursum pressum, ab anteriore sustinet eam marginis alveolaris partem, quae dentium incisorum rudimenta continet, quemadmodum exsiccatione gingivarum facile apparet. Hoc frustum osseum parum tantum distat a margine inferiore ossium nasi; quae distantia vero procul dubio exsiccatione septi cartilaginei narium est imminuta. Ossa maxillaria solito etiam magis compressa, atque sursum dimota sunt, hinc orbitae aperturam tansverse-oblongam habent, et in ambitu multum sunt imminutae, licet cavitates ipsae sint ampliores quam margines exteriores.

DCLXXX. Cranium cum maxilla inferiore vituli. Totum palatum durum est fissum, cohaerent tamen ab anteriore ossa intermaxillaria; sinus articulares pro maxilla inferiore sunt parvi, atque deformes. Meatus auditorii foramina sistunt parva, atque ossa ambientia a forma naturali recedunt. Maxilla inferior justo brevior est; condyli sunt parvi et oblique extrorsum descendunt; processus coronoïdei vix ulli, sed inter condylos articulares et dentes molares parvae adsunt lamellae incurvatae, unciformes. Anguli posteriores ramorum horizontalium retrorsum prominent et parum a se invicem distant, dum rami ipsi fere contigui sunt.

DCLXXXI. Cranium cum maxilla inferiore atque vertebris cervicalibus foetus acephali, cujus omnia ossa conceptaculi cerebri supra basin fere penitus deficiunt.

DCLXXXII.

DCLXXXII. Foetus aliquot mensium acephalus cum tota spina bifida, Balsamo conditus atque exsiccatus est.

DCLXXXIII. Foetus junior exsiccatus, acephalus cum spina bifida in vertebris cervicalibus.

DCLXXXIV. Quinque vertebrae superiores cervicis pueri; in vertebra tertia ac quarta a superiore deficit processus spinosus, quo hac in parte foramen in arcu adest, licet partes laterales e situ non sint remotae. Foramen in arcu vertebrarum productum fuit tumore medullae spinalis, cujus pars posterior una cum dura matre medullam ambiente, et saccum herniosum formante, per illud foramen propullulabat, tumoremque constituebat mollem, magnitudinis fere ovi gallinacei, quae partes descriptae sunt N°. CDLI.

DCLXXXV. Tota spina dorsi infantis recens nati, qui spina bifida laboravit. Deficientibus omnibus processubus spinosis totius spinae, arcus vertebrarum extrorsum sunt reflexi, licet processus obliqui articulares conjungantur; arcus sic reflexi, et inprimis in dorsi superiore parte, atque collo, latitudine valde aucti, ab utroque latere corporum vertebrarum planum osseum sat magnum formant, quod ultra costas, quarum partes posteriores sunt conservatae, et cum vertebris junctae, prominet. Corpora vertebrarum duplicem formant curvaturam.

DCLXXXVI. Os sacrum atque duae infimae vertebrae lumborum infantis, qui spina bifida circa os sacrum laboravit; in ultima vertebra atque tota posteriore parte ossis sacri deficiunt processus spinosi, atque arcus parum e sede sunt dimoti.

DCLXXXVII. Pars superior capitis infantis recens nati. Caput erat magnum, obliquum cum tumore, capitis fere magnitudinis, a vertice per nucham descendente. Tumor ille erat mollis, atque paucis diebus post partum sponte apertus, magnam aquae limpidae quantitatem fudit. Collapso tumore atque cerebro infans mox exspiravit. Os frontis est indivisum. In nexu cum ossibus verticis nulla adest fontanella, sed inter ossa verticis prope eorum unionem cum apice ossis occipitis foramen oblongum invenitur, transversim dispositum, cujus diameter transversalis est 60 lin. belg., 2 poll. $3\frac{1}{2}$ lin. rhen., diameter vero longitudinalis 35 lin. belg., 1 poll. 4 lin. rhen.; foraminis hujus margines pro majori parte sunt crassiores, dum in dura matre atque pericranio foramen minus est quam in ossibus. In superficie interna impressiones satis profundae gyrorum cerebri apparent.

DCLXXXVIII. Os occipitis cum quinque superioribus vertebris colli infantis, qui hernia cerebri laboravit. In media parte ossis occipitis, a superiore sutura divisi, occurrit foramen, cujus diameter transversalis est 28 lin. belg., 1 poll. 1 lin. rhen., a cujus margine inferiore fissura amplitudinis 15 lin. belg., 7 lin. rhen. usque ad foramen magnum decurrit; in atlante deficit pars media posterior arcus. Margines foraminis sunt satis crassi atque rotundati.

DCLXXXIX. Ossa cruris atque pedis dextri lateris infantis recens nati. Ossa tar-

tarsi et metatarsi cum digitis ita sunt introrsum flexa, ut dorsum pedis antrorsum, planta retrorsum spectet; licet situs calcanei etiam sit mutatus, tamen flexura reliquorum ossium inprimis dependet a perverso situ ossis navicularis, et cubiformis.

DCXC. Cranium Phasiani galli cum cornu ex fronte prodeunte, procul dubio calcar cuti frontis fuit insertum, et cum ea concretum, solis enim integumentis adhaerere sectione constat.

PRODUCTIONES A SECRETIONE ABNORMI.

DCXCI. Quinque portiones crustae insignis crassitiëi, substantiae corneae cum materie calcarea mixtae, separatae a pedibus foeminae adultae, cujus totum corpus simili crusta inaequalis crassitiëi erat obductum (7).

DCXCII. Concrementa diversa ex glandulis bronchialibus.

DCXCIII. Concrementa ex glandulis meseraicis Vaccae.

DCXCIV. Calculus ex glandula pineali, longitudinis $6\frac{1}{2}$ lin. belg., 3 lin. rhen.

DCXCV. Concrementum pilorum, partim crusta obductum, ex ventriculo Hystricis.

DCXCVI. Concrementum calcareum triangularis figurae, rotundatis angulis ex intestino coeco Equi pinguedinosi, subito mortui, atque Amstelaedami dissecti 29 Aprilis 1777. Diam. longit. = 120 lin. belg.; 4 poll. 7 lin. rhen., diam. transversalis circa basin = 123 lin. belg., 4 poll. $8\frac{1}{2}$ lin. rhen.

DCXCVII. Concrementum simile, ovalis formae, diam. longit. = 133 lin. belg.; 5 poll. 1 lin. rhen. Diam. transv. = 113 lin. belg., 4 poll. 4 lin. rhen.

DCXCVIII. Concrementum simile oblongum dissectum, ab exteriore glaberrimum, cujus nucleus videtur esse ramentum ligneum.

DCXCIX. Vesicula fellis hominis adulti, satis ampla continens plures calculos.

DCC. Vesicula fellis hominis adulti, oblonga atque angusta, continens calculum satis magnum, ovalis figurae.

DCCI. Vesicula fellis hominis adulti dissecta, cum concretionibus calculosis inter tunicas haerentibus.

DCCII-DCCVI. Quinque diversae species calculorum ex vesiculis felleis.

DCCVII. Calculus felleus ex ramo dilatato ductus hepatici, canalem referens.

DCCVIII. Calculus biliarius ovalis.

DCCIX. Calculi biliarii diversi, angulosi.

DCCX.

(7) Vid. *Verhand. van het Genootschap ter bevordering der Heelkunde te Amsterd.* Deel 5, pag. 1.

DCCX. Calculus felleus, figurae dentis, ex umbilico sponte excretus, foeminae quinquaginta annorum.

DCCXI. Calculi biliarii duo.

DCCXII. Calculi biliarii ex materie adipoceracea crystallisata.

Calculi renales.

DCCXIII. Calculi tres, ramosi, ex rene suppurato pueri decem annorum.

DCCXIV. Calculus renalis asperrimus.

Calculi vesicae urinariae.

DCCXV. Calculi tres ex acido urico.

DCCXVI. Calculus globosus, dissectus, ex acido urico et phosphate calcis, lamellatim dispositis, cujus nucleus videtur coagulum sanguinis. Diameter = 50 lin. belg., 1 poll. 11 lin. rhen. Pondus = 3 unc. 16 drach. 1 scr. 8 gr.

DCCXVII. Calculus dissectus, oblongus, ex acido urico et phosphatibus terrestribus mixtis. Diam. long. = 55 lin. belg., 2 poll. 1 lin. rhen. Diam. transv. = 26 lin. belg., 1 poll. rhen. Pondus = 1 unc. 1 dr. 1 scr. 2 gr.

DCCXVIII. Calculus insignis magnitudinis in varia fragmenta divisus, ex urate ammoniae.

DCCXIX. Calculus globosus asper, dissectus, ex urate ammoniae. Diam. = 24 lin. belg., 11 lin. rhen. Pondus = $3\frac{1}{2}$ dr.

DCCXX. Calculus similis praecedenti.

DCCXXI. Calculi duo iterata sectione extracti ex eodem viro, ex urate ammoniae. Alter oblongus, complanatus. Diam. long. = 46 lin. belg., 1 poll. 9 lin. rhen. Diam. transv. = 20 lin. belg., 9 lin. rhen. Pondus = $5\frac{1}{2}$ dr. Alter minor est.

DCCXXII. Calculus dissectus, ovalis, complanatus, ex urate ammoniae et phosphate calcis. Diam. long. = 36 lin. belg., 1 poll. $4\frac{1}{2}$ lin. rhen. Diam. transv. = 24 lin. belg., 11 lin. rhen. Pondus = 2 dr. 1 scr. 17 gr.

DCCXXIII. Calculus in formam fungi cum basi contracta, in qua nucleus exiguus ex urate ammoniae, reliquus vero calculus componitur ex phosphatibus terrestribus. Pondus = 2 dr. 11 gr.

DCCXXIV. Calculus dissectus, ovalis, complanatus ex urate ammoniae et phosphatibus terrestribus, in lamellis dispositis. Diam. long. = 37 lin. belg., 1 poll. 5 lin. rhen. Diam. transv. = 20 lin. belg., 9 lin. rhen. Pondus = $5\frac{1}{2}$ dr. 4 gr.

DCCXXV. Calculus dissectus, oblongus ex urate ammoniae et phosphatibus terrestribus. Diam. long. = 52 lin. belg., 2 poll. rhen. Diam. transv. = 22 lin. belg., 10 lin. rhen. Pondus 4 dr. 1 scr. 6 gr.

DCCXXVI. Calculus dissectus, oblongus, similis compositionis ac praecedens. Diam. long. = 65 lin. belg., 2 poll. 6 lin. rhen. Diam. transv. = 35 lin. belg., 1 poll. 4 lin. rhen. Pondus = 2 unc. 1 dr. 26 gr.

DCCXXVII. Calculi varii dissecti, similis compositionis.

DCCXXVIII. Calculus dissectus, oblongus, in media parte sulco profundo incisus, duplicem quasi nucleum offerens, similis compositionis. Diam. long. = 46 lin. belg., 1 poll. 9 lin. rhen. Diam. transv. = 24 lin. belg. 11 lin. rhen. Pondus = 1 unc. 2 scr. 2 gr.

DCCXXIX. Calculus irregularis figurae ex phosphatibus terrestribus. Pondus = $3\frac{1}{2}$ dr. 5 gr.

DCCXXX. Calculus ovalis ex phosphate calcis. Diam. long. = 43 lin. belg., 1 poll. 8 lin. rhen. Diam. transv. = 22 lin. belg., 10 lin. rhen. Pondus = 3 dr. 2 scr. 18 gr.

DCCXXXI. Fragmenta calculi ex phosphate calcis.

DCCXXXII. Calculi globosi pars dimidia, annulo argenteo reconditi.

DCCXXXIII. Cannula plumbea fere penitus obturata, atque crusta obducta, excisa ex urethra viri, qui hanc cannulam urethrae immiserat, ut eam, carunculis venereis angustatam, apertam servaret; per spatium septem annorum hoc modo aeger urinam absque incommodo reddidit, donec obstructa hac cannula chirurgi auxilium petiit, (8).

DCCXXXIV. Calculi duo per urethram evacuati.

DCCXXXV. Calculi duo ex urethra Equi.

DCCXXXVI. Extypon calculi insignis, oblongi, incurvati, ab una parte unciformis quodammodo figurae, infantis sex annorum et quod excurrit, post mortem desumti ex vesica urinaria indurata, atque tota circum calculum contracta; quum non tantum hic calculus vesicam, sed etiam partem urethrae occupabat, ex vesica a parte abdominis extrahi non potuit, nisi dissecta prius conjunctione ossium pubis. Durante vita nullum instrumentum intra vesicam immitti potuit.

DCCXXXVII. Extypon calculi oblongi ex vesica urinaria.

(8) Vid. *Verhand. van het Genootschap ter bevordering der Heelkunde te Amsterd.* 2 Deel, pag. 152.

FINIS.

490040